J M Aldrich

Note. Junk's facsimile ed. is priced at $75.00 by Wagner, 1929.

DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND, CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG. SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI CORRESPONDENTE.

TOMUS PRIMUS.

LUNDÆ,
EX OFFICINA LUNDBERGIANA,
SUMTIBUS AUCTORIS.
1842.

ZELLERO,

inter Lepidopterologos & Dipterologos Europæ
magni, spectati & cari nominis Viro,

operis
auctor.

PRÆMONENDA.

Quamdiu vinculum, quo insecta ceteraque naturæ producta inter se intime connectuntur, latebat, ipsique eruditi horum animalculorum innumerum agmen & diversissimas formas tantum ut curiositatem naturæ contemplabantur aut ad summum agnoscebant eorum vel immediatam utilitatem ut nutrimentum pro animalibus perfectioribus, vel noxam, quam illorum larvæ silvis, pratis, agris & hortis vegetabilia consumendo inferunt, tamdiu non mirandum, si studium animalium superiorum sic dictis inferioribus anteponeretur, & Zoologus quisque, cognitionem insectorum specialiorem collectori atque oeconomo relinquens, ipse in suis perscrutationibus vertebratorum cohorti præcipue adquiesceret, fere eodem unius partis modo ac si Botanicus plantarum cryptogamicarum disquisitionem microscopicam vilipéndens, phanerogamicarum studio solam operam navaret.

Sed prout scrutatores simul incipiebant partim magis magisque introspicere insectorum vim & usum in oeconomia naturæ (quæ jam ex stupenda multitudine specierum & individuorum conjiciantur) tam ratione habita ad reliqua animalia, quam ad plantarum vitam, fœcundationem & quarundam interitum, partim examini adcuratiori subjicere diversarum corporis partium texturam, structuram, situm & proportionem, sub quo scrutamine dilucidatio fenomenorum animum eo magis intercipiat, quo minora fuerint objecta & subtiliora, tandemque perspicue extricare non solum insignem anomaliam, verum etiam ordinem & scopum, quæ se produnt in horum minutissimorum entium metamorphosi, victu & tali artis instinctu, qualis in paucis superiorum animalium deprehendatur,

sed apud insecta perfectissimum attigisse gradum videatur, doctrina de illis etiam gravior æstimabatur; Entomologia sibi majorem attentionem jure conciliabat, & pro accusatione parum materiei judicio & meditationi suppeditandi, nunc e contrario objectum dignum & abundans solido naturæ scrutatori pariter ac philosopho acuto habebatur.

Entomologia quoque jam dudum in omnibus terris cultis eximium & eminentem locum inter ceteras historiæ naturalis disciplinas merito sibi vindicavit; pro ejus publica prælectione cathedræ propriæ variis locis extructæ fuerunt; Societates entomologicæ celebratissimæ initæ ubique florere inceperunt, & Entomologorum improbus labor nisusque fatigari nescius insecta systematice ordinandi eorumque miracula in lucem proferendi publicæ privatæque institutioni æque utiles & necessarii judicati, ac Mastologorum, Ornithologorum, Herpetologorum, Ichthyologorum cet. opera doctrinam de mammalibus, avibus amphibiis, piscibus cet. tractandi.

Inter Classes insectorum, quarum speciale studium offert scrutatori conclusiones maximi momenti plurimæque jucunditatis, sine dubio numerantur *Hymenoptera*, *Diptera*, *Lepidoptera* & *Coleoptera*, non tantum propter horum ingentem specierum copiam, verum etiam quoniam inter hæc illæ inveniuntur cohortes, quarum aut imagines aut larvæ plurimo artis instinctu gaudent. In primis vero *Diptera* vegetabilibus magnam intimamque relationem habere cognoscimus. Nam singula fere pars plantæ, a radice usque ad semen, certas Dipterorum larvas ad alendum sibi designatas accepit, quibus domicilium atque nutrimentum ex naturæ lege præbet. Haud pauca quoque dantur genera, quorum species vitam sub omnibus ejus stadiis (ovo, larva, pupa, imagine) in certis plantarum familiis ut parasitæ degunt, ex. gr. *Tephritides* in *Compositis*, *Oscinides* in *Gramineis*, *Mycetophilinæ* in *Fungis* e. s. p. Adhuc major Dipterorum numerus sub statu imaginum visitando flores, e quibus mel hauriunt, ad fœcundationem horum conducunt, & variæ exstant herbæ, quarum structuræ florum & situi genitalium ita

est comparatum, ut sine ope Dipterorum in iis fœcundatio vix feliciter effici possit, ex. gr. *Aristolochia Clematitis* a *Cecidomyia pennicorni*, quod dipteron etiam non nisi rarissime extra tubum hujus plantæ corollæ deprehenditur, sed in cujus fundo plerumque copiose versatur.

Quando de evolutione multarum vitæ functionum in plantis quæritur, insecta communiter & Diptera speciatim partes haud parvi momenti sæpe agere respondemus. Et physiologus plantarum, qui simul vitæ consuetudinem insectorum cognoscit in hujus comparatione cum vegetabilium fœcundatione, morbis, certarum partium vel totius plantæ difformitate &c., non raro invenire potest explicationem problematum, quæ sine hac cognitione semper obscura & ænigmatica ei manerent.

Mihi, qui a tenella ætate amore florum eximie captus, sub continuato botanices studio quidquam amplius de planta, quam nudum nomen scire cupiebam, studium entomologicum botanico consobrinum, initio ut jucunda occupatio, qua tempus falleretur, habebatur, cito ad usum necessarium convertebatur & tandem scientifice colebatur. Favens quoque occasio studio adamato diligentius incumbendi & præsertim Dipterorum Classem paullo adcuratius perquirendi simul sese offerebat, cum meritissimus & suo tempore fere unicus Sueciæ Dipterologus, venerandus meus Præceptor & Amicus nunquam obliviscendus *C. F. Fallèn* t. t. Historiæ Naturalis Professor Lundensis suis colloquiis, adhortationibus & monitis me sublevaret, Ejusque sub 10 annis quotidie aucta rerum naturalium collectio primum mihi consulenti pateret deindeque donum grato discipulo fieret.

In præsenti opere *) *Diptera Scandinaviæ* adumbrata, L. B., accipis. Cum Illustrissimus *a Linné* in Systemate Naturæ tantum 262 Dipterorum species, *Fa-*

---

*) quo finito *Hemiptera Scandinaviæ* revisa etiam publici juris facere in animo est.

bricius in System. Antliatorum: 1117 totius mundi, *Fallén* in Dipteris Suecicis: 845, *Macquart* in Suit. a Buffon: 3120, & *Meigen* in Zweiflüg. Ins. circiter 4591 per totam Europam cognitas, descripserunt, mihi contigit ut circiter 3100 hujus ordinis species Faunæ solum Scandinaviæ introducere potuerim. Blekingia vero, Hallandia interiore, Bahusiæ littoribus marinis, Norvegia meridionali & Lapponiis mediis præsertim Lulensi & Pitensi propius investigatis hunc numerum in posterum auctum proditurum, satis intelligo. Ex observationibus tamen circa cognitarum specierum differentiam sexus, metamorphosin, loca natalia, extensionem geographicam, limitem, tempus florendi, mores &c. simul diligenter institutis, quibus earum vitæ conditio luculentius innotescat, semper majus lucrum & emolumentum scientiæ redundare, quam ex detecto vel conquisitione novarum, de quibus nihil amplius dicere haberes, quam: *habitant in Scandinavia*, fas sit contendere. Si igitur mihi contigit hac ratione aliquid ponderis afferre id fere nucleum operis habere vellem.

In serie systematica *Brachyceras* ordine primas delineavi, licet *Nematoceræ* (Tipulariæ Auct.), utpote *antennis* & *palpis* magis explicatis gaudentes vulgo perfectiores habitæ fuerint & ut tales apud Systematicos ex more primam divisionem constituant. Sed præter quod major evolutio certorum organorum postpositionem aliorum plerumque prodat, quemadmodum in *Nematoceris*, quibus normaliter desunt *statura illa corporis robusta* & *firma*, *armatura fortis* & *valida*, *colores determinati* & *vivaciores*, quibus præcellunt, ornantur & nobilitantur *Brachyceræ*, ideoque adhuc sub judice sit an non in his quoque major perfectionis gradus obtineat, in omni casu convenientissimum crediderim sectionem *typicam* in capite systematis, dichotomice absoluti, locum habuisse. Cum vero inter omnes constat *typicum* non in *raro* & *singulari*, sed in *maxime communi* & *vulgari* quærendum, sequitur etiam *Brachyceras*, quæ numerosissimas & frequentissimas sub se comprehendunt formas, *typicas* efficere. Si ejusmodi principio ductus regulam hanc specialiori casui accomodare velles, quod etiam in

dispositione *naturali* necessarium putaretur, *formam typicam* Dipterorum inter *Muscides* investigandam, & harum familiæ, quæ sola circiter $\frac{1}{5}$ totius Classis complectitur, primum vel potius centralem locum collocandum crederem.

Cum in generibus amplis & ubi simul mares & feminæ magnitudine, colore, pictura, vestitu, structura antennarum, forma pedum vel aliis notis externis longe discrepant, ex. gr. in pluribus *Syrphicorum*, & in plerisque *Empidiarum*, *Dolichopodum*, *Platypezinarum*, *Trineuridum*, *Hirteidum*, *Simulidum*, *Culicidum*, *Chironomiorum* &c., in quibus tamen ad utrumque sexum, dum characteres generici fingentur, ratio habeatur, ex paucis notis talis character vix construi potest, per quem sine exceptione omnes ad eadem pertinentes species designentur & simul genera affinia ab his distingvantur, pro scopo necessarium duxi in ipso *textu* allegare descriptionem generis fusiorem, quam in *dispositione*. Character igitur genericus, qui in dispositione synoptica occurrit, comprehendit præcipue species *typicas* seu *centrales*; qui vero in contextu obvenit, continet insimul species *periphericas*.

Omissa methodo, quæ haud paucis Entomologis placet, singulas corporis partes a capite ad pedes quasi stabili & immobili ordine enumerandi & delineandi, eas tantum in medium protuli, quæ descriptæ notas sufficientes ad speciem ab affinibus dignoscendam subministrare posse mihi visæ fuerunt. Novas tamen formas plerumque fusius adumbravi, ut, quantum fieri posset, dubium de insecto, quod ante oculos habui, in posterum evitetur. Cum etiam longiorem descriptionem speciei vulgari, intra subdivisionem quamque numerosorum generum electæ interdum allegavi, talem speciem ut typum, ad quem deinde reliquas utpote plus minus similes aut aberrantes delegare possem, considerare volui. Id semper mihi curæ cordique fuit, ut, ad exemplum Illustr. Floræ Lappon. Auctoris, "non tantum certa specierum nomina exhiberem, verum etiam ita illustrarem ut unicuique earum certitudo constaret."

Aliquis forsan mihi id in culpam vertet, quod nimium negligens affinitatem naturalem interdum species minus propinquas in idem congesserim genus, & e contrario hinc inde e genere removerim formas ut videntur satis approximatas, ex. gr. priori ratione: genera *Dolichopus*, *Hydrophorus*, *Syrphus*, *Xylota*, *Oestrus*, *Tachina*, *Phasia*, *Dexia*, *Aricia*, *Anthomyza*, *Tephritis*, *Limnobia* &c. sub quibus varias contraxi species, quas propria & distincta genera constistuere posse contendunt Recentiores; & posteriori; *Psilocephala*, quam a *Thereva*. *Ptiolina* ab *Atherice*, *Leptopeza* ab *Ocydromia*, *Phyllodromia* ab *Hemerodromia*, *Tachypeza* a *Tachydromia*. *Wahlbergia* a *Gymnosoma*, *Colobæa* ab *Opomyza*, *Tricyphona* a *Limnobia* separavi. Sed secundum meam opinionem tale jus, quando res & perspicuitas postulant, libenter erit concessum, quoties quæstio sit de constructione & usu *systematis artificialis*, cujus finem in *differentiis* indagandis & exhibendis consistere novimus, nec in solis similitudinibus inquirendis. Negari etiam non potest, unumquodque periculum methodum naturalem, quam de cetero pro suo scopo magni æstimo, & artificialem conjungendi percauté suscipi & educi debere, ne sub conflictu naturæ & artis plus minusue male succedat opus susceptum, præsertim cum vix sine devotione alterutræ methodi principii id exponatur. Ars nempe suas regulas habet, quas respuit natura. Systema igitur, secundum quod naturæ producta optime disponuntur, me judice aut *pure* naturale aut *pure* artificiale esse debet, alias exceptiones æque multæ ac ipsæ regulæ accedere possint. Et ut inter exemplum a *Dolichopodibus* mutuo acceptum maneam, credidi me faciliorem & certiorem pandisse viam cuique ad systema in hac parte consulendum ire cupienti, dum in dispositione generum, quam mere artificialem esse fateor, & in præsenti Dipterologiæ statu vix alia esse potest, adhibui *situm antennarum setæ* (in dorso articuli ultimi) una cum *situ nervi transversi ordinarii* (in disco alæ), quæ duæ notæ characterem generis *Dolichopi* præcipue efficiunt & *utrique sexui* communiter competunt. Si e contrario pro nuper nominati generis formatione solummodo structuram organi copulationis maris diversam in fundamentum

elegerim, nullus determinatus locus fuisset feminis, quæ non nisi ægre inveniri potuissent, præsertim dum hæ in omnibus *Dolichopodum* generibus per totam familiam oviductum parum exsertum & fere similiter constructum habent. Itaque haud contemnendam notam pro subdivisionibus specierum intra genus structuram genitalis masculorum diversam præbere, sed eandem structuram in ipsius generis charactere condendo minus valere existimo.

Hermaphroditismus magis vel minus completus inter Coleoptera raro, & inter Lepidoptera interdum obveniens, apud Diptera adhuc non observatus est quantum equidem sciverim. Sed copulationem hybridam præsertim intra familias *Empidiarum*, *Dolichopodum*, *Syrphicorum*, *Sarcophogariarum* & *Scatomyzidum*, quæ veneri præ ceteris deditæ videntur, obtinere, haud infrequenter observavi.

Licet elaboratio & publicatio hujus operis, cujus Pars prima jam in lucem prodit, & cujus continuatio sine mora sequetur, haud parum laboris, impendii & jacturæ temporis, dum sub iteneribus, vicibus iteratis in plerasque Scandinaviæ provincias institutis, plerasque in libro descriptas species propria manu collegi & vivas annotavi, mihi injunctæ fuerint, tamen me vere recompensatum sentiam, si per has consecrationes aliquantum prodesse potuerim carissimæ scientiæ ejusque Cultoribus tradere quantum fieri potuit locupletem & confidentem Dipterorum Scandinaviæ tractationem. Is mihi jam ex hoc incoepto redundavit fructus & id præmium, ut sub materiis opusculi colligendis licitum fuerit non tantum multis dulcibus horis in naturæ gremio commorari, dum ad comtemplationem pulchritudinis & sapientis ordinis inter ipsam varietatem dominantis mens mea ad summum omnium rerum Originem erecta fuit & læta, verum etiam inire familiariorem, fideliorem & sinceriorem rationem cum pluribus nobilibus, ingeniosis eximiisque Viris, qui eodem studio aliquid incrementi amœnissimæ scientiæ conferendi incensi, adjuvando consiliis, opera aut communicatione specierum novarum cum observationibus ut omnia in meum usum adhiberem, me sibi devinctissimum reddiderunt. Inter Illos, quibus ob talem tantamque benevolentiam gratias maximas & justissi-

mas debeo, speciatim nominare liceat D. D. Amicos & Populares: *A. G. Dahlbom* Ph. Doct. Entom. Adjunctum & Musei Zool. div. ent. Lundensis Præfectum; Doct. *P. Wahlberg* Hist. Nat. Prof. ad Inst. Carol. Med. Chirurg. Holm., & Equitem; *C. H. Boheman* Profess. & ad Reg. Acad. Scient. Holm. Mus. Ent. Præfectum; *C. J. Schönherr* Consil. Commerc. & Equitem; *Christ. Stenhammar* Præpos. in Häradshammar Ostrog. & Reg. Ord. de Stella pol. Membrum; *G. Billberg* Consil. Dicast. Camer. & Equitem; Doct. *G. Engström* ad Nosocom. Wadstenense Med. & Equitem; *Gabr. Marklin* ad Soc. Scient. Ups. Adj.; *Frigelius* ad Gymnas. Calmar. Doc.;

& extra Patriam:

Doct. *C. R. Sahlberg* Zool. & Botan. Profess. Helsingforsiæ emeritum, Equitem; Comitem *C. G. a Mannerheim* Præsidentem Dicasterio Wiburgensi, Commendatorem &c.; *R. C. Stæger* Consil. Just. Hafniensem; *B. W. Westermann* Mercat. magnarium Hafniæ; *W. von Winthem* Hamburgensem; *G. Thoreij* Apothec. Hamb.; *M. C. Sommer* Mercat. Magnar. Altonens.; *P. C. Zeller* Præcept. Superior. Scholæ Evangelicæ in Glogavia Silesiæ; Doct. *Schmidt* Sedini (Stetini); *Konewka* Consiliar. Berolini.

Paucis & minus gravibus liceat mihi adhuc Te morari, L. C. Regionem hujus operis secundum consvetam divisionem ita definire volui, ut includeret Sueciam & Norvegiam cum suis Lapponiis, atque insulas Danicas. Cum species quasdam Scandinaviæ inquilinas insimul e Grönlandia, Finlandia, Travemündia, Gryphia, Hamburgo, Helgolandia &c., obtinui, eas ea mente attuli, ut sciant Entomologi Scandinaviæ quasnam formas patria cum his terris adjacentibus vere habeat communes. Investigatio autem adcuratior entomologica insignis insulæ Helgolandiæ, Entomologis hactenus fere terræ incognitæ, a Celeb. D. *Dahlbom* 1838 instituta, præcipue fructuosa etiam quoad Dipterorum cognitionem mihi visa fuit. Messem vero aliorum Ordinum ibi factam, ipse oculatissimus Collector, ut sperare fas est, sensim & opportuno tempore per scripta aditu apertam reddet. Insecta numerosa, quæ D. *Zeller*, acutissimus & egregius Silesiæ Lepidopterologus pariter ac Dipterologus liberalitate admi-

randa quotannis e Glogavia mihi largitus est, eo majoris pretii & acceptiora habeantur, quo non solum typica sunt descriptionis clar. Auctoris, verum etiam in individuis optime conservatis data & observationibus plenis ac confidentibus allegata fuerunt.

In determinatione longitudine corporis aut singularum partium, mensura suecana, quæ pollicem in 8 lineas dividit, adhibita fuit.

Graviora errata typographica occurrentia ex. gr. in pag. 19: *Psilocehala* pro *Psilocephala*; p. 31: *Porphyropis* specеis pro *Porphyropis* speciei; pag. 117 lin. 10: tibiarumque maculis pro tibiarumque basi albis, antennarum medio ferrugineo, thoracis lineis subquinis abdominisque maculis &c.; ante lectionem libri corrigas, Human. Lector; & addas p. 257 post diagnosin *M. tarsellæ* ut synonymon: *Platypeza anomala* Meig. Dipt. 4. 9. 7. *Microphorus crassipes* Macq. Buff. 1. 316. 1. *Trichina* Meig. Dipt. 7. 78. 3.

Dabam *Lundæ* Suecorum anni ætatis meæ 57 primo die, 20 Maj 1842

J. W. Zetterstedt.

AUCTORES

citati cum explicatione abbreviationum.

Ahrens. Fn. — *Ahrensii* Fauna Insectorum Europæ cura *Germari*. Halæ 1821—1823 12:mo. Fasc. 1—8 cum. tab. color.

Ann. Ent. Franc. — Annales de la Société Entomologique de France. Paris 1832. — 8:o.

Bjerk. Act. Holm. — *Clas Bjerkander*, K. Vetenskaps Academiens i Stockholm Handlingar 1778, 1779, 1780.

Billb. Enum. — *G. J. Billberg*, Enumeratio Insector. in museo suo. Holmiæ 1820. 8:o.

Cuv. Regn. Animal. *Cuvier*, le Régne Animal distribué d'apres son organisation, avec figures. Tom. 1—3. Paris 1817. 8:o. (T. 3).

Dahlb. Skand. Ins. — *G. Dahlbom*, Skandinaviska Insekters Skada och Nytta i Hushållningen, en Handbok för Landtbrukare och Naturforskare. Lund 1837. 8:vo med kolorerade plancher.

Dalm. Analect. — *J. W. Dalman*, Analecta Entomologica. Holmiæ 1823. 4:o.

De Geer Ins. — Memoires pour servir a l'histoire des Insectes, par *Charles De Geer*. Stockholm 1752—1778; Tomi 1—7. 4:o. cum tab. æn.

Fabr. Antl. — *Joh. Christ. Fabricii* Systema Antliatorum. Brunsvigæ 1805. 4:o.

Fabr. Ent. Syst. — *J. C. Fabricii* Entomologia Systematica. Hafniæ 1792—1794. Tomi 1—4. (Tom. 4:tus).

Fabr. Suppl. — *J. C. Fabricii* Supplementum Entomologiæ Systematicæ. Hafniæ 1798. 8.

Fall. Dipt. Sv. — *Caroli Fr. Fallén* Diptera Sueciæ in Dissertat. Academ. Lundæ 1814—1827. 4:to.

Fries Hydrob. — *B. F. Fries*, Hydrobænus, K. Vet. Acad. i Stockholm Handlingar 1829.

Fries Simul. — *B. F. Fries*, Monographia Simuliarum Sueciæ in Diss. Acad. Lundæ 1824. 8:o.

Fries Tanyp. — *B. F. Fries*, Monographia Tanypodum Sueciæ in Diss. Acad. Lundæ 1823. 8:o.

Frisch Ins. — *Joh. Leonhard Frisch's* Beschreibung von allerlei Insecten in Teutschland. Tomi 1—13. Berol. 1730—1738. 4:o. cum tab. æn.

Geoffr. Ins. — *Geoffroy*, Histoire abregée des Insectes. Tomi 1—2. Paris 1800. 4:o. cum tab. æn.

Germar — vide *Ahrens*. Fn.

Gmel. Syst. Natur. *Caroli a Linné* Systema Naturæ. Edit. 13:ma cura *J. F. Gmelin*. Lipsiæ 1788—1795. Tom. 1—3. 8:o.

Guer. Icon. — *M. F. E. Guerin*, Iconographie du Régne Animal de Cuvier. Paris 1832. Insect. col.

Harr. Ins. — *Harris*, Exposition of English Insects.

Lamarck Invert. — *J. B. Lamarck*, Systéme des Animaux sans vertebrés. Paris 1801. Vol. 1. 8:o. — Ejusdem Hist. Nat. IV. Paris 1817. 8:o.

Latr. gen. Ins. — *P. A. Latreille* Genera Crustaceorum & Insectorum. Parisiis 1806—1809. Tom. 1—4. 8:o. (Tom. 4:tus).

Lehm. Diss. — *J. C. Lehmann* Diss. (in Nov. Act. cæsar, Leopold. Carol.).

Linn. Fn. Su. — *Caroli Linnæi* Fauna Suecica. Edit 2:da. Stockholmiæ 1761. 8:o.

Linn. Syst. Natur. *Carol. á Linné*, Systema Naturæ. Edit. 12:ma. Holmiæ 1766—1768. T. 1—3. 8;o (Tomi 1:mi Pars 2:da).

Loew Bemerk. — *H. Loew*, Bemerkungen über die in der Posener Gegend einheimischen Arten Zweiflügler-Gattungen. Posen 1840. 4:to.

Macq. Dipt. — Insectes Diptéres du Nord de la France, par *J. Macquart*. Lille 1826—1833. 1—5. 8:o.

Macq. Buff. — Histoire Naturelle des Insectes. Diptéres. Par *Macquart*. Paris 1834—1835. Tom. 1—2. avec figures color.

Meig. Dipt. — *Joh. Wilh. Meigen*, Systematische Beschreibung der Europæischen zweiflügeligen Insecten. Aachen und Hamm 1818—1838. 1—7 Th. mit Kupfer- und Steintafeln.

Mik. Bomb. — *J. C. Mikan*, Monographia Bombyliorum Bohemiæ icon. illustrata. Prag 1796. 8:o e. tab. 4 æn. color.

Modeer Act. Holm — *Adolph Modeer*, Oestrus, K. Vet. Acad. i Stockh. Handlingar 1786.

Oliv. Encycl. — *A. W. Olivier*, Encyclopédie méthodique, Insectes, cum tab.

Panz. Fn. — *G. W. F. Panzeri* Fauna Insectorum Germaniæ initia. Norimbergæ 1796—1809. Fasc. 1—109. cum tab. col.

Reaum. Ins. — *De Reaumur*, Memoires pour servir à l'histoire des Insectes. Amsterdam 1737—1748. Tom. 1—6. 8:o. cum tab. æn.

Roes. Fn. Etr. — *A. J. Roesel von Rosenhof,* Insecten-Belustigung. Nürnberg 1746—1761. Tom. 1—4. 4:o cum tab. col.

Ross. Fn. Etr. — Fauna Etrusca, sistens Insecta, quæ in Provinciis Florentina & Pisana collegit *P. Rossi.* Tom. 1. cum Mantissa ab *Hellwig.* Helmstadtii 1795. Tom. 2. Edit. ab *Illiger.* Helmstadtii 1807. 8:o cum tab. color.

Schæff. Icon. — *J. C. Schæfferi* Icones Insectorum Ratisbonensium. Ratisb. 1766. 4:o Vol. 1—3. cum tab. color.

Schrank Enum. — *Francisci De Paula Schrank,* Enumeratio Insectorum Austriæ indigenorum. Augustæ Vindelicorum 1781. 8:o

Schw. Oestrac. — *K. L. Schwab,* die Oestraciden Bremsen der Pferde, Rinder und Schafe. München 1840. 4:o.

Scop. Ent. Carn. — *J. A. Scopoli,* Entomologia Carniolica, exhibens Insecta Carniolæ distributa methodo Linnæana. Vindob. 1763.

Stæg. Dipt. — *C. Stæger,* Systematisk Fortegnelse over de i Danmark fundne Diptera, Culicides & Tipulariæ. Kjöbenhavn 1840.

Stæg. Dolichopodes. *C. Stæger,* Danske Dolichopoder. Dolichopodes lamelliferæ. Kjöbenhamn 1842.

Stann. Dolich. — *Hermann Stannius,* die europæischen Arten der Zweyflüglergattung *Dolichopus,* in Isis 1831.

Steph. Brit. Ent. — *J. F. Stephens* Illustrations of British Entomology. Lond. 1831. Vol. 6. 8:o (opus, quod ipse non vidi).

Wahlb. Act. Holm. — *P. G. Wahlberg,* Bidrag till Svenska Dipternas kännedom. K. Vet. Acad. i Stockh. Handlingar 1838.

Westw. Intr. — *J. O. Westwood,* Introd. T. 3. cum fig.

Wied. Zool. Magaz. *C. R. W. Wiedemann*, Zoologisches Magazin. Kiel 1817—1823. 8:o mit Kupfertafeln.

Vill. Ent. — *De Villers*, Entomologia Linnæi. Lugduni 1789. Vol. 1—4. 8:o cum tab. æn.

Zell. in Isis 1840. — *P. C. Zeller*, Beytrag zur kentniss der *Dipteren* aus den Familien: Bombylien, Anthracider und Asiliden, in Isis 1840.

Zett. Act. Holm — *J. W. Zetterstedt*, Nya Svenska Insectarter. K. Vet. Acad. Handlingar 1819.

Zett. Ins. Lapp. — — — ———— Insecta Lapponica descripta. Lipsiæ 1838—1840. Voluminis unici Fascic. 1—6. (Sect. 3:tia). 4:o.

Zett. It. Lapp. 1821 — — — ———— Resa genom Sveriges och Norriges Lappmarker år 1821. Lund 1822. 2:ne Delar 8:o.

Zett. It. Lapp. 1832 — — — ———— Resa genom Umeå Lappmarker år 1832. Örebro 1833. 8:o.

Zett. Scatoph. — — — ———— Monographia Scatophagarum Scandinaviæ in Act. Soc. Ent. Gall. Paris 1835. cum tab.

Schema FAMILIARUM

DIPTERORUM SCANDINAVIÆ.

CLASSIS 1:MA BRACHYCERA.

Antennæ articulis ad summum tribus (in *Hexatoma* Extraneorum, sex). Palpi articulis (in nostris) sæpissime duobus, rarius et vix nisi in *Xylophaginis* et *Stratiomydis* quibusdam articulis tribus.

ORDO I:MUS POLYCHOETA.

Haustellum setis in plerisque qvatuor, tantum in feminis *Tabaniorum* setis sex. Palpi normaliter basi setarum maxillarium adhærentes, interdum basi haustelli inserti. Antennarum articulus tertius (ultimus) aut simplex aut annulatus; plerumque stylo aut apicali aut nullo, interdum seta dorsali instructus. Alæ area angulari ad basin prope marginem interiorem plerumque completa. Tarsi biungviculati.

Sectio 1:ma. Antennæ articulo tertio annulato, stylo nullo aut apicali. Alæ area angulari completa. Tarsi tripulvillati.

a) Proboscis exserta Alæ divaricatæ.

FAM. 1. TABANII Latr. Fall. Meig. Macq.

b) Proboscis retracta. Alæ incumbentes.

*) Antennarum articulus ultimus 8-annulatus stylo terminali nullo. Abdomen 7-annulatum

FAM. 2. XYLOPHAGII Latr. Fam. nat. Fall. Meig. Macq.

**) Antennarum articulus ultimus 3—5-annulatus, stylo terminali. Abdomen 5-annulatum.

FAM. 3. STRATIOMYDÆ Latr. Fall. Meig. Macq.

Sectio 2:da. Antennæ articulo tertio simplici, nec annulato:

Subdiv. 1. seta stylove aut apicali, aut subapicali (in *Dolichopodibus* quibusdam dorsali), aut nullis.

*) Alarum area angularis completa.

A. Frons et vertex impressa. Abdomen 8-annulatum. Alæ incumbentes. Pedes validi.

FAM. 4. ASILICI Latr. Fall. Meig. Macq.

B. Frons et vertex non impressa. Abdomen 7-annulatum. Alæ divaricatæ. Pedes tenues.

α). Caput rotundatum.

†. Haustellum longissimum.

FAM. 5. BOMBYLIARII Latr. Fall. Meig. Macq.

††. Haustellum retractum.

FAM. 6. ANTHRACIDES Fall. (*Anthracii* Latr. Macq. *Bombyliarii* Meig. Wied.)

β). Caput subtransversum.

FAM. 7. LEPTIDES Meig. Latr. Fam. nat. Macq. (*Rhagionides* Latr. gen. — *Xylotomæ* Meig. Macq. *Anthracides* Fall.)

**) Alarum area angularis aut incompleta, scilicet relicto tantum nervo unico abbreviato; aut ad basin retracta, aut nulla.

Tribus 1. Tarsi tripulvillati.

FAM. 8. ACROCERINÆ nob. Ins. Lapp. — (*Inflatæ* Meig. Latr. gen. — *Vesiculosa* Macq. *Stratiomydæ*, Fall.)

Tribus 2. Tarsi bipulvillati. Antennæ porrectæ.

Manip 1. Abdomen 7-annulatum.

A. Haustellum horizontale.

FAM. 9. HYBOTIDÆ Macq. *Hybotinæ* Meig. nob. Ins. Lapp. — *Empidiæ* Fall.)

B. Haustellum perpendiculare aut pectori inflexum.

a). Antennæ subbi-articulatæ.

FAM. 10. TACHYDROMIDES Wied. (*Tachydromiæ* Meig. *Empides* Latr. Macq. *Empidiæ* Fall.)

b). Antennæ articulis 3 distinctis.

FAM. 11. EMPIDIÆ Fall. Meig. (*Empides* Latr. Macq.) *Manip* 2. Abdomen 6-annulatum.

FAM. 12. DOLICHOPODES Latr. Fall. Meig. (*Dolichopodii* Wied. *Dolichopoda* Macq.)

Subdiv. 2. antennarum seta dorsali, rarissime (tantum in *Callicera* et *Ceria*) terminali. Alarum area angularis semper manifesta.

FAM. 13. SYRPHICI Fall. Meig. (Syrphiæ Latr. *Syrphidiæ* Wied. *Syrphidæ* Macq.)

ORDO II:DUS DICHOETA.

Haustellum setis duabus. Palpi normaliter basi haustelli inserti. Antennarum articulus tertius simplex, sæpissime patellatus, seta dorsali, rarissime terminali aut nulla, Alæ area angulari plerumque nulla l. saltem ad infimam basin alæ retracta, rarissime in marginem interiorem descendente. Tarsi ungvibus aut 2 simplicibus, aut ternatis.

SECT. I:MA ATHERICERA Macq.

Haustellum proboscide distincta sæpissime instructum. Tarsi ungvibus 2 simplicibus.

Subd. 1. Alarum area angularis distincta (in genere *Stachynia* vix ulla, et in *Pipunculis* qvibusdam obsoletissima).

A. Seta antennarum nulla.

FAM. 14. SCENOPINII Fall. Meig. Macq. (*Stratiomydæ* Latr. Fam. nat.)

B. Seta antennarum adest:

α). terminalis.

*). Caput non vesiculosum. Haustellum retractum. Ocelli 3.

FAM. 15. PLATYPEZINÆ Fall. Meig. Macq. (*Dolichopodes* Latr.)

**) Caput vesiculosum. Haustellum elongatum, exsertum. Ocelli nulli.

FAM. 16. CONOPSARIÆ Latr. Fall. Meig. Macq.

β.) dorsalis (*Ulidia*, ore aliter constructo, in Fam. 31 *Ortalidum* quærenda).

FAM. 17. MYOPARIÆ Macq. (*Conopsariæ* Meig. Fall.)

FAM. 18. PIPUNCULINI nob. Ins. Lapp. (*Cephalopsida* Latr. Regn. an. — Macq. *Megacephala* Meig. *Syrphici* Fall).

Subd. 2. Alarum area angularis nulla l. ad basin valde retracta (in *Ulidia* area angularis adest). Seta antennarum dorsalis (in *Lonchoptera* subterminalis; hoc vero genus in Fam. 37 *Phytomyzidum* quærendum).

a). Os clausum; proboscide deficiente aut spuria.

FAM. 19. OESTRIDES Latr. Macq. (*Oestracides* Meig. Zett. Ins. Lapp. — *Hæmatomyzides* Fall.)

b.) Os apertura perspicua; proboscide distincta (In *Hæmatomyzidibus* capitulum proboscideum vix ullum.)

Tribus 1. Oculi oblongi. Os sæpissime mystaceum. Ocelli in vertice 3. Squama sub alis duplicata, magna, interdum mediocris, rarius minor, halteres plerumque obtegens.

Phal. 1. Alæ divaricatæ (in *Muscariis* quibusdam incumbentes). Nervus longitudinalis 4:tus magis l. minus curvatus seu angulatim flexus; aut ante apicem alæ aut in apice cum nervo costali conjunctus (hinc formatur area discoidalis prima, ad apicem alæ aut sæpius conclusa, aut anguste aperta). Squamæ magnæ, halteres plerumque occultantes.

*) Haustellum elongatum, absque labiis proboscidis distinctis.

FAM. 20. HÆMATOMYZIDES Fall. (*Stomoxydiæ* Wied. *Tachinariæ*, *Musciæ*, *Dexiariæ* Macq.)

**) Haustellum retractum, labiis proboscidis manifestis. Antennæ deflexæ, seta bi-vel tri-articulata. Thorax dorso sutura transversa. Volatus plerumque rapidissimus. Ova aut in cadaveribus, aut in larvis aliorum insectorum deponuntur. *Creophilæ* Latr. Macq. *Calypteratæ* Robineau Desv. — *Calypteræ* Meig.

α). Antennarum seta nuda aut brevissime pubescens (*Dexia* in Fam. 23 *Dexiariarum* quærenda).

FAM. 21. TACHINARIÆ Meig. Suppl. Macq. (*Ocypteratæ* et *Gymnosomeæ* Macq. *Rhizomyzides* Fall. Zett. Ins. Lapp. — *Muscides* ad partem Latr. Fall. Meig. Zett. *Muscidiæ* Wied.)

FAM. 22. PHASIARIÆ nob. (*Phasianeæ* Macq. Meig. Suppl. — *Rhizomyzides* Fall. Zett. Ins. Lapp. — *Muscides* ad partem Meig. Zett.)

β). Antennarum seta plumata. Abdomen 4-annulatum.

*). Seta tota plumata. Corpus subcylindricum.

FAM. 23. DEXIARIÆ Macq. Meig. Suppl. (*Muscæ* species Fall. Meig. Zett. Ins. Lapp.)

**) Seta plumata, apice nuda.

FAM. 24. SARCOPHAGARIÆ nob. (*Sarcophagii* Macq. Meig. *Sarcophaga* Meig. Zett. Ins. Lapp. — *Muscæ* species Fall.)

***) Seta tota plumata. Corpus ovatum.

FAM. 25. MUSCARIÆ nob. *Muscides* Latr. Fall. Meig. Zett. Ins. Lapp. — *Musciæ* Macq. *Muscidiæ* Wied. *Muscinæ* Meig. Suppl.)

Phal. 11. Alæ incumbentes aut divaricatæ. Nervus longitudi-

nalis 4:tus pone apicem alæ cum nervo costali conjunctus; (hinc nervi longitudinales tertius qvartusque paralleli formant aream discoidalem ad apicem semper apertam). Squamæ mediocres aut minores, halteres non obtegentes. *Larvæ* intra plantarum partes vivunt.

FAM. 26. ANTHOMYZIDES Meig. Suppl. (*Anthomyzidæ* Latr. Regn. an. — Macq. *Mesomydæ* Rob. Desv. — *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. — *Anthomyia* Meig. Dipt. Eur. — *Muscæ* species plurimæ Fall.)

Tribus 2. Oculi rotundi aut horizontaliter ovati, in fronte sæpissime late distantes in utroque sexu. Os aut nudum aut mystaceum. Vibrissæ nullæ. Alæ absque nervo transverso seu obliquo ad apicem. Nervi 2 longitudinales in marginem interiorem descendunt. Squama parva, spuria aut nulla. *Acalypteræ* Macq. Meig. Suppl.

a) Palpi dilatati (*Cordyluræ* species palpis dilatatis in Fam. 29 *Scatomyzidum* quærendæ).

FAM. 27. EPHYDRINÆ nob. Ins. Lapp. (*Hydromyzides* Fall. Macq. *Hydrellidæ* Rob. D.)

b). Palpi filiformes (in *Cordyluræ* speciebus extrorsum dilatati aut subdilatati).

*). Alæ nervis transversis instructæ:

†. in disco sæpissime distantibus.

α). Antennæ apice angulatæ l. dilatatæ.

FAM. 28. OCHTIPHILINÆ nob. Ins. Lapp. (*Ochtidiæ* Fall. *Piophilidæ* Macq.)

β). Antennæ apice truncatæ. Os mystaceum.

FAM. 29. SCATOMYZIDES Fall. (*Scatomyzidæ* Latr. Regn. an. — Macq. *Malacozomæ* Rob. Desv. — *Cordyluridæ* Macq. *Palomydæ* Rob. Desv.)

γ.) Antennæ apice rotundatæ.

Divis. 1. Os nudum (seta mystacina nulla).

Subdiv. 1. Alarum nervus auxiliaris plerumque ad medium costæ extensus.

FAM. 30. SCIOMYZIDES Fall. (*Scatomyzidæ* Latr. Regn. an. — Macq. *Malacosomæ* Rob. D. — *Dolichocera* Latr. Regn. an. — Macq. *Palomydæ* Rob. Desv.)

FAM 31. ORTALIDES Fall. (*Ortalideæ* Macq. *Scatomyzidarum*, *Cordyluridarum*, *Psilomydarum*, *Tephritidarum*, *Sepsidearum*, *Ulidinorum* *Lauxanidarumque* genera Macq. Svit. a Buff. — *Carpomyzæ* Latr. Regn. an.)

Subdiv. 2. Alarum nervus auxiliaris subsimplex vix ad medium costæ extensus.

FAM. 32. OPOMYZIDES Fall. (*Loxoceridarum*, *Cordyluridarum*, *Psilomydarum*, *Leptopoditarum*, *Piophilidarumque* genera Macq. *Scatomyzidarum* genera Macq. *Scatomyzidarum* genera Latr. Regn. an.)

Divis. 2. Os sæpissime mystaceum.

Manip 1. Alarum nervus auxiliaris ad medium costæ sæpius extensus. Setæ mystacinæ plerumque plures.

FAM. 33. HETEROMYZIDES Fall. (*Scatomyzidarum*, *Psilomydarum*, *Ulidinorum*, *Piophilidarum*, *Sphærocéridarumque* genera Macq.)

Manip 2. Alarum nervus auxiliaris simplex brevissimus vix ultra quartam costæ partem extensus. Seta mystacina utrinque unica.

FAM. 34. GEOMYZIDES Fall. (*Piophilidarum* et *Heteromyzidarum* genera Macq.)

††. nervis transversis sæpius aut in disco approximatis aut ad basin alæ congestis (in *Gymnopa*, *Heteroneura*, *Therina*, *Anthophilina*, *Leucope* et *Milichia* plus minus remotis). Antennarum seta subnuda.

Phal. 1. Os nudum. Nervi transversi in disco plus minus approximati.

FAM. 35. OSCINIDES Fall. *Heteromyzidarum* genera Macq.

Phal. 2. Os sæpius mystaceum.

a). Nervi transversi in disco approximati.

FAM. 36. AGROMYZIDES Fall. (*Heteromyzidarum* genera Macq.)

b). Nervi transversi ad basin alæ retracti.

FAM. 37. PHYTOMYZIDES Fall. (*Lonchopterinæ* Macq. *Heteromyzidarum* genera Macq.)

**.) Alæ nervis transversis nullis.

FAM. 38. TRINEURIDES nob. Ins. Lapp. — (*Hypocera* Latr. Regn. an. — Macq. *Trineuræ* Meig. *Phytomyzidum* genus Fall.)

SECT. II:DA PUPIPARA Latr. Regn. an. — Macq.

Haustellum pseudopalpis duobus supertectum absque proboscide (terminali). Tarsi ungvibus quasi duplicatis l. ternatis.

FAM. 39. CORIACEÆ (*Eproboscideæ*) Latr. gen. — Macq. (*Hæmatomyzides* Fall. *Omalopteræ* Leach. *Hippoboscædes* Billb.)

Obs. Familia *Phthiromyiarum* Latr. melius forsitan inter Insecta Aptera numeratur.

CLASSIS 2:DA NEMOCERA.

Latr. Fam. nat. — Macq. Stæg. *Tipulariæ* Auctor.

Antennæ articulis ad minimum sex (6—16, rarius ultra usque ad 20). Palpi articulis qvatuor aut quinque. Caput parvum. Thorax elevatus. Halteres nudi. Tarsi biungviculati. Abdomen 7—8—annulatum.

A. Alata.

Sect. 1. Alarum nervus interior marginalis nullus. (*Psychoda* et aliquot *Chironomiorum* species, nervo interiori marginali parum conspicuo, in Sectione 2:da quærendæ.) Antennæ crassiusculæ, sæpius breves. Abdomen 8-annulatum. Alæ incumbentes. Pedes minus elongati, interdum validiusculi. *Muscidiæ* Wied. *Tipulariæ florales* Latr. Macq. *Tipulariæ Muscæformes* et *Latipennes* Meig.

Subdiv. prima. Antennæ porrectæ breves, longitudine circiter capitis vel paullo ultra, sæpissime crassiusculæ. Oculi nigri, maribus plerumque in fronte contigui, feminis distantes.

Phal. I. Ocelli 3. Alarum nervi longitudinales 3—4 marginem interiorem attingunt.

FAM. 40. HIRTEIDES Billb. nob. Ins. Lapp.

FAM. 41. SCATOPSIDES nob. Ins. Lapp.

Phal. II. Ocelli nulli. Alarum nervi longitudinales 6 marginem interiorem attingunt.

FAM. 42. SIMULIDES nob. Ins. Lapp.

Subdivis. secunda. Antennæ subelongatæ, capite scilicet subduplo longiores.

FAM. 43. RHYPHII nob. Ins. Lapp.

Sect. 2. Alarum nervus interior marginalis adest (in *Psychoda* et aliquot *Chironomiorum* speciebus haud perspicuus). Antennæ semper elongatæ (capitis nempe thoracisque sæpe fere longitudine, aut illis longiores), graciles. Pedes longi, tenues, a trunco facillime divellendi. Omnes corporis partes valde fragiles.

Phal 1. Ocelli nulli (in *Campylomyia*, *Sciara*, *Zygoneura*, *Lestremia* et *Pachyneura* ocelli 3.)

Tribus 1. Oculi reniformes. Lamina pectoralis sæpius distincta.

*) Haustellum porrectum antennis longius, tenue, setis sex. Palpi recti. Antennæ maribus plumosæ.

FAM. 44. CULICIDES Latr. Fam. nat. — Macq. (*Tipulariæ Culiciformes* ad partem, Meig. *Culicinæ* Zett. Ins. Lapp.)

**). Haustellum antennis brevius, crassiusculum, setis duabus. Palpi incurvi, plerumque 4-articulati. Oculi in utroque sexu fronte sæpissime sejuncti.

α). Antennæ in masculis plumosæ (in *Macropeza* pubescentes).

FAM. 45. CHIRONOMII nob. Ins. Lapp. (*Tipulariæ Culiciformes* Meig. Macq. Stæg.)

β.) Antennæ in masculis non plumosæ. Alæ nervis transversis vix ullis. Palpi incurvi:

*). quadriarticulati. Abdomen 8-annulatum,

†. Alæ paucinerviæ. Corpus pubescens.

FAM. 46. CECIDOMYZIDES nob. Ins. Lapp. (*Tipulariæ Gallicolæ* ad partem, Meig. Latr. Macq.)

††. Alæ multinervosæ. Corpus dense villosum.

FAM. 47. PSYCHODIDES nob. Ins. Lapp. (*Tipulariæ Gallicolæ* ad partem, Macq. *Tipulariæ Noctuæformes* Meig.)

**). Palpi triarticulati. Abdomen 7-annulatum.

FAM. 48. SCIARINÆ nob. Ins. Lapp. — (*Tipulariæ Fungicolæ* et *Gallicolæ* Meig. Macq. *Tipulariæ Lugubres* Meig.)

Tribus 11. Oculi rotundati (nec lunati), in utroque sexu in fronte remoti. Antennæ non plumosæ. *Larvæ* terricolæ.

FAM. 49. TIPULIDES nob. Ins. Lapp. (*Tipulariæ rostratæ* Meig. *Tipulariæ terricolæ* Latr. Macq. Stæg.)

Phal. 2. Ocelli 3 aut 2 (in *Dixa*, *Corynocera* et *Cordyla* ocelli nulli). Oculi in utroque sexu fronte sejuncti. Abdomen 7-annulatum. Alæ incumbentes. Coxæ plerumque elon-

gatæ. Tibiæ apice sæpissime distincte bicalcaratæ. *Larvæ* fungicolæ.

FAM. 50. MYCETOPHILINÆ nob. Ins. Lapp, (*Tipulariæ fungicolæ* Meig. Latr. Macq.)

B. Alis in utroque sexu destituta.

FAM. 51. CHIONEIDES nob. (*Tipulariæ Terricolæ* Macq.)

DISPOSITIO SYNOPTICA

DIPTERORUM SCANDINAVIÆ.

CLASSIS 1:MA BRACHYCERA

ORDO 1:MUS POLYCHOETA.

FAM. 1. TABANII. Latr.

Antennæ porrectæ, basi approximatæ, triarticulatæ (in nostris), articulo ultimo apice subannulato, stylo terminali nullo. Ocelli nulli aut 3. Oculi in vivis sæpissime pulchre picti. Haustellum setis 6 (♀), vel 4 (♂). Proboscis et palpi (in nostris biarticulati), exserta. Corpus magnum pubescens. Abdomen segmentis 7. Alæ divaricatæ. Squama integra, distincta. Tibiæ intermediæ apice bicalcaratæ. *Larvæ* apodæ, elongatæ, cylindricæ, griseæ, segmentis 12. *Pupæ* nudæ, sub terra declarationem exspectant. *Imagines* media æstate florent, feminæ sangvisugæ, mares interdum floricolæ. *Differentia sexus* perspicua; *mas*: oculis in fronte connexis, abdomine versus apicem angustato, palpis horizontalibus, apice obtusis, haustello setis 4, etc. a *femina*: oculis disjunctis, abdomine postice parum angustato, palpis cum proboscide pendulis, conicis s. apice acutis, et haustello setis 6, mox dignoscitur.

1. *Tabanus* Linn. Fabr. Latr. Meig. Fall. Macq.

Proboscis brevis. Antennarum articulus tertius 5-annulatus, ad basin excisus. Ocelli nulli. Alarum area angularis retracta, nec ad marginem interiorem alæ nisi apice elongato descendens.

2. *Hæmatopota* Meig. Latr. Fabr. Fall. Macq. *Tabanus* Linn. Panz.

Antennarum articulus tertius subulatus, 4-annulatus. Ocelli nulli. Alarum area angularis acuto angulo usque in summum marginem interiorem descendens.

3. *Chrysops* Meig. Latr. Fabr. Fall. Macq. *Tabanus* Linn. Deg. Panz.

Antennæ cylindricæ, articulis 1 et 2 æqvaliter longis, tertio 5-annulato. Ocelli 3. Alarum area angularis apice subaperta.

FAM. 2. XYLOPHAGII Latr.

Antennæ porrectæ, basi approximatæ, apice acutæ, articulo ultimo elongato cylindrico, 8-annulato, annulis subæqualibus; stylo terminali nullo. Ocelli 3. Haustellum in utroque sexu setis 4. Proboscis retracta. Corpus medium. Scutellum muticum aut spinosum. Abdomen segmentis 7. Alæ incumbentes. Pedes simplices nudi. *Larvæ* in ligno putrido degunt. *Imagines* vernales l. æstivales, aut truncis arborum insidentes qviescunt, aut in floribus versantur. *Sexus* dignoscitur vel ex oculis cohærentibus in *mare*, vel ex segmentis analibus in *femina* vaginatis.

4. *Xylophagus* Meig. Fabr. Latr. Macq. *Nemotelus* Deg. *Empis* Panz. *Subula* Megerle.

Palpi clavati. Corpus angustatum. Scutellum inerme. Tibiæ calcaratæ. Alarum nervi 4 longitudinales, præter aream angularem acutam, in marginem interiorem alæ descendentes.

5. *Sicus* Fabr. Fall. *Coenomyia* Latr. Meig. Macq. *Tabani* species Fabr. *Stratiomys* Panz.

Palpi cylindrici. Corpus oblongo-ovatum, robustum. Scutellum bidentatum. Tibiæ calcaratæ. Alarum nervi 4 longitudinales, præter aream angularem subretractam, in marginem interiorem alæ descendentes.

6. *Beris* Latr. Meig. Macq. *Musca* Linn. *Stratiomys* Fabr. Panz. Fall. *Xylophagus* Latr.

Palpi extrorsum sublatiores. Corpus oblongum. Scutellum multispinosum. Tibiæ muticæ (apice non calcaratæ). Alarum nervi 3 longitudinales, præter aream angularem subrectangulam longe rectractam, in marginem interiorem alæ descendentes.

FAM. 3. STRATIOMYDÆ Latr.

Antennæ porrectæ, basi approximatæ, articulo ultimo 3-5-annulato, annulis subæqualiter longis; apice aut seta elongata aut stylo brevissimo terminato. Proboscis labiis crassis, palpique basi proboscidis inserti, sæpissime clavati, retracta. Ocelli 3. Corpus magnnm, medium aut minus. Scutellum muticum aut spinosum. Abdomen latiusculum, depressum, 5-annulatum. Alæ incumbentes, tenuiter et obsolete nervosæ, nervo interiori marginali nullo. Area discoidalis breviter ovata, 3 aut 4 nervos in marginem interiorem alæ emittens, summum tamen marginem vix attingentes. Squama parva. Pedes breviusculi, simplices, mutici, pubescentes. *Larvæ*, quot cognitæ, aut in aqva aut in ligno putrido degunt. *Imagines* in floribus, foliis fruticum et graminosis, sæpe locis humidis versantur. *Differentia sexus* ex oculis vel contiguis vel distantibus plerumque concluditur.

*) Scutellum armatum, bidentatum.

7. *Stratiomys* Geoffr. Deg. Fabr. Latr. Meig. Fall. Macq. *Musca* Linn. *Odontomyia* Latr. Meig. Macq.

Corpus ovato-oblongum. Antennarum articulus tertius subfusiformis, 5-annulatus, stylo terminali brevissimo aut nullo. Alarum areola discoidalis 3-4 nervulos emittens, non usque ad summum marginem interiorem descendentes.

8. *Oxycera* Meig. Latr. Macq. *Musca* Linn. *Stratiomys* Fab. Panz. Fall.

Corpus oblongum. Antennarum articulus tertius filiformis, 4-annulatus, stylo elongato aut terminali aut subterminali. Alarum areola discoidalis 4 nervulos emittens, vix in summum marginem interiorem extensos.

**) Scutellum muticum.

9. *Nemotelus* Geoffr. Fabr. Antl. — Panz. Latr. Fall. Macq. *Musca* Linn. *Stratiomys* Fabr. Ent, — Rossi.

Corpus oblongum. Antennarum articulus tertius fusiformis, 4-annulatus, stylo terminali brevi. Epistoma (hypostoma Meig.) porrectum, conicum. Alarum areola discoidalis 4 nervulos emittens, fere in summum marginem interiorem descendentes.

10. *Pachygaster* Meig. Fall. Macq. *Nemotelus* Panz. *Vappo* Fabr. Latr.

Corpus ovatum. Antennarum articulus tertius globosus, 4-annulatus, seta terminali. Epistoma declive. Alarum areola discoidalis 3 nervulos obsoletissimos emittens fere usque in marginem interiorem descendentes.

11. *Chrysomyia* Macq. *Sargus* Fabr. Latr. Fall. Meig. *Nemotelus* Deg. *Musca* Linn.

Corpus oblongum, abdomine ovali. Antennarum articulus tertius ellipticus, 4-annulatas, seta terminali. Alarum areola discoidalis 4 nervulos obsoletos emittens, vix in summum marginem interiorem extensos. Ocelli in vertice approximati. Oculi in mare supra antennas cohærentes.

12. *Sargus* *) Fabr. Latr. Meig. Fall. Macq. *Nemotelus* Deg. *Musca* Linn.

*) *Sargus* est etiam nomen *piscis* Cuv.

Corpus elongatum, abdomine antice paullo angustato. Antennarum articulus tertius suborbicularis, 4-annulatus, seta subterminali. Alarum areola discoidalis 4 nervulos distinctiores emittens, fere usque in summum marginem interiorem extensos. Ocelli in fronte locati; anticus distans. Oculi in utroque sexu distantes.

FAM. 4. ASILICI Latr.

Antennarum articulus ultimus elongatus. Epistoma barbatum. Frons et vertex impressa. Haustellum validum, breve, horizontaliter porrectum aut obliquum. Oculi in utroque sexu distantes. Corpus magnum aut medium; hirsutum. Abdomen 8-annulatum. Alæ incumbentes. Pedes sæpissime validi, spinosi. *Larvæ* apodæ, cylindricæ, glabræ, in terra metamorphosin subeunt. *Imagines* rapaces, silvas & loca arida inhabitant, alia insecta minora infestantes. *Differentia sexus; mas:* ano biungulato; *femina:* ungulis analibus nullis.

Subd. 1. tarsis pulvillatis.

α). Antennæ stylo apicali nullo. Tibiæ posticæ incurvæ.

13. *Laphria* Fabr. Meig, Latr. Fall. Macq. Zell. *Asilus* Linn. Geoff. Schr. Deg. Ross. Panz.

Haustellum horizontale. Antennarum articulus tertius obtusus. Alarum nervi 4 longitudinales et area angularis valde acuta, in summum marginem interiorem descendentes.

β.) Antennæ apice stylatæ, stylo biarticulato. Tibiæ rectæ.

14. *Asilus* Linn. Geoffr. Deg. Fabr. Rossi. Panz. Meig. Latr. Wied. Fall. Macq. Zell. *Erax* Scopoli,

Haustellum obliquum, Antennarum stylus terminalis elongatus, subsetaceus. Tibiæ crebre spinulosæ. Alarum nervi 4 longitudinales et area angularis acutangula, in marginem interiorem excurrentes.

15. *Dasypogon* *) Meig. Fabr. Latr. Fall. Wied. Macq. Zell. *Asilus* Linn. Geoffr. Ross. Panz.

Haustellum obliquum. Antennarum stylus terminalis brevis. Tibiæ pilosæ et spinulosæ. Alarum nervi 3 longitudinales et areæ duæ basales acutangulæ, in marginem interiorem exeurrentes.

16. *Dioctria* Meig. Fabr. Latr. Fall. Macq. Zell. *Asilus* Linn. Geoffr. Deg. Schrank. Rossi.

Haustellum subhorizontale. Antennarum stylus terminalis brevis, obtusus. Tibiæ parce spinulosæ, posticæ intus villosæ seu ciliatæ. Alarum nervi 5 longitudinales et area angularis acuta, in marginem interiorem excurrentes.

Subd. 2. tarsis non pulvillatis.

17. *Leptogaster* Meig. Fall. Wied. Macq. Dipter. Zell. *Asilus* Deg. Fabr. Ent. — *Dasypogon* Fabr. Antl. — *Gonypes* Latr. Macq. Buff.

Haustellum horizontale. Antennarum stylus terminalis elongatus. Pedes inermes, glabriusculi, tibiis rectis. Alarum nervi 6 longitudinales et area angularis aperta, in marginem interiorem excurrentes.

FAM. 5. BOMBYLIARII Latr.

Antennarum articulus ultimus secundo multo longior, seta terminali nulla. Palpi articulo unico distincto. Caput thorace humilius, rotundatum. Frons & vertex subconvexa. Haustellum horizontaliter porrectum, longissimum, tenue, proboscide subcylindrica, augusta, elongata, apice bifida. Corpus majusculum, medium, parvum; obovatum. Abdomen 7-annulatum. Alæ expansæ, squama simplici, parva. Pedes

---

*) *Dasypogon* est quoque nomen plantæ generis, Brown.

tenues, simplices. *Larvæ* rhizophagæ, sub terra degunt. *Imagines* floricolæ; sole urente vivacissimæ. *Sexus* oculorum connectione vel distantia facile dignoscitur.

18. *Bombylius* Linn. Deg. Scop. Schr. Fabr. Ross. Panz. Mik. Meig. Latr. Fall. Macq. Zell. *Asilus* Geoffr.

Antennarum articulus primus elongatus. Palpi cylindrici. Haustellum longitudine corporis. Alarum nervi 3 longitudinales areaque angularis subobtusa, subaperta, in marginem interiorem decurrentes. Corpus magnum, villosum. Abdomen late ovatum.

19. *Phthiria* Meig. Latr. Macq. Zell. *Volucella* Fabr. Fall.

Antennarum articulus primus brevis. Palpi clavati. Haustellum longitudine capitis thoracisque simul sumtorum. Alarum nervi 4 longitudinales areaque angularis acutissima occlusa, in marginem interiorem decurrentes. Corpus parvum, parce villosum. Abdomen oblongum.

FAM. 6. ANTHRACIDES Fall.

Antennæ porrectæ, prope ad os insertæ, breviusculæ, articulo ultimo plerumque conico, stylo terminali sæpissime uniarticulato, elongato aut brevi. Caput rotundatum. Frons & vertex subconvexa. Os proboscide (in nostris) retracta. Palpi basi haustelli inserti, uniarticulati. Ocelli 3. Oculi nudi, ænescentes, unicolores. Corpus majoris magnitudinis aut medium; hirsutulum. Abdomen segmentis 7. Alæ divaricatæ, in *Thereva* subincumbentes. Pedes simplices, spinulosi. Tarsi bipulvillati. *Larvæ* in terra degere, & radices plantarum consumere putantur; sed larvæ quarumdum sine dubio parasitæ vivunt. *Pupæ* sub lapidibus inventæ. *Imagines* locis aridis, libenter arenosis versantur, mel florum appetentes. *Sexus* differt; *mas:* genitale hamato abscondito, ano obtuso; *femina:* ano acutiori, oculis in fronte magis vel minus distantibus.

20. *Anthrax* Scop. Fabr. Panz. Meig. Latr. Fall. Macq. Zell. *Musca* Linn. Geoffr. Schr. *Nemotelus* Deg. *Bibio* Rossi.

Corpus obtuse ovatum, subdepressum. Antennæ basi remotæ, articulo primo cylindrico, ultimo subrotundato aut breviter conico. Oculi reniformes, in utroque sexu distantes. Alæ expansæ. Nervi quatuor areaque angularis non arcte conclusa marginem interiorem attingentes. Nervi longitudinales tertius qvartusque (a costa numerati) juxta apicem alæ distincte curvati.

21. *Lomatia* Meig. Macq. Zell. *Stygia* Meig. Latr. *Anthrax* Fabr. Panz. *Musca* Gmel.

Corpus oblongum. Antennæ approximatæ, articulo primo apice dilatato, ultimo conico, stylo brevissimo. Oculi reniformes, in ♂ connexi. Alæ divaricatæ. Nervi qvinque areaque angularis subaperta marginem interiorem attingentes. Nervi longitudinales tertius quartusque (a costa) juxta apicem alæ curvati.

22. *Thereva* Latr. Meig. Macq. *Musca* Linn. *Tabanus* Geoffr. *Nemotelus* Deg. Oliv. *Bibio* Fabr. Ross. Panz. Fall.

Corpus cylindrico-conicum. Antennæ approximatæ, articulo primo cylindrico, ultimo elongato, conico, stylo brevissimo, an biarticulato? Oculi integri, in ♂ cohærentes. Facies et epistoma villosa vel pubescentia. Alæ subincumbentes. Nervi quinque areaque angularis acutangula marginem interiorem attingentes. Nervi longitudinales tertius quartusque (a costa) juxta apicem alæ parum curvati.

23. *Psilocehala* nob. *Bibio* Fall. *Thereva* Meig. Macq.

Corpus cylindrico-conicum &c. &c. (omnino ut in *Thereva*). Facies et epistoma brevissimum, nuda.

FAM. 7. LEPTIDES Meig.

Antennæ porrectæ, basi approximatæ, seta terminali aut subterminali plerumque capillari, elongata, arcuata, in *Ptiolina* valida, brevi, recta. Caput subtransversum. Frons & vertex subplana, saltem non impressa. Os proboscide crassa palpisque biarticulatis, sericeo-pilosis; prominentibus. Ocelli 3. Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum aut conicum, tenuiter pubescens. Abdomen segmentis 7. Alæ divaricatæ, nervis subqvinis, præter aream angularem, marginem interiorem attingentibus. Pedes elongati, tenues, pubescentes, mutici, tibiis posterioribus apice bicalcaratis. Pulvilli 3. *Larvæ* cylindricæ, apodæ, capite parvo, corneo, in terra degunt. *Pupæ* cylindrico-conicæ, nudæ, posterius spinulosæ. *Imagines* in foliis fruticum, in graminosis & truncis arborum viventium versantur. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte conniventibus & ano obtuso; *femina:* oculis distantibus & ano acuto.

24. *Leptis* Fabr. Ross. Panz. Meig. Fall. Latr. Fam. nat. — Macq. *Rhagio* Latr. gen. *Musca* Linn. Schr. *Nemotelus* Deg.

Antennarum articulus ultimus conicus aut subrotundatus, seta apicali. Palpi conici, proboscidi incumbentes. Alarum area angularis aperta.

25. *Chrysopila* Macq. *Leptis* Meig. Fabr. Fall. Latr. Fam. nat. — *Rhagio* Fabr. Latr. gen. *Atherix* Fabr. Antl.

Antennarum articulus ultimus subconicus aut rotundatus, seta apicali. Palpi cylindrici, recurvati. Alarum area angularis conclusa, angulo acuminato ad marginem interiorem descendens.

26. *Atherix* Meig. Fabr. Panz. Latr. Macq. *Leptis* spec. Fabr. Fall. *Bibio* Fabr.

Antennarum articulus ultimus subreniformis, seta subdorsali. Palpi subelevati. Alarum area angularis subconclusa, angulo subacuto ad marginem interiorem descendens.

27. *Ptiolina* Stæg. *Atherix* Meig. *Leptis* Fall. Zett. Ins. Lapp.

Antennarum articulus ultimus ovalis, seta apicali, brevi, crassiuscula. Palpi subelevati. Alarum area angularis conclusa, angulo acuto fere ad marginem interiorem descendens.

FAM. 8. ACROCERINÆ nob.

Antennæ parvæ, bi- aut tri-? articulatæ, seta stylove apicali. Caput parvum, rotundatum. Haustellum in nostris brevissimum. Oculi magni, (in nostris) nudi. Ocelli 3. Abdomen magnum 5-annulatum. Alæ divaricatæ. Pedes breviusculi, validi, simplices. *Metamorphosis* ignota. *Imagines* flores visitant. *Differentia sexus* in partibus externis vix quærenda.

28. *Acrocera* Meig, Latr. Macq. *Nemotelus* Schæff. *Syrphus* Panz. *Henops* Fabr. Fall.

Corpus subglobosum. Caput minutissimum. Antennæ verticinæ, biarticulatæ, seta apicali elongata. Os occultum. Alæ paucinerves, nervo tertio longitudinali ad apicem furcato. Squama sub alis magna.

29. *Henops* Meig. Fabr. Fall. *Musca*. Linn. *Syrphus* Panz *Ogcodes* Latr. Macq.

Corpus subglobosum. Caput minutissimum. Antennæ margini superiori oris insertæ, biarticulatæ, stylo apicali elongato. Os occultum. Alæ paucinerves, nervo tertio longitudinali simplici. Squama sub alis magna.

30. *Sphærogaster* nob. *Platygaster* *) Ins. Lapp.
Corpus minutum, ovatum, crassum, abdomine suborbiculari, depresso. Caput mediocriter magnum. Antennæ frontis medio insertæ, triarticulatæ? stylo apicali brevissimo, crassiusculo. Haustellum longitudine capitis horizontaliter porrectum. Alarum area discoidalis nervulos 4 subobsoletos emittens, in summum marginem interiorem descendentes. Squama sub alis minutissima.

FAM. 9. HYBOTIDÆ Macq.

Antennæ porrectæ, basi approximatæ, articulis basalibus subunitis, ultimo seta aut stylo, terminali, in *Ocydromia* subdorsali. Caput parvum, subglobosum. Epistoma imberbe. Ocelli 3 in triangulum dispositi. Oculi nudi, unicolores. Haustellum horizontaliter porrectum, breve. Palpi articulo unico distincto. Corpus parvum, oblongum. Thorax gibbus. Abdomen tenue, 7-articulatum. Alæ in quiete incumbentes, parallelæ. Nervi longitudinales omnes simplices; 2 aut 3 marginem interiorem attingunt. Areæ: discoidalis unica, subovata; angularis ad basin retracta. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis contiguis, ano crassiori, obtuso; *femina:* oculis interdum paullo distantibus, ano acutiori. Habitus Empidiarum.

31. *Hybos* Meig. Fabr. Latr. Fall. Macq. *Empis* Fabr. Ent. Syst. *Acromyia* Bonelli.

Antennarum articulus ultimus breviter conicus, seta apicali, capillari. Haustellum exsertum. Alarum areæ: angularis retracta; discoidalis nervulos 2 ex angulis rectis in marginem interiorem emittens. Femora postica subclavata, subtus spinulosa.

---

*) Nomen: *Platygaster* in Hymenopterorum Ordinem a D. *Latreille* jam introductum, in Dipterorum ergo non usurpandum.

32. *Ocydromia* Hoffmansegg. Meig. Latr. Fam. nat. Macq. *Empis* Fall.

Antennarum articulus ultimus lenticularis, seta subdorsali, capillari. Haustellum suboccultum. Alarum area discoidalis nervulos 2 absque rudimento tertii, ex angulis subrectis in marginem interiorem emittens. Pedes aut omnes simplices, aut postici raro tibiis versus apicem incrassatis; tibiis anticis latere interiore prope basin denticulo minuto semper armatis. Oviductus feminæ occultus.

33. *Leptopeza* Macq. *Ocydromia* Meig. Zett. Ins. L.

Antennarum articulus ultimus oblongo-conicus, seta apicali, capillari. Haustellum brevissimum. Alarum area discoidalis nervulos 2 sæpe cum rudimento tertii ex angulis subrectis in marginem interiorem emittens. Pedes omnes simplices, tibiis anticis muticis. Oviductus feminæ exsertus.

34. *Oedalea* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Empis* Fall.

Antennæ 3-articulatæ, articulis 2 basalibus distinctis, brevibus, ultimo elongato, subuliformi, stylo apicali brevissimo. Haustellum capite transverso duplo brevius. Palpi dilatati, compressi, haustello incumbentes. Alarum area discoidalis trapeziformis, nervulos 3, plerumque integros, in marginem interiorem emittens. Pedes postici anterioribus paullo longiores, femoribus subincrassatis, subtus plerumque spinulosis.

35. *Anthalia* nob. Ins. Lapp.

Antennæ fere longitudine capitis transversi, 3-articulatæ, articulis 2 basalibus brevissimis sub-unitis, ultimo ovato, compresso, seta l. stylo apicali nullo. Haustellum fere longitudine capitis; in *A. rostrata* &c. capite

longius. Palpi minutissimi, haustello incumbentes, setulosi. Alarum area discoidalis trapeziformis, nervulos 3, aut integros, aut medium abbreviatum, in marginem interiorem emittens. Pedes simplices, femoribus posticis longiusculis.

36. *Microphora (Microphorus)* Macq. *Trichina* *) Meig. Zett. Ins. Lapp.

Antennæ capite transverso paullo longiores, 3-articulatæ, articulis 2 basalibus brevissimis subunitis, ultimo longissimo, conico, compresso, stylo apicali brevi (longiori vero quam in *Oedalia*). Haustellum brevissimum, subocculum. Palpi cylindrici. Alarum area discoidalis trapezina, nervulos 3 integros in marginem interiorem emittens. Pedes aut simplices, aut postici tibiis dilatatis.

37. *Hormopeza* nob. Ins. Lapp.

Antennæ capite transverso duplo breviores, 2-articulatæ, articulo primo brevissimo, ultimo ovato compresso, basi non gibbo, stylo apicali brevi. Haustellum parum exsertum. Alarum area discoidalis oblonga, 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervi omnes tenues, tertius (a costa) longitudinalis ad apicem furcatus, ramo superiori in costam excurrente, inflexo. Pedes simplices, tarsis anticis moniliformibus.

38. *Iteaphila* nob. Ins. Lapp.

Antennæ capite fere dimidio longiores, distincte 3-articulatæ, articulis basalibus brevibus hirsutis, ultimo longissimo, conico l. subuliformi, nudo, stylo apicali brevissimo. Haustellum capite aut duplo fere longius (♂),

---

*) *Trichina* est etiam *Entozoon* (*Trichina spiralis*. Vide *Westwood* Entom. Brochyre p. 75.) Qvare nomen hoc in Dipterorum Ordine rejiciendum.

aut ejus circiter longitudine (♀), in utroque sexu crassum. Palpi filiformes, elongati, ultra dimidium haustelli fere extensi, eique incumbentes, pilosi. Alarum area discoidalis ovata, 3 nervulos integros in marginem interiorem emittens. Nervus tertius (a costa) longitudinalis ad apicem furcatus, ramo superiori in costam recta excurrente. Pedes simplices.

FAM. 10. TACHYDROMIDES Wied.

Antennæ porrectæ, biarticulatæ (articulis nempe 2 basalibus sæpissime in unum fere coalitis), articulo primo cylindrico, secundo seu ultimo aut ovato, aut elongato vel conico, aut lenticulato, seta dum adest temper terminali, deflexa. Caput parvum, rotundatum. Ocelli 3. Haustellum breve, perpendiculare, palpis biarticulatis, incumbentibus, Thorax gibbus. Abdomen 7-annulatum. Pedes uno pari sæpissime incrassati. Corpus parvum aut minutum. Alæ incumbentes, area discoidali aut præsente aut absente. Nervi longitudinales 2 aut 3 in marginem interiorem descendunt. *Victus* e rapina. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* per structuram ani diversam plerumque mox indicatur.

α) Coxæ anticæ elongatæ.

39. *Hemerodromia* Hffgg. Meig. Lat. Fam. nat. — Macq. *Tachydromia* Fall.

Antennarum articulus ultimus ovatus, stylo brevissimo, vix ullo. Haustellum capite paullo brevius. Alarum nervi longitudinales 3-4 apice sæpissime furcati. Pedes antici coxis longissimis femoribusque incrassatis. Habitatio in uliginosis et ad littora lacuum.

40. *Phyllodromia* nob. *Tachydromia* Fabr. Panz. Fall. *Hemerodromia* Meig. Macq.

Antennarum articulus ultimus ovatus, seta longis-

sima, deflexa. Haustellum capite paullo brevius. Alarum nervi longitudinales sæpissime simplices. Pedes antici coxis elongatis femoribusque plerumque incrassatis. Habitatio in foliis fruticum.

β.) Coxæ anticæ mediocriter longæ.

*) Femora aut anteriora aut antica incrassata.

41. *Tachydromia* Meig. Fabr. Fall. *Empis* Panz. *Sicus* Latr. gen. — *Platypalpus* Macq.

Antennæ articulis 2 distinctis, horum ultimo ovato, acuto aut conico, seta elongata. Haustellum capite brevius. Palpi compressi, squamæformes. Alarum nervi longitudinales simplices; 2 in marginem interiorem descendentes, horum basalis obsoletior. Femora anteriora crassissima, intermedia subtus spinulosa.

42. *Tachypeza* Meig. Zett. Ins. Lapp. — *Musca* Linn. *Tachydromia* Fabr. Fall. Meig. Macq. *Sicus* Latr. *Cormodromia* nob. olim.

Antennæ parvæ articulis 2 distinctis, horum ultimo compresso, elliptico, seta elongata. Haustellum capite brevius. Palpi cylindrici. Alarum nervi longitudinales simplices; unicus in marginem interiorem descendens. Femora antica crassissima.

**) Femora omnia subsimplicia.

43. *Ardoptera* Macq. *Tachydromia* Fall. *Hemerodromia* Meig. Zett. Ins. Lapp.

Antennæ articulis 2 distinctis, horum ultimo brevi, conico, seta elongata subcurva. Haustellum capite multo brevius. Nervi longitudinales: aut secundus et tertius per nervulum transversum prope apicem connexi; aut secundus cum tertio prope apicem, et tertius cum qvarto fere ad medium alæ, per nervulum transversum connexi.

44. *Elaphropeza* Macq. *Hemerodromia* Meig. *Tachydromia* Fall.

Antennæ articulis 2 distinctis, horum ultimo conico, seta elongata. Haustellum capite brevius. Nervi longitudinales simplices, horum unicus in marginem interiorem descendit. Nervuli transversi 2, quorum unus in medio l. paullo ante medium alæ, et alter ad basin, siti.

45. *Drapetis* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Tachydromia* Fall.

Antennæ 3?articulatæ, breviusculæ, articulo ultimo ovato, seta elongata. Haustellum brevissimum. Palpi compressi. Oculi hirsutuli, in utroque sexu anguste distantes. Alarum nervi longitudinales simplices, 2:dus brevis vix ultra dimidiam costam extensus, incurvus, quintus in marginem interiorem descendens; nervuli 2 transversi remoti.

46. *Cyrtoma* Meig. Latr. Fam nat. — Macq. *Empis* Fall.

Antennæ capite paullo breviores, biarticulatæ, articulo ultimo elongato, conico, compresso, seta haud elongata, declinata. Haustellum brevissimum. Palpi minutissimi. Oculi nudi, in utroque sexu contigui. Alarum area discoidalis nulla. Nervi longitudinales subquatuor marginem interiorem attingunt; 4 & 5 (a costa) obsoleti, basi cum tertio confluentes. Areæ basales inæquales fere ad tertiam alæ partem extensæ. Pedes postici elongati, tibiis apice subincrassatis.

47. *Platycnema* nob. Ins. Lapp. — *Empis* Fall.

Antennæ capite breviores, biarticulatæ, articulo ultimo ovato, seta elongata. Haustellum brevissimum. Palpi minutissimi. Oculi nudi, in utroque sexu contigui. Alarum area discoidalis nulla, at angularis paullo retracta

adest. Nervi longitudinales omnes simplices, subparalleli & distincti; 2 ad marginem interiorem obsoleti descendunt. Areæ basales subæquales, ad tertiam partem alæ extensæ. Pedes validiusculi, postici parum elongati, tibiis dilatatis & metatarsis incrassatis.

48. *Microsania* nob. Ins. Lapp.

Antennæ capite breviores, biarticulatæ, articulo ultimo ovato, seta elongata. Haustellum occultum. Oculi nudi, in utroque sexu contigui. Alarum area discoidalis nulla, at angularis parva, valde retracta, adest. Nervi longitudinales omnes simplices, subparalleli & distincti, 3 ad marginem interiorem descendunt. Areæ basales (præter angularem) fere nullæ. Pedes validi, postici tibiis metatarsisque subincrassatis.

FAM. 11. EMPIDIÆ Fall.

Antennæ porrectæ, distincte 3-articulatæ, articulo primo cylindrico, secundo brevi, tertio subconico, seta aut stylo, terminato. Caput parvum rotundatum. Ocelli 3. Haustellum exsertum, perpendiculare aut sub pectore inflexum, longitudine capitis aut illo longius. Palpi biarticulati, erecti, haustello non incumbentes. Thorax gibbus. Abdomen 7-annulatum. Alæ incumbentes. Area discoidalis sæpissime adest. Nervi longitudinales 3 aut 4, rarissime 5, marginem interiorem attingunt. Pedes varii, sæpius pilosi, femoribus in nostris non incrassatis. *Victus* e succo florum, etiam e rapina. *Metamorphosis* haud rite cognita, at secundum observationem *Macqvarti* larvæ quædam *Empidum* sint terrestres, & simili fere modo ac *Asilicorum* transformentur. *Differentia sexus* in diversis generibus diversa.

Cohors 1. Area alarum discoidalis adest.

49. *Hilara* Meig. Latr. Fam. nat — Macq. *Bibio* Panz. *Tachydromia* Fabr. *Empis* Fabr. Latr. Fall.

Antennarum articulus ultimus subulatus, compressus, apice stylo brevi biarticulato. Haustellum capite fere brevius, crassum. Oculi in utroque sexu distantes. Nervus tertius longitudinalis ad apicem alæ furcatus. Pedes antici metatarso in ♂ incrassato.

50. *Brachystoma* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Baccha* Fabr. Antl. *Empis* Fall.

Antennarum articulus ultimus conicus aut rotundatus, seta terminali, elongata, arcuata. Haustellum vix longitudine capitis, crassum, palpis subdilatatis ad partem tectum, proboscide saccata. Alarum area discoidalis 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervus tertius longitudinalis ad apicem furcatus.

51. *Wiedemannia* nob. Ins. Lapp.

Antennæ breves, articulo ultimo breviter ovato, acuto, seta crassiuscula. Os elongatum. Epistoma perpendiculariter extensum. Haustellum breve, palpis subclavatis basi tectum, proboscide saccata. Alarum area discoidalis 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervus tertius longitudinalis ad apicem furcatus. Pedes simplices.

52. *Empis* Linn. Deg. Panz. Fabr. Meig. Latr. Fall. Macq.

Antennarum articulus ultimus conicus, compressus, stylo terminali brevi, biarticulato. Haustellum capite longius, tenue, perpendiculare aut pectori applicatum. Alarum area discoidalis 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervus tertius longitudinalis ad apicem furcatus, ramo superiori furcæ recto.

53. *Rhamphomyia* Hffgg. Meig. Latr. Fam. nat. — *Empis* Fabr. Latr. gen. — Panz. Fall.

Antennæ capite longiores, articulo ultimo conico compresso, stylo terminali brevi, biarticulato. Haustellum capite longius, interdum fere brevius, tenue, perpendiculare seu pectori applicatum. Alarum area discoidalis 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervus tertius longitudinalis simplex, nec furcatus.

54. *Gloma* Meig. Lat. Fam. nat. — Macq.

Antennæ capite breviores, articulo ultimo globoso, seta terminali elongata. Haustellum longitudine fere capitis, crassum. Alarum area discoidalis 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervus tertius longitudinalis imperfecte furcatus.

55. *Microcera* nob.

Antennæ brevissimæ, seta terminali elongata. Haustellum longitudine capitis, oblique exsertum. Alarum nervi simplices. Area discoidalis elongata 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Pedes tenues, simplices.

Cohors 2. Area alarum discoidalis deest. Haustellum brevissimum.

Opetia inter Dichoeta in Familia 15. *Platypezinarum* invenienda.

FAM. 12. DOLICHOPODES Fall.

Antennæ porrectæ, seta terminali, subterminali, aut dorsali; nudiuscula aut breviter pubescente. Palpi dilatati. Haustellum in nostris retractum, proboscide crassa; interdum exserta. Oculi oblongi, maximi, virides aut purpurei. Ocelli in vertice. Corpus cylindricum. Abdomen 6-annulatum. Alarum nervi: longitudinalis 4:tus rectus aut curvatus; secundarius (ad basin costæ) nullus; transversus medius ad basin alæ retractus. Area angularis nulla l. saltem ad in-

fimam basin retracta. Squama sub alis parva. Pedes tenues, elongati. Corpus colore metallico pulchre sæpe resplendens, pube tenuissima pro natatione idonea sæpe vestitum. *Larvæ* terrestres. *Imagines* in graminosis & foliis plantarum nutrimentum quærunt; interdum flores visitant, raro prædantes. Organon copulationis in *mare* appendicibus filiformibus instructum.

Subd. 1. Antennarum seta sapissime apicalis (in *Hydrophori* speciebus dorsalis.)

56. *Hydrophorus* Fall. Latr. Macq. *Dolichopus* Fabr. Wied. *Musca* Panz. *Medeterus* Meig. Fisch. Macq.

Antennæ breves, seta dorsali, in minoribus subterminali. Alarum nervus transversus ordinarius fere ad marginem interiorem retractus. Anus maris bifilatus aut bicorniculatus.

57. *Rhaphium* Meig. Latr. Macq. *Hydrochus* Fall. *Porphyropis* speceis Meig. Macq.

Antennæ elongatæ, seta terminali. Oculi in utroque sexu disjuncti. Alarum nervus transversus ordinarius in medio alæ situs. Anus maris bifilatus. Os feminæ longe descendens.

58. *Chrysotus* Meig. Macq. *Dolichopus* Fabr. Wied. Fall. *Musca* Fabr.

Antennæ parvæ, breves, articulo ultimo orbiculari, seta terminali. Oculi in utroque sexu disjuncti. Alarum nervus transversus ordinarius fere ante medium alæ situs. Anus maris bifilatus. Os feminæ vix descendens.

Subd. 2. Antennarum seta plerumque dorsalis. (in *Psilopo* subapicalis.)

59. *Diaphorus* Meig. Latr. Macq. *Dolichopus* Fall.

Antennæ breves, articulo ultimo orbiculari, seta dor-

sali. Oculi maris in fronte arcte cohærentes, feminæ disjuncti. Abdominis apex in mare subtus filis 4 appendiculatus. Alarum nervi in utroque sexu: tranversus ordinarius in medio alæ situs; longitudinalis 4:tus rectus; auxiliaris in medio costæ extensus.

60. *Dolichopus* Latr. Fabr. Meig. Wied. Fall. Macq. *Nemotelus* Deg. *Musca* Linn. Panz. *Porphyrops* Meig. *Argyræ* species Macq.

Antennæ articulo ultimo breviter trigono, seta dorsali deflexa. Oculi in utroque sexu disjuncti. Alarum nervus transversus ordinarius in medio aut parum pone medium alæ situs. Appendices anales maris aut sqvamæformes, aut lamellæformes, aut raro filatæ.

61. *Psilopus* Megerl. Meig. Macq. *Leptopus* Fall. *Dolichopus* Fabr.

Antennæ breves, seta subapicali. In utroque sexu oculi disjuncti faciesque lata. Corpus angustum. Alarum nervus longitudinalis 4:tus furcatus. Anus maris bifilatus.

FAM. 13. SYRPHICI Fall.

Antennæ triarticulatæ, articulo ultimo compresso, seta sæpissime dorsali. Haustellum intra cavitatem oris retractum, proboscide crassa. Palpi plerumque subinflati, saltem apice. Epistoma apice emarginatum. Oculi oblongi, unicolores, nec picti. Ocelli 3 in vertice. Abdomen 5-annulatum, sæpissime depressum. Alarum areæ tres, nempe prima inter nervos longitudinales 3 & 4, secunda inter nervos 4 & 5, & tertia angularis ad basin alæ, sitæ. Nervi 2 aut 4 marginem interiorem alæ attingunt. Pedes simplices, aut femoribus incrassatis; tarsi ungvibus 2 pulvillisque 3, semper instructi. *Ova* in terra uliginosa plerumque deponuntur. *Larvæ* in humidis sæpissime vivunt; interdum parasiticæ. *Imagines* flores frequentant. *Volatus* velocis-

simus. *Discrimen sexus; mas:* genitale inflexo et ano exinde obtuso, oculisque in vertice plerumque connexis, a *femina:* vagina brevi, parum erumpente, et ano acutiori, mox dignoscitur.

Subd. 1:*ma* Antennæ stylo terminali.

62. *Ceria* Fabr. Latr. Meig. Fall. Macq. *Musca* Linn. Schrank. *Syrphus* Panz.

Antennæ petiolo communi frontali insertæ, articulis secundo ultimoque simul subovalibus. Abdomen cylindricum. Alæ divaricatæ.

63. *Callicera* Meig. Panz. Latr. Macq. *Bibio* Fabr.

Antennæ protuberantiæ communi frontali insertæ, articulo primo secundoque æqualibus, ultimo longiori, acuminato. Abdomen subovatum, convexum. Alæ subincumbentes.

Subd. 2:*da* Antennæ seta dorsali, sæpissime uniarticulata; in *Pelecocera* triarticulata.

a). Antennæ porrectæ, longitudine capitis aut illo paullo longiores, seta nuda. Pedes in nostris simplices.

64. *Chrysotoxum* Meig. St. Farg. & Serv. Latr. Macq. *Mulio* Fabr. Fall. *Musca* Linn. *Syrphus* Panz.

Antennæ tuberculo frontali insertæ, capite transverso longiores, angutsæ. Epistoma infra oculos hirtos parum descendens, subtuberculatum. Scutellum inerme. Abdomen marginatum, sæpissime dilatatum, flavo-fasciatum. Alæ divaricatæ.

65. *Microdon* Meig. Fall. Wied. *Musca* Linn. Deg. *Mulio* Fabr. Panz. *Aphritis* Latr. Macq. St. Farg. & Serv.

Antennæ medio frontis convexæ æqvalis insertæ, elongatæ, angustatæ, articulo primo longitudine fere secun-

di & tertii simul sumtorum. Scutellum emarginatum. Alæ incumbentes, areis discoidalibus apice rotundatis. Corpus subdilatatum, abdomine haud flavo-fasciato.

66. *Psarus* Latr. Fabr. Ahrens. Macq. *Syrphus* Fabr. *Musca* Geoffr.

Antennæ petiolo communi frontali brevi truncato insertæ, articulis ultimis compressis, seta basi biarticulata. Scutellum rotundatum, integrum. Alæ incumbentes, parallelæ. Corpus subangustatum, abdomine fasciato.

b.) Antennæ deflexæ, capite breviores.

*) Corpus magnum, robustum, oblongo-ovatum, sæpe dilatatum. Alæ divaricatæ.

†. Seta antennarum plumata. Oculi in femina saltem nudi (in *Syrpho* etiam species quædam seta plumata gaudentes; at hæ oculis in utroque sexu hirtis instructæ, infra quærendæ). Alarum nervus longitudinalis tertius (a costa, costali non computato) subrectus s. parum incurvatus.

67. *Sericomyia* Meig. Latr. St Farg. & Serv. Macq. *Musca* Linn. Deg. *Syrphus* Fabr. Fall.

Antennæ rotundatæ. Epistoma longe descendens. Alarum nervi 2, qui areas duas posticas ad marginem interiorem terminant, subrecti.

68. *Volucella* Geoffr. Meig. Latr. St. Farg. & Serv. Macq. *Musca* Linn. *Syrphus* Fabr. Panz. Fall.

Antennæ elongatæ. Epistoma descendens. Alæ semidivaricatæ, nervo aream, e nervis longitudinalibus tertio qvartoque formatam, terminante, arcuato.

††. Seta antennarum nuda (in speciebus quibusdam generis *Syrphi* seta plumata). Epistoma descendens. Alarum nervus longitudinalis tertius distincte curvatus; in *Criorhina* rectus.

69. *Syrphus* Fabr. Panz. Fall. *Musca* Linn. Deg. *Elophilus* Latr. *Eristalis* Fabr. Antl. — Billb. Meig. St. Farg. & Serv. Macq.

Antennæ rotundæ. Epistoma tuberculatum. Oculi hirsuti. Femora postica simplicia.

70. *Criorhina* Hffgg. Macq. *Milesia* Meig. *Eristalis* Fabr. Latr. gen. — *Syrphus* Fall.

Antennæ articulo primo subelongato, ultimo rotundo, paullo tamen latiori, quam longo. Oculi nudi, in utroque sexu non contigui. Epistoma parum tuberculatum. Pedes postici: femoribus simplicibus, tibiis arcuatis, compressis. Alarum nervus longitudinalis tertius rectus.

71. *Mallota* Meig. Latr. Fam nat. — Fabr. *Syrphus* Fall.

Antennæ articulo ultimo rotundato — subtetragono, compresso. Epistoma gibbosum. Oculi in nostra nudi, in utroque sexu non contigui. Pedes postici in mare: femoribus crassis incurvis; tibiis compressis, arcuatis.

72. *Helophilus* Meig. Latr. Macq. *Eristalis* Fabr. *Syrphus* Panz. Fall. *Musca* Linn. Reaum.

Antennæ articulo ultimo rotundato. Epistoma inferne gibbosum. Oculi nudi, in utroque sexu non contigui. Thorax dorso longitudinaliter vittatus. Pedes postici: femoribus incrassatis; tibiis distincte arcuatis.

**) Corpus angustatum, interdum sublineare. Alæ incumbentes, parallelæ.

A. Abdomen basi vix vel parum coarctum (in *Doros* abdomen basi distincte angustius).

Sect. 1. Femora postica subsimplicia s. vix incrassata (in *Brachyopa* subincrassata). Alarum nervus: longitudinalis tertius sæpissime rectus (in *Scævæ* speciebus subcurvatus); trans-

versus ordinarius seu medius, perpendicularis (in *Milesia* obliquus).

73. *Rhingia* Scop. Fabr. Ross. Panz. Meig. Latr. Billb. Fall. Macq. *Conops* Linn. Schrank. *Musca* Deg. Oliv. *Volucella* Geoffr.

Antennæ articulo lenticulato, seta nuda. Epistoma in conum elongatum descendens. Abdomen subdilatatum, ovale.

74. *Brachyopa* Hffgg. Meig. Macq. *Rhingia* Fall. *Oscinis* Fabr. *Musca* Panz.

Antennæ articulo ultimo lenticulato, seta hirsutula. Epistoma distincte descendens, truncatum. Corpus nudiusculum. Alæ abdomine breviusculo multo longiores. Femora postica subincrassata.

75. *Doros* Meig. Latr, Fam. nat. — Macq. *Syrphus* Meig. Latr. gen. — Panz. *Milesia* Fabr. *Eristalis* Fabr. *Scæva* Fall. *Dones* Billb. *Musca* Linn. Deg.

Antennæ distantes, articulo ultimo orbiculari, seta breviter pubescente. Epistoma tuberculatum, infra oculos vix descendens. Thorax linea laterali, & abdomen basi plus minus angustatum, fasciis transversis, flavis.

76. *Scæva* Fabr. Antl. — Panz. Billb. Fall. *Syrphus* Fabr. Ent. Syst. — Ross. Panz. Latr. Meig. Macq. *Eristalis*, *Milesia* Fabr. Antl. — *Musca* Linn. Deg. *Conops* Scop.

Antennæ basi paullo distantes, articulo ultimo rotundato aut ovali, seta subnuda. Epistoma tuberculatum, parum descendens (in *Sc. manicata* & *rostrata* extensum), apice æqvaliter latum. Thorax immaculatus. Abdomen fasciatum. Tibiæ posticæ rectæ, non compressæ.

77. *Sphærophoria* Saint. Farg. & Serv. Encyc. — Macq. *Syrphus* Latr. Meig. *Scæva* Fabr. Fall. *Musca* Linn.

Antennæ basi paullo distantes, articulo ultimo suborbiculari, seta subnuda. Caput hemisphæricum. Epistoma tuberculatum, infra oculos non descendens. Thorax linea laterali, & abdomen in ♂ longum, cylindraceum, in ♀ depressum, lineare, fasciis rectis, flavis. Tibiæ posticæ rectæ.

78. *Pelecocera* Hffgg. Meig. Macq. *Rhingia* Fall. *Brachyopæ* spec. Meig.

Antennæ basi paullo distantes, articulo ultimo dilatato supra recto, subtus rotundato, seta brevi, triarticulata, crassiuscula. Epistoma in conum brevem obliquum descendens. Oculi majusculi, exserti, in utroque sexu distantes. Thorax immaculatus. Abdomen lineare, depressum, fasciis rectis, flavis. Tibiæ posticæ rectæ.

79. *Eristalis* Fabr Antl. — Fall. *Cheilosia* Megerl. Macq. Meig. Suppl. — *Syrphus* Panz. Latr. Meig. *Elophilus* Latr. *Musca* Linn. *Elera* Billb.

Antennæ basi subapproximatæ, articulo ultimo suborbiculari, rarissime ovato; seta nudo aut subpubescens. Frons foveolata. Epistoma infra oculos paullo descendens, tuberculatum. Corpus plerumque nigrum, immaculatum, abdomine oblongo l. elongato (♂), aut rotundato (♀). Pedes simplices. Tibiæ posticæ rectæ.

80. *Chrysogaster* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Syrphus* Fabr. Panz. *Eristalis* Fabr. Fall. *Musca* Linn. *Orthoneura* Macq.

Antennæ articulo ultimo orbiculari aut oblongo, seta nuda. Epistoma infra oculos paullo descendens, in medio impressum, non tuberculatum, apice reflexum.

Frons convexa, in ♀ sæpissime transversim striata. Corpus in utroque sexu metallicum. Scutellum apice attenuatum, nudum. Abdomen depressum, rotundatum, rectum. Areæ alarum 2 discoidales apice inæqvales. Pedes simplices. Tibiæ posticæ rectæ.

81. *Pipiza* Fall. Meig. St. Farg. & Serv. Macq. Latr. Fam. nat. — *Milesia* Latr. gen. — *Eristalis*, *Mulio* Fabr. *Syrphus* Panz. *Musca* Linn.

Antennæ articulo ultimo ovato aut rotundato, seta nuda. Epistoma subplanum s. parum convexum, læve, non impressum, nec infra oculos descendens. Oculi hirti. Corpus nigrum, abdomine oblongo-ovato, subincurvo, interdum parce flavo-maculato. Areæ alarum 2 discoidales apice subæqvales seu nervulo subrecto terminatæ. Femora postica reliqvis plerumque validiora, tibiis semper rectis.

82. *Psilota* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. Zett. *Pipiza* Fall.

Antennæ articulo ultimo oblongo-ovato, seta nuda. Epistoma infra oculos vix descendens, in medio impressum, non tuberculatum, apice reflexum, lateribus pilosum. Oculi hirti. Corpus cærulescenti atrum, pilosum, abdomine oblongo-ovato, subincurvo. Areæ alarum 2 discoidales apice inæqvales, harum nempe superior nervulo arcuato, & inferior nervulo recto, terminatæ. Femora postica reliquis paullo longiora & validiora, tibiis subarcuatis.

83. *Paragus* Latr. Meig. Macq. *Mulio* Fabr. *Syrphus* Panz. *Pipiza* Fall.

Antennæ articulo ultimo elongato, seta nuda. Epi-

stoma infra oculos vix descendens, inferne convexum, subtuberculatum, totum glabrum. Oculi hirtuli. Corpus oblongum, nigrum. Abdomen subincurvum, transversim rugosum, sæpe rufomaculatum. Areæ alarum 2 discoidales apice subinæqvales. Pedes simplices, metatarso postico subincrassato.

84. *Milesia* Latr. Fabr. Meig. Fall. Macq. *Eristalis* Fall. *Syrphus* Panz. Ross. *Musca* Linn.

Antennæ articulo ultimo orbiculari. Epistoma infra oculos sæpissime paullo descendens, interdum subtuberculatum. Oculi nudi. Corpus magnum, sæpe flavo-pictum. Alarum nervus transversus ordinarius obliquus. Pedes simplices, tibiis posticis subincurvis.

Sect. 2. Femora postica incrassata, subtus spinulosa, in *Tropidia* apice unidentata. Antennarum articulus ultimus orbicularis, compressus, seta nuda. Corpus nigrum, abdomine plerumque rufo-maculatum. Alarum nervus transversus ordinarius obliquus.

α). Oculi hirsutuli (in nostris).

85. *Eumerus* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Eristalis*, *Thereva* Fabr. *Syrphus* Fabr. Panz. *Milesia* Latr. gen. — *Pipiza* Fall.

Epistoma subconvexum, villosum, læve. Scutellum marginatum & denticulatum. Alæ nervo, qui aream discoidalem primam l. apicalem ad marginem interiorem terminat, distincte sinuato l. undulato; qui aream secundam, recto. Tibiæ posticæ arcuatæ.

β). Oculi nudi.

86. *Xylota* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Milesia* Fabr. Latr. gen. — Billb. Fall. *Merodon*, *Thereva* Fabr. *Eristalis* Fall. *Brachypalpus* Macq. *Syrphus* Panz. *Musca* Linn.

Epistoma retusum, læve, interdum subtuberculatum; apice reflexum. Scutellum non marginatum, inerme. Alæ nervis areas 2 discoidales ad marginem interiorem terminantibus, vix undulatis, nec sinuatis. Femora postica elongata, tibiis subarcuatis.

87. *Syritta* St. Farg. & Serv. Encycl. — Macq. *Coprina* Zett. Ins. Lapp. — *Xylota* Meig. Latr. Fam. nat. — *Milesia* Fabr. Latr. gen. — Fall. *Syrphus* Panz. *Musca* Linn.

Epistoma medio longitudinaliter subcarinatum, apice angustius emarginatum. Scutellum inerme. Alæ nervis: aream primam terminante distincte undulato; transverso ordinario subcurvato. Femora postica breviuscula, tibiis arcuatis, metatarso incrassato.

88. *Tropidia* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. *Eristalis* Fall.

Antennarum articulus ultimus orbiculatus, apice truncatus. Epistoma medio carinatum, apice profunde emarginatum. Scutellum inerme. Alæ nervis: areas 2 discoidales terminantibus parum undulatis; longitudinali tertio subcurvato, & transverso ordinario obliquo & in litteram s flexo. Femora postica ad apicem unidentata; tibiis arcuatis.

B. Abdomen basi coarctatum; petiolatum. Antennarum seta nuda. Alarum nervi: longitudinalis tertius, & transversus ordinarius perpendicularis, recti. Corpus parvum. *Doros* abdomine sub petioliformi, in Subd. A. sub n:o 75 quærendus.

89. *Ascia* Megerl. Meig. Latr. Fam. nat. — St. Farg. & Serv. Macq. *Merodon* Fabr. Billb. *Milesia* Panz. Latr. gen. — Fall. *Syrphus* Panz. *Musca* Gmel.

Antennarum articulus ultimus oblongus seu ovalis. Epistoma subimpressum, apice reflexo-productum. Alarum nervus aream discoidalem primam ad marginem interiorem terminans, rectus & subperpendicularis. Femora postica crassa, subtus spinulosa, tibiis arcuatis.

90. *Sphegina* Meig. St. Farg. & Serv. Macq. *Milesia* Fall.

Antennarum articulus ultimus suborbiculatus. Epistoma subimpressum, apice reflexo-productum. Alarum nervus aream discoidalem primam ad marginem interiorem terminans, arcuatus. Femora postica crassa, subtus spinulosa, tibiis arcuatis, metatarso incrassato.

91. *Baccha* Fabr. Meig. Fall. Latr. Fam. nat. — St. Farg. & Serv. Macq. *Syrphus* Fabr. *Musca* Gmel.

Antennarum articulus ultimus suborbiculatus. Epistoma tuberculatum. Alarum nervus aream discoidalem primam ad marginem interiorem terminans, levissime curvatus, obliquus, nec perpendicularis. Femora postica simplicia, inermia, tibiis subrectis.

ORDO 2:DUS DICHOETA.

FAM. 14. SCENOPINII Fall.

Antennæ triarticulatæ, articulo ultimo elongato, seta nulla. Os nudum. Proboscis retracta. Palpi subcylindrici vel subclavati. Epistoma brevissimum, latum, excavatum. Oculi rotundati. Ocelli 3 in vertice. Abdomen 7-annulatum. Alarum nervi validi, longitudinales 4 in marginem interiorem alæ fere descendunt, quorum 2 in ipso apice alæ coëunt; interior marginalis nullus. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* in oculorum connectione sæpissime quærenda.

(Genus *Ulidia* seu *Chrysomyza* Fall. ab hac Familia certe removendum).

92. *Scenopinus* Latr. Meig. Fall. Macq. *Musca* Linn. *Nemotelus* Panz. *Atrichia* Schrank.

Antennæ subdeflexæ, articulo ultimo elongato, subcylindrico, truncato. Abdomen depressum. Alæ incumbentes, nervorum longitudinalium 3:tio ante apicem alæ furcato & 4:to subflexo, in summo apice approximatis. Area angularis subretracta. Pedes nudi.

FAM. 15. PLATYPEZINÆ Fall.

Antennæ rectæ, porrectæ, approximatæ, seta terminali, capillari, nuda. Os nudum. Proboscis retracta. Palpi cylindrici aut subclavati. Epistoma brevissimum, latiusculum, emarginatum. Oculi magni, nudi, unicolores. Ocelli 3 in vertice. Corpus parvum, oblongum, incurvatum, subpubescens. Scutellum margine setosum. Abdomen 6-annulatum. Alæ incumbentes, parallelæ, nervis longitudinalibus 4 marginem interiorem attingentibus. Nervus interior marginalis nullus. Area angularis sæpissime longe retracta. Pedes mediocres, tarsis posticis sæpissime dilatatis. *Metamorphosis* non in omnibus nota. *Larvæ* quarundam in fungis vivunt. *Imagines* in floribus et foliis motu reptatu, tempore autumnali, degunt. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte arctissime cohærentibus; *femina:* oculis interstitio frontali disjunctis. (*Obs.* Genera *Cyrtoma, Platycnema* & *Microsania* ad hanc Familiam olim a me relata, in Fam. 10 *Tachydromidum* jam meliori jure descripta inveniuntur. *Lonchoptera* in Familia 37 *Phytomyzidum* exstat.)

A. Pedes nudi, inermes, postici tarsis dilatatis.

*) Alarum nervus 4:tus longitudinalis ad apicem alæ furcatus.

93. *Platypeza* Meig. Panz. Fall. Macq. *Dolichopus* Fabr. Latr,

Antennæ articulis basalibus cylindricis, ultimo ovali compresso. Alæ hyalinæ, area angulari retracta, per unicum nervum ad marginem interiorem descendente. Pedes postici validi, tarsorum articulis subæqvalibus.

**) Alarum nervi omnes longitudinales simplices.

94. *Callomyia* Fall. Meig. Macq. *Dolichopus* Fabr. Latr.

Antennæ articulis basalibus subcylindricis, ultimo compresso acuto. Alæ hyalinæ, area angulari valde retracta, per unicum nervum ad marginem interiorem descendente. Pedes postici elongati, crassi; metatarso elongato,

B. Pedes subpilosiusculi, tarsis omnibus simplicibus.

95. *Opetia* Meig. Macq.

Antennæ articulis basalibus cyathiformibus, ultimo oblongo compresso, seta microscopice subpubescente. Alæ fumatæ, areis, angulari ad basin retracta, discoidali nulla, & nervo 4:to longitudinali infra medium alæ furcato. Pedes simplices, tibiis apice subcalcaratis.

FAM. 16. CONOPSARIÆ Latr.

Caput vesiculosum glabrum. Os nudum. Antennæ capite longiores, porrectæ, basi geniculatæ, stylo brevi, apicali. Haustellum elongatum, porrectum, basi geniculatum. Oculi nudi oblongi, in utroque sexu late distantes. Ocelli nulli. Abdomen 6-annulatum, incurvum. Alæ incumbentes. Nervus longitudinalis 3:tius 4:tus-que aream lanceolatam occlusam in disco formant, per nervum unicum in summum apicem alæ excurrentem. Nervi longitudinales 2 ad marginem interiorem enervem descendunt. Area angularis extensa. Halteres nudi. Squama nulla. Pedes subglabri, inermes. *Larvæ* parasitæ. *Imagines* æstivales. *Differentia sexus* e structura ani perspicua.

96. *Conops* Linn. Deg. Ross. Panz. Fall. Meig. Macq.
Antennæ approximatæ, articulo primo cylindrico, secundo tertioque clavatæ, stylo apicali biarticulato. Ocelli nulli.

FAM. 17. MYOPARIÆ Macq.

Caput vesiculosum subglabrum. Os nudum. Antennæ capite paullo breviores, subdeflexæ, articulo ultimo stylo dorsali. Haustellum elongatum, filiforme, aut basi, aut basi medioque geniculatum. Oculi nudi, in utroque sexu late distantes. Ocelli 3. Abdomen 5-6-annulatum, incurvum. Alæ incumbentes. Nervus longitudinalis 3:tius 4:tus-que aream elongato-triangularem suboccIusam in disco alæ formant, sæpissime usque ad apicem extensam. Nervi longitudinales 2 ad marginem interiorem enervem producti. Area angularis elongata, aut brevis. Halteres nudi. Sqvama parva. Pedes subpubescentes, inermes. *Larvæ* Parasitæ. *Imagines* æstivales. *Differentia sexus* e structura ani elicienda.

a) Haustellum basi geniculatum.

97. *Zodion* Latr. Meig. Macq. *Myopa* Fabr. Fall.
Antennarum articulus 2:dus clavatus et 3:tius ovatus, subæqualiter longi. Alæ area angulari elongata. Tarsorum ungves pulvillique mediocres.

b.) Haustellum basi medioque geniculatum.

* Alæ area angulari elongata.

98. *Myopa* Fabr. Ross. Panz. Meig. Latr. Fall. Rob. Desv. — Macq. *Conops* Linn.
Antennarum articulus 2:dus sequenti multo longior, clavatus, 3:tius globosus. Tarsorum ungves pulvillique magni.

** Alæ area angulari valde retracta, brevi.

99. *Stachynia* Macq. *Myopa* Fabr. Latr. Meig. Fall. *Dalmannia* Robineau Desv.

Antennarum articulus 2:dus cyathiformis & tertius ovatus, subæqvaliter longi. Tarsorum ungves pulvillique parvi.

FAM. 18. PIPUNCULINI nob.

Antennæ breves, articulo ultimo seta dorsali nuda, sæpissime (in ♂) erecta. Caput hemisphæricum, oculeum. Epistoma augustatum, lineare. Proboscis occulta. Ocelli 3 in vertice. Abdomen 6-annulatum. Alæ abdomine longiores, incumbentes, areis aut tribus, aut nullis. Nervi vix nisi 2 ad marginem interiorem ducuntur. Halteres nudi. Squama nulla. Pedes simplices, inermes. *Habitatio* in foliis plantarum, in hortis & pratis; vere & autumno imagines parvæ imprimis obviæ. *Metamorphosis* latet. *Discrimen sexus* in oculorum distantia anique structura sæpius inveniendum.

α.) Antennæ articulo ultimo magno, reniformi.

100. *Nephrocerus* nob. Ins. Lapp.

Corpus glabrum, abdomine lineari. Alæ areis tribus. Nervulus infra aream tertiam excurrens.

β.) Antennæ articulo ultimo aut acuto, aut ovato, aut rotundato.

101. *Pipunculus* Latr. Meig. Macq. *Microcera* Illig. *Cephalops* Fall. *Atelenevræ* spec. Macq.

Corpus subcylindricum, hirsutulum. Alæ areis tribus, aut nullis. Nervulus infra aream tertiam rarissime excurrens.

FAM. 19. OESTRIDES Latr.

Antennæ foveolis capitis insertæ, parvæ, articulo ultimo rotundato, seta nuda. Os clausum. Oculi parvi late distantes in utroque sexu. Ocelli 3 in vertice. Alarum nervus longitudinalis 4:tus vel augulatim flexus, vel subrectus. Corpus crassiusculum, hirsutum. *Larvæ* parasitæ, aut in

sinubus frontalibus, aut sub cute, aut denique in ventriculo, animalium calidi sangvis degunt.

*) Alæ divaricatæ, nervo longitudinali 4:to curvato.

102. *Oestrus* Linn. Modeer. Schrank. Rossi. Fabr. Meig. Latr. Fall. *Hypodermæ* spec. Macq. *Oedemagenæ* spec. Clark. Macq. *Cephenemyia* & *Cephalemyia* Latr. Macq.

Antennæ articulo ultimo globoso. Halteres obtecti.

**) Alæ incumbentes, nervo longitudinali 4:o recto.

103. *Gastrus* Meig. *Oestrus* Linn. Modeer. Fabr. Latr. Fall. Macq.

Antennæ articulo ultimo compresso. Halteres nudi. Squama mediocris.

FAM. 20. HÆMATOMYZIDES Fall.

Antennæ deflexæ, articulis basalibus parvis, ultimo elongato, compresso, truncato. Os mystaceum. Haustellum porrectum, geniculatum. Oculi oblongi, nudi, obscure brunnei, unicolores. Abdomen 4-annulatum. Alæ divaricatæ. Nervi 4 longitudinales marginem interiorem attingunt; horum 2 in apice alæ excurrunt, ibique sæpissime coëuntes.

A. Frons subprominula, carinata. Pedes elongati. Corpus subcylindricum.

104. *Prosena* Saint-Fargeau & Serv., Rob. Desv. — Macq. *Stomoxys* Fabr. Panz. Latr. Meig. Fall.

Antennæ incumbentes, seta biseriatim plumata. Palpi breves. Haustellum basi geniculatum. Alarum nervi, auxiliaris ad medium costæ fere extensus; longitudinalis 4:tus angulatim flexus paullo ante apicem alæ cum nervo costali conjunctus.

B. Frons haud prominula, non carinata. Pedes mediocriter longi. Corpus subovatum.

†. Antennarum seta superne una serie plumata. Haustellum basi tantum geniculatum.

105. *Stomoxys* Geoffr. Fabr. Ross. Latr. Meig. Fall. *Musca* Deg. *Conops* Linn. Schrank. *Hæmatolia* Macq.

Antennæ incumbentes. Alarum nervi, auxiliaris ad medium costæ extensus; longitudinalis 4:tus paullo curvatim flexus in apice alæ cum nervo costali conjunctus.

††. Antennarum seta nuda. Haustellum bi-geniculatum.

106. *Siphona* Meig. Macq. *Musca* Deg. *Bucentes* Latr. *Stomoxys* Fabr. Fall.

Antennæ deflexæ. Alarum nervi, auxiliaris brevis vix ad medium costæ extensus; longitudinalis 4:tus subangulato-arcuatim ad tertium flexus et cum illo in apice alæ connexus.

FAM. 21. TACHINARIÆ Meig.

Antennæ articulo ultimo sæpissime elongato, truncato, seta nuda aut microscopice pubescente. Oculi plerumque nudi, interdum hirti, semper unicolores; in femina saltem distantes. Alæ: unico tantum nervo in marginem interiorem descendente. Abdomen 4-annulatum, segmentis margine sæpissime setosum. *Imagines* velocissimæ. *Ova* aut in larvis aliorum insectorum, aut in radicibus plantarum deponuntur.

Sect. 1. Antennæ oblique deflexæ (apice ab epistomate paullo elevatæ), articulo ultimo antecedenti latiori & breviori. Seta triarticulata. Abdomen rotundato-ovatum. Oculi nudi, in mare subapproximati. *Larvæ* parasitæ.

107. *Echinomyia* Duméril. Latr. Macq. Meig. Suppl. — *Tachina* Meig. Fabr. Fall. *Musca* Linn. Schrank. Deg. Rossi. Panz.

Facies vibrissis lateralibus nullis. Oculi in utroque

sexu distantes. Antennarum articulus ultimus subqvadratus. Abdomen rigide setosum.

Sect. 2. Antennæ subdeflexæ, aut plerumque incumbentes, articulo ultimo longitudine antecedentis aut illo, longiore, (in nostris) sublineari. Seta sæpe triarticulata. Abdomen conico-ovatum. *Larvæ* parasitæ, interdum rhizophagæ.

Subdivis. prima. Alarum nervus 4:tus longitudinalis arcuatim aut plerumque angulatim flexus cum nervis 3:tio & costali vel in summo apice alæ, vel paullo supra apicem in costa, conjunctus.

α) Anus simplex (non inflexus).

*) Oculi nudi aut hirti.

108. *Tachina* Meig. Fabr. Fall. Macq. *Musca* Linn. Panz. *Metopia*, *Masicera*, *Plagia*, *Myobia*, *Clytia*, *a*) *Erygaster*, *Micropalpus*, *Chrysocoma* *), *Nemoræa*, *Erebia* **), & *Thryptocera* Macq. Meig. *Ræselia*, *Fallenia*, *Phorocera*, *Peteina*, *Harrisia*, *Panzeria*, *Macqvartia*, *Degeeria* & *Exorista* Meig. Suppl.

Antennæ fronti plerumque prominenti insertæ, deflexæ aut incumbentes, articulo ultimo sæpius elongato, seta recta. Caput non buccatum, vibrissis sæpissime, & mystacibus semper, distinctis. Nervus alarum 4:tus longitudinalis angulatim, raro arcuatim, flexus, cum nervo 3:tio aut in apice aut ante apicem alæ in costa connivens. Abdomen ovato-conicum. Oculi in utroque sexu distantes (in *Tach. atrata* & quibusdam affinibus oculi maris cohærentes).

---

a) nimium consonans cum plantæ genere *Cluytia*.

*) est etiam nomen plantæ generis.

**) est quoque nomen generis inter Lepidoptera.

**) Oculi semper nudi.

†. Caput buccatum, mystacibus semper distinctis.

109. *Gonia* Meig. Macq. *Musca* Deg. *Tachina* Fall. *Illigera* Meig. Suppl.

Antennæ longitudine fere epistomatis, fronti prominenti insertæ, incumbentes, seta triarticulata, geniculata. Caput undique setulosum, vibrissis nullis. Nervus alarum 4:tus longitudinalis angulatim flexus cum 3:tio paullo ante apicem alæ in costa connectitur. Abdomen ovato-conicum. Oculi in utroque sexu distantes.

††. Caput non vel vix buccatum, mystacibus nullis.

110. *Trixa* Meig. Latr. Macq. *Crameria* Robin. Desv.

Antennæ fronti prominenti insertæ, brevissimæ, incumbentes, seta biarticulata, recurva. Caput vibrissis spuriis. Palpi crassi. Nervus alarum 4:tus longitudinalis angulatim flexus fere in apice alæ cum nervo costali & 3:tio longitudinali conjunctus. Abdomen ovatum. Oculi in mare sat approximati.

111. *Miltogramma* Meig. Macq. Sv. à Buff. — *Tachina* Fall. *Megæra* Macq. Dipt. du Nord.

Antennæ fronti prominenti insertæ, incumbentes, breves, seta brevi, triarticulata. Caput tumidiusculum, ore setoso, nec distincte mystacino, vibrissis nullis. Alarum nervus 4:tus longitudinalis angulatim flexus paullo ante apicem alæ cum nervo costali & 3:tio longitudinali conjunctus. Abdomen conicum, subnudum. Oculi in utroque sexu distantes.

β.) Anus longe inflexus. Oculi nudi.

112. *Phania* Meig. Latr. Macq. *Tachina* Fall. *Uromyia* Meig. Suppl.

Antennæ fronti vix prominenti insertæ, deflexæ, epistomate paullo breviores, seta biarticulata. Caput non buccatum, setis mystacinis paucis, vibrissis nullis. Alarum nervus 4:tus longitudinalis arcuatim flexus in ipso apice alæ cum nervo costali & 3:tio longitudinali conjunctus. Oculi in mare sat approximati. Abdomen subconicum, cauda longe inflexa, apice uncinata.

(*Gymnopeza*, *Phaniæ* simillima, sed abdomine 5-annulato in Familia sequenti seu Phasiariarum quærenda.)

113. *Micra* nob. Ins. Lapp. An *Uromyiæ* spec. Meig.?

Antennæ fronti minime prominenti insertæ, incumbentes, breves, articulo ultimo secundo parum longiori, subqvadrato, compresso. Os setulosum. Mystaces & vibrissæ nullæ. Alarum nervus 4:tus longitudinalis arcuatim flexus in ipso apice alæ cum nervo costali & 3:tio longitudinali conjunctus. Oculi in mare approximati. Abdomen rotundato-ovatum, subdepressum, ano inflexo, hamato (♂).

Subdiv. secunda. Alarum nervus 4:tus longitudinalis versus 3:tium paullo intra apicem alæ (nec in apice vel ante apicem) aut angulatim, aut arcuatim inflexus. Oculi nudi, in utroque sexu distantes. *Larvæ* quarundam Rhizophagæ. *Rhizomyzides* Fall. & nob. Ins. Lapp.

Trib. 1. Vibrissæ nullæ. (*Dexia compressa* antennis pubescentibus ad Dexiariarum Familiam 23 releganda).

Manip. 1. Antennæ oblique exsertæ.

a) Setæ mystacinæ paucæ.

114. *Ocyptera* Latr. Fabr. Meig. Fall. Macq. *Musca* Linn. Schrank. Ross.

Antennæ elongatæ, seta triarticulata. Palpi brevissimi. Alarum nervus 3:tius longitudinalis ad costam curvatim inflexus, 4:tus angulatus. Abdomen cylindricum, setosum, subincurvum.

115. *Wahlbergia* nob. *Ocyptera* Fall. *Tachina* Meig. Dipt. — *Gymnosoma* Meig. Suppl.

Antennæ elongatæ, seta triarticulata. Alarum nervus 3:tius longitudinalis rectus; 4:tus angulatus. Abdomen subcylindricum, ano præsertim in ♂ longe inflexo

b.) Mystaces nullæ.

116. *Gymnosoma* Fall. Meig. Macq. *Musca* Linn. Panz. *Tachina* Fabr. *Ocypteræ* Latr.

Antennæ elongatæ, seta triarticulata. Alarum nervus 3:tius longitudinalis rectus; 4:tus angulato-arcuatus. Abdomen rotundatum, glabrum.

Manip. 2. Antennæ subdeflexæ aut incumbentes; breves.

†. Antennæ subdeflexæ. Mystaces spuriæ.

117. *Cistogastèr* Latr. Regn. an. — Macq. Meig. Suppl. — *Pallosia* Robin. Desv. — *Tachina* Fabr. *Gymnosoma* Meig. Fall.

Alarum nervus 3:tius longitudinalis rectus, in ipso apice alæ excurrens; 4:tus angulato-arcuatus. Abdomen rotundatum, glabriusculum.

††. Antennæ incumbentes. Mystaces distinctæ. Facies brevis.

118. *Rhinophora* Meig. Suppl. — *Ptilocera* Macq. Svit. a. Buff. — *Tachina* Meig. Dipt. — *Ocyptera* Fall.

Frons non prominula. Epistoma apice reflexum. Setæ mystacinæ plures, rigidæ. Alarum nervus 3:tius

longitudinalis rectus; 4:tus subangulatim flexus. Abdomen conico-cylindricum, setosum.

119. *Leucostoma* Meig. Suppl. — *Ptiloceræ* & *Melanophoræ* spec. Macq. *Tachina* Meig. *Ocyptera* Fall.

Frons non prominula; argentea. Epistoma apice non reflexum. Mystaces rigidæ. Alarum nervus 3:tius longitud. rectus; 4:tus subangulatim flexus. Abdomen conico-cylindricum, setosum.

120. *Melanophora* Meig. Suppl. — Macq. *Tachina* Meig. Dipt. — *Musca* Linn. Fabr. *Ocyptera* Fall.

Frons subprominula. Epistoma apice reflexum. Mystaces plures. Alarum nervus 3:tius longitud. rectus; 4:tus subangulatim flexus. Squama parva. Abdomen cylindricum.

Trib. 2. Facies vibrissis ornata.

121. *Scopolia* Meig. Suppl. — *Melanophora* Macq. *Tachina* Meig. *Ocyptera* Fall.

Antennæ incumbentes, longissimæ, seta biarticulata. Setæ mystacinæ plures. Series vibrissarum continua. Palpi distincti. Epistoma non elevatum. Alarum nervus 3:tius longitudinalis rectus: 4:tus angulatim flexus. Abdomen subcylindricum, setosum.

FAM. 22. PHASIARIÆ nob.

Antennæ incumbentes, epistomate multo breviores, articulo ultimo apice rotundato, seta nuda. Oculi nudi, unicolores, magis l. minus approximati, interdum latius distantes. Vibrissæ nullæ. Alæ unico tantum nervo in marginem interiorem descendente. Abdomen ovato-rotundatum aut oblongum, 5-6-annulatum, subglabrum. *Metamorphosis* ignota. *Imagines* in floribus præsertim Umbelliferarum inveni-

untur, mellificantes. Volatus haud velox, at interdum choreas in aëre ducunt.

A. Os pilosum. Abdomen rotundatum, subdepressum. Corpus latum. Alæ latæ.

122. *Phasia* Latr. Meig. Dipt. — *Conops* Linn. *Syrphus* Ross. *Thereva* Panz. Fall. *Alophora* Rob. Desv. — Macq. Meig. Suppl. — *Hyalomyia* Rob. Desv. — Macq.

Oculi contigui l. approximati. Alarum nervi, 3:tius longitudinalis rectus in apice alæ excurrit; 4:tus ad tertium intra apicem angulatim l. sæpius arcuatim inflexus. Tibiæ setulosæ.

B. Os non mystacinum, peristomate pubescente. Corpus oblongum, subnitidum, nudum.

123. *Gymnopeza* nob.

Oculi magni, aut distantes (♂?), aut contigui (♀?). Facies brevis. Nervus longitudinalis 4:tus paullo tantum curvatus, cum nervis 3:tio longit. subrecto, & costali, in summo apice alæ conjunctus. Hinc area media lanceolata. Abdomen rotundato-ovatum, 5-annulatum, ano in altero sexu longe inflexo.

C. Os mystacinum. Corpus subcylindricum.

124. *Xysta* Meig. Macq. *Thereva* Fabr.

Oculi approximati aut paullo distantes. Epistoma subcontractum. Alarum nervi, 3:tius longitudinalis in apice alæ excurrit rectus; 4:tus angulatim flexus in apice cum nervo costali conjunctus. Abdomen subcylindricum, convexum, 5-6-annulatum, ano in altero sexu appendiculato.

FAM. 23. DEXIARIÆ Macq.

Muscæ Sylvaticæ nob. Ins. Lapp.

Antennæ incumbentes, breviusculæ, seta tota dense plumata. Oculi nudi, unicolores, in ♂ approximati, in ♀ distantes. Facies medio plerumque carinata. Frons sæpe prominens. Vibrissæ nullæ. Alæ unico tantum nervo (interdum abbreviato) in marginem interiorem descendente. Corpus in nostris oblongum l. subcylindricum. Abdomen conicum, segmentorum posticorum margine setosum. Pedes elongati. *Imagines* innocuæ e melle florum nutrimentum hauriunt, loca elevata præsertim amantes. Oviductus feminæ vagina brevi. *Color* obscurus, non metallicus. *Larvæ* in vegetabilibus putridis vivunt teste D. *Robineau-Desvoidy.*

125. *Dexia* Meig. Dipt. — Latr. Regn. an. — Macq. *Musca* Fabr. Fall. *Dineræ* spec. Macq. Sv. a Buff. — *Wiedemannia*, *Melania* & *Morinia* Meig. Suppl. — *Sericoceræ* spec. Macq.

Facies perpendicularis aut decliva. Antennæ epistomate breviores, articulo ultimo antecedenti duplo l. triplo longiori. Abdomen cylindrico-conicum, segmento primo singulo reliquorum aut breviori, aut longitudine æquali.

FAM. 24. SARCOPHAGARIÆ nob.

Antennæ incumbentes, breviusculæ, seta plumata, apice nuda. Oculi nudi, unicolores, in utroque sexu distantes. Setæ mystacinæ plures. Vibrissæ nullæ. Facies brevis, epistomatis apice reflexo. Frons sæpissime prominens. Alæ unico tantum nervo in marginem interiorem descendente. Nervus 4:tus longitudinalis acutangulatim flexus cum nervis 3:tio et costali (licet non semper in eodem puncto) paullo ante apicem alæ conjunctus. Corpus oblongum. Abdomen cylindrico-conicum (♂), aut ovale (♀), segmentorum posticorum margine in utroque sexu setosum. Pedes mediocriter longi, tarsorum ungvibus pulvillisque in ♂ multo longioribus, quam in ♀. *Imagines* in pratis, arvis, fruticibus, parietibus, lapidibus & floribus versantur. Feminæ

viviparæ, teste *Macqvart*. *Larvæ* quarundam in sordidis, in cadaveribus & fungis putridis inventæ.

126. *Sarcophaga* Meig. Latr. Regn. an. — Macq. *Musca* Linn. Fabr. Fall. *Agria* & *Cynomyia* Macq.

Antennarum seta ad tertiam partem plumata, apice nuda. Oculi in utroque sexu disjuncti. Corpus setosum. Alarum nervus 4:tus longitudinalis angulo acuto (nec obtuso) ad costam sursum flexus, ibique ante apicem alæ excurrens.

FAM. 25. MUSCARIÆ nob.

Muscæ Familiares nob. Ins. Lapp.

Antennæ incumbentes, subelongatæ, seta usque ad apicem (licet sensim decrescendo) undique plumata. Oculi nudi aut pubescentes, unicolores, vel cohærentes (in ♂), vel distantes (in ♀). Setæ mystacinæ adsunt, sed vibrissæ nullæ l. spuriæ. Facies plerumque brevis, epistomatis apice subreflexo. Frons vix prominens. Alæ inermes unico tantum nervo in marginem interiorem descendente. Nervus 4:tus longitudinalis angulatim l. arcuatim flexus cum 3:tio et costali aut raro in eodem puncto, aut plerumque in ipso apice, aut paullo ante apicem, conjunctus. Nervus 4:tus infra angulum nunquam descendit. Corpus obtuse ovatum. Abdomen pubescens, vix setosum. Pedes mediocres, tarsorum ungvibus & pulvillis in utroque sexu æqvaliter longis. Oviductus feminæ longe vaginatus.

Subd. 1. *Muscariæ nobiles:* Aureo-virides, unicolores. Mediocres. Abdomen breve, rotundatum. Alæ divaricatæ.

127. *Lucilia* Robin. Desv. — Macq. Meig. Suppl. — *Musca* Linn. Fabr. Latr. Meig. Fall.

Alarum nervus 4:tus longitudinalis angulatim flexus paullo ante summum apicem alæ excurrens. Area ad costam aperta. Oculi nudi.

128. *Pyrellia* Rob. Desv. — Meig. Suppl. — *Lucilia* Macq. *Musca* Linn. Fabr. Fall. Meig.

Alarum nervus 4:tus longitudinalis arcuatim flexus in summo apice alæ excurrens. Area ad costam subocclusa. Oculi in nostris nudi.

Subdiv. 2. *Muscariæ plebejæ:* colore obscuræ, nigro-cærulescentes l. æneścentes l. sordide nigræ, nec aureo-nitentes; thorace lineato. Magnæ aut mediocres. Pleræque domesticæ. Alæ interdum incumbentes.

129. *Musca* Linn. Deg. Schrank. Ross. Panz. Fabr. Meig. Fall. *Calliphora* Rob. Desv. — Macq. *Pollenia* Rob. Desv. — Macq.

Corpus ovatum. Oculi nudi, in ♂ contigui, in ♀ distantes. Alarum nervus 4:tus longitudinalis angulatim flexus paullo ante apicem alæ cum costali conjunctus. Area media aperta, interdum snbocclusa.

Subd. 3. *Muscariæ rurales.* Nigræ totæ, corpore interdum ferrugineo-tomentoso; thorace non lineato. Maximæ. Nullæ domesticæ.

130. *Mesembrina* Meig. Rob. Desv. — Macq. *Musca* Linn. Deg. Reaum. Panz. Schrank. Fabr. Fall. *Syrphus* Panz. Thunb. *Eristalis* Fabr.

Corpus late ovatum, villosum, nec setosum. Oculi nudi, in ♂ subapproximati, in ♀ late distantes. Alæ basi coloratæ, nervo 4:to longitud. paullo curvatim flexo, exeunte in apice, ubi area media sat late aperta. Pedes pilosi.

Subd. 4. *Muscariæ hortenses.* Nigræ, thorace lineato, abdomine sæpissime tessellato-maculato. Mediocres.

131. *Cyrtoneura* Meig. Suppl. — *Curtoneura* Macq. *Musca* Meig. Fall.

Corpus ovatum, parce pubescens & setulosum. Oculi nudi aut hirsuti, in ♂ fere contigui, in ♀ distantes. Alæ basi non coloratæ, nervo 4:to longitud. curvatim flexo, exeunte in apice, ubi area media sat late aperta. Pedes subnudi seu parce pilosi.

FAM. 26. ANTHOMYZIDES Meig.

Antennæ deflexæ l. incumbentes, epistomate breviores (in *Dialyta* ejus longitudine), articulo ultimo oblongo aut elongato, compresso, apice obtuso, seta biarticulata, plumata, pubescente aut nuda. Oculi nudi, interdum hirti, unicolores, in ♂ interdum cohærentes l. approximati, in ♀ semper distantes. Os mystacinum. Vibrissæ nullæ. Facies plerumque brevis. Frons vitta obscura. Alæ nervis 2 longitudinalibus in marginem interiorem descendentibus. Nervus 4:tus longitudin. cum costali, totum apicem alæ cingente, sat longe pone apicem conjunctus. Corpus ovatum, oblongum, aut subcylindricum, pubescens & setulosum. Pedes simplices, interdum dentati, tibiis spinulosis. Pulvilli tarsorum in ♂ longiores, quam in ♀.

A. Palpi filiformes.

*) Proboscis subexserta: capitulo oblongo, hamato.

132. *Drymeia* Meig. Latr. Regn. an. — Macq. *Musca* Fall.

Antennæ incumbentes, articulo ultimo oblongo, seta pubescente. Oculi nudi. Alæ incumbentes, nervo transverso ordinario recto. Squama parva. Corpus oblongum & pedes, nigra. Abdomen subcylindricum. Oculi in ♂ subcohærentes.

**) Proboscis retracta.

†. Pedes toti, antennæ & palpi, nigra.

133. *Dialyta* Meig. *Musca* Fall.

Antennæ incumbentes longitudine hypostomatis, seta nuda. Oculi nudi, in utroque sexu late distantes. Frons distincte prominens. Facies decliva. Alarum costa setulosa, spinula obliqua (*setula* Meig.) ubi excurrit nervus secundarius. Corpus nitens. Abdomen subcylindricum & pedes, spinosa, Tibiæ apice calcaribus 5 longis, æqualibus.

134. *Aricia* Macq. Meig. Suppl. — *Anthomyia* Meig. Wied. *Lasiops* Meig. *Hylemyia* & *Hydrotæa* Macq. Meig. *Spilogaster*, *Hydrophoria*, *Ophyra* & *Limnophora* Macq. *Musca* Linn. Fabr. Panz. Fall. & Auctor. Veter.

Antennæ deflexæ l. incumbentes, epistomate sæpissime paullo breviores, seta plumata, pubescente aut nuda. Oculi nudi l. hirti *), in ♂ sæpe cohærentes l. approximati. Frons raro prominens. Pedes interdum dentati.

††. Pedes aut ex parte, aut toti rufi seu pallidi.

135. *Anthomyza* nob. *Anthomyia* Meig. Wied. Macq. *Cænosia* Meig. Macq. *Spilogaster*, *Hydrophoria*, *Pegomyia* Macqv. *Ariciæ* & *Hylemyiæ* spec. Macq. Meig. *Musca* Linn. Deg. Schrank. Panz. Ross. Fabr. Fall.

Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, seta plumata, pubescente aut nuda. Oculi nudi, raro

---

*) Solummodo ex oculorum nuditate l. hirsutie notam sufficientem pro generibus Anthomyzidum dignoscendis assumere non possum, cum species dantur, quarum mares oculis hirtis, & feminæ nudis, gaudent. Nec ex notis sexui masculo tantum competentibus, ex. gr. ex armatura pedum in *Hydrotæa* Meig. & appendicibus ventralibus in *Hydrophoria* Macq., characteres genericos fingere audeo.

hirti, in ♂ interdum cohærentes l. conniventes. Frons raro prominens. Pedes nunquam dentati.

136. *Leptopa* nob. Ins. Lapp.

Antennæ deflexæ, brevissimæ, seta subnuda. Oculi in utroque sexu distantes. Frons parum prominens. Mystaces in lamina locatæ. Corpus valde angustatum. Pedes graciles, non dentati, toti pallidi.

B. Palpi dilatati, cochleariformes.

137. *Lispa* Latr. Fall. *Lispe* Meig. Macq. *Musca* Deg.

Antennæ deflexæ, epistomate paullo breviores, seta plumata. Oculi exserti nudi, in utroque sexu distantes, in facie angulatis. Alæ incumbentes, squama magna.

FAM. 27. EPHYDRINÆ nob.

Antennæ deflexæ, breves, seta pectinata, interdum pubescente aut nuda. Oculi exserti (ut plerumque in insectis ad aqvam habitantibus), nudi. Epistoma convexum. Mystaces nullæ. Alarum nervi fere ut in Anthomyzidibus directi, at auxiliaris simplex, secundario scilicet nullo. Abdomen ellipticum, 5-annulatum (in *Psilopa* 3-4-annulatum). Corpus parvum. Pedes nudi, inermes. *Imagines* degunt, sæpe copiose, in humidis, ad aqvas stagnantes, ut & in ripis & littoribus. *Larvæ* in caulibus plantarum aquaticarum vivunt.

A. Pedes antici incrassati.

138. *Ochtera* Latr. Meig. Fall. Macq. *Musca* Deg. *Thephritis* Fabr.

Antennarum seta radiis paucis. Caput nudum. Epistoma descendens, apice coarctatum, emarginatum. Frons lata. Nervus alarum 4:tus longitudinalis paullo curvatim mox pone apicem alæ excurrit. Femora antica maxima, tumida, subtus spinulosa.

B. Pedes omnes simplices.

139. *Ephydra* Fall. Meig. Macq. *Napæa* *) Rob. Desv.

Antennarum seta aut pectinata, aut nudiuscula. Epistoma fornicatum, amplum, pubescens, & apertura oris inde maxima, circularis, integra.

140. *Notiphila* Fall. Meig. Macq, *Hydrellia* Macq. Sv. a Buff. — Meig. Suppl.

Antennarum seta pectinata, aut subnuda. Facies subangustata. Epistoma nudiusculum, bisulcatum, in medio elevatum, apice inflexum. Oculi minusculi. Frons setosa. Alæ abdomine longiores, nervis transversis interdum longe remotis.

141. *Psilopa* Fall. *Notiphilæ* spec. Meig. *Discomyza* Meig. Macq. *Trimerina* Macq.

Antennæ apice subangulatæ, seta pectinata. Caput antice convexum, epistomate subæquali. Oculi majusculi. Alæ breves, nervo transverso medio ad basin alæ retracto; auxiliari brevi. Abdomen subdeflexum, 3-4-annulatum. Pedes breviusculi.

FAM. 28. OCHTIPHILINÆ nob.

Antennæ subporrectæ, longiusculæ, apice angulatæ, seta nuda. Oculi rotundi (in *Oxyrhina* transversim ovati), exserti, nudi, distantes. Epistoma subimpressum, seta mystacina plerumque nulla. Frons lata, setosa. Alæ non vibrantes, nervis fere ut in *Notiphila* directis. Squama parva. Abdomen 5-annulatum. Pedes nudi. Corpus parvum, ovale. Habitatio sæpius in Scirpinis.

*) Os palpis retractis.

a) Oculi rotundi.

---

*) est nomen antiquius plantæ generis.

142. *Ochtiphila* Fall. Meig. Macq. *Chamæmyia* Panz.

Antennarum articulus ultimus subtus rotundatus, apice supra angulatus (in *Ocht. fuscinervi* apice obtusus). Epistoma nudum (in *O. littorella* seta utrinque mystacina). Alarum nervi transversi subapproximati.

(*Psilopa* antennis subangulatis in Familia antecedenti exstat.)

b) Oculi ovati transversim positi.

143. *Oxyrhina* Meig. Suppl. — *Tetanocera* Meig. Dipt. — *Trigonometopus* Macq.

Antennæ horizontales, fronti longe prominulæ insertæ, articulo ultimo ovato, apice subangulato, seta subnuda. Frons plana. Epistoma valde reclinatum, nudum. Alarum nervi transversi subremoti. (Genus affine *Platycephalæ*, *Orygmæ*, *Tetanouræ* &c.)

**) Os palpis cylindricis longe exsertis.

144. *Phyllomyza* Fall. Macq. *Agromyzæ* & *Opomyzæ* spec. Meig.

Antennarum articulus ultimus magnus, reliquis latior, compressus, subquadratus, deflexus. Facies excavata, nuda. Epistoma setis mystacinis spuriis. Alæ rotundatæ, nervis transversis in disco subapproximatis. Pedum metatarsus longus.

FAM. 29. SCATOMYZIDES Fall.

Antennæ deflexæ, articulo ultimo secundo multo longiori, apice subtruncato, seta plumata aut nuda. Palpi sæpissime extus latiores. Caput globosum. Facies perpendicularis. Oculi distantes. Epistoma mystaceum. Alæ incumbentes, non vibrantes. Nervi ut in Anthomyzidibus directi. Tibiæ spinosæ. Corpus mediocre, oblongum.

A. Palpi vix dilatati. Abdomen sublanceolatum.

145. *Scatomyza* Fall. *Musca* Linn. Deg. Schrank. Ross. Panz. Fabr. *Scatophaga* Latr. Meig. Macq.

Antennæ apice obtusæ. Epistoma subdescendens. Setæ mystacinæ plures. Abdomen 5-annulatum, elongatum l. lanceolatum. Alæ abdomine longiores. Corpus dense pilosum.

B. Palpi clavati. Abdomen subclavatum.

146. *Cordylura* Fall. Meig. Macq. *Hydromyza* Fall. *Musca* Linn. *Ocyptera* Fabr.

Antennæ apice truncatæ. Epistoma parum descendens. Setæ mystacinæ paucæ. Abdomen 5-6-annulatum, præsertim maris angustatum, clavatum. Alæ abdomine fere breviores, aut ejus longitudine, nervo auxiliari brevi. Corpus pilosum.

Obs. Cordylura myopina Meig. Suppl. (*Cœnosia* eadem Meig. Dipt. — *Myopina reflexa* Macq.) in genere *Aricia* sub Fam. 26 Anthomyzidum quærenda.

FAM. 30. SCIOMYZIDES Fall.

Antennæ deflexæ, aut porrectæ, articulo ultimo rotundato, aut elongato, seta plumata, aut nuda. Facies subperpendicularis. Os nudum (non mystaceum). Oculi nudi, in utroque sexu late distantes. Vertex, thorax & scutellum longe, sed parce setosa. Abdomen 5-annulatum (in *Ectinocera* 7-annulatum), pubescens. Alæ non vibrantes; incumbentes, abdomine longiores, nervis ut in Anthomyzidibus fere directis, at nervo transverso ordinario propius ad marginem alæ interiorem sito. Costa ciliata, non setulosa. Nervus auxiliaris elongatus, a secundario separatus. Pedes submutici. Corpus mediocre.

Obs. Oxyrhina, affinis *Tetanoceræ*, sed epistomate non descendente, oculis transversim ovatis &c. distincta, in Famil. 28 Ochtiphilin. invenienda.

A. Antennæ breviusculæ, deflexæ.

* Os reflexum.

147. *Dryomyza* Fall. Meig. Macq. *Musca* Fabr. *Dryops* Rob. Desv.

Antennæ breves, articulo ultimo rotundato, seta plerumque subnuda. Epistoma valde retusum, apice reflexo. Alarum nervus longitudinalis longissimus. Pedes simplices.

** Os non l. parum reflexum.

148. *Sciomyza* Fall. Meig. Macq. *Scatophaga* Fabr. *Dictya* Rob. Desv.

Antennæ oblique deflexæ, breviusculæ, articulis basalibus brevissimis, ultimo subovato. Epistoma subreclinatum. Frons plerumque brevissime puberula. Alarum nervus transversus ordinarius semper rectus. Pedes simplices.

B. Antennæ elongatæ, horizontaliter porrectæ.

α). Femora postica crassa, subtus spinulosa.

149. *Sepedon* Fall. Latr. Meig. Rob. Desv. — Macq. *Syrphus* Fabr. Ross. *Musca* Schrank. Panz. *Baccha* Fabr. Antl.

Antennæ capite longiores, articulo 2:do elongato, compresso, setoso, ultimo acuto supra exciso, seta subpubescente. Epistoma subconicum, perpendiculariter descendens, nudum. Frons lata, prominens. Oculi exserti. Abdomen nudum. Femora postica crassa, subtus spinosa. Nervus alarum auxiliaris ad medium costæ extensus.

β. Pedes simplices, mutici.

150. *Tetanocera* Fall. Meig. Latr. Macq. *Elgiva* Megerl. Meig. Suppl. — *Musca* Linn. Panz. Ross. *Scatophaga* Fabr. *Euthycera* Latr. Regn. an.

Antennæ elongatæ, apice excisæ, articulis 2 & 3 subæqualiter longis. Epistoma in medio non retusum. Alarum nervi, auxiliaris in medium costæ extensus, transversus ordinarius sæpissime incurvus. Femora postica anterioribus æqualiter longa, inermia.

151. *Ectinocera* nob.

Antennæ elongatæ (longitudine capitis transversi), articulo 1:mo brevissimo, 2:do brevi, 3:tio longissimo, angusto, conico, acuminato s. sublunato. Epistoma descendens. Alarum nervus auxiliaris paullo pone transversum medium extensus. Abdomen 7-annulatum. Pedes mutici.

FAM. 31. ORTALIDES Fall.

Antennæ incumbentes aut deflexæ, epistomate breviores (in *Ortali juncorum* longitudine capitis, & in *Lauxania cylindricorni* capite fere longiores), seta sæpissime nuda (in *Lauxaniæ* & *Sapromyzæ* speciebus plumata). Facies sæpissime subperpendicularis. Os nudum. Oculi fere semper nudi, rotundati, rarius oblongiusculi; late distantes. Abdomen 4-6-annulatum. Alæ plerumque vibrantes. Nervi ut in Sciomyzidibus directi, præter nervos auxiliarem & secundarium magis approximatos, hunc scilicet ab illo vix nisi ad apicem remotum. (In *Ulidia* area angularis adest). Pedes simplices, femoribus interdum incrassatis; plerumque mutici, tibiis intermediis apice bicalcaratis.

Subd. 1. Caput buccatum, subhorizontale, cum vertice nudum. Epistoma reclinatum. Oculi parvi.

152. *Tetanops* Fall. Meig. Latr. Regn. an. — Macq.

Antennæ parvæ distantes, oblique porrectæ, articulo ultimo ovato, compresso, seta subnuda. Epistoma carinatum. Frons porrecta, ante oculos longé producta,

plana. Abdomen 5-annulatum, oviductu feminæ incurvo, articulato. Pedes glabri.

Subd. 2. Caput vertice setulis instructo. Epistoma perpendiculare.

A. Alarum area angularis nulla.

*). Alæ vibrantes.

†. Abdomen 5-annulatum.

α). Antennæ oblique deflexæ, elongatæ, angustæ. Oculi suboblongi.

153. *Ortalis* Fall. Meig. Macq. *Musca* Linn. Panz. *Scatophaga* Fabr. *Tephritis* Latr. *Herina*, *Ceroxys* & *Otites* Macq.

Antennarum seta nuda. Caput rotundatum. Epistoma carinatum. Frons hirsutula. Alæ erigendo vibrantes, sæpe fasciatæ, nervis transversis remotioribus, & auxiliari medium costæ superante. Corpus nudiusculum, nigrum.

β). Antennæ incumbentes l. deflexæ, breves, rotundatæ.

154. *Tephritis* Latr. Fabr. Fall. Macq. *Musca* Linn. Deg. Schrank. Panz. Ross. *Daci*, *Dictyæ* & *Scatophagæ* spec. Fabr. *Trupanea* Schrank. *Trypeta* Meig. *Urophora*, *Terellia*, *Acinia* & *Eurina* Macq.

Antennæ longitudine epistomatis dimidii. Facies plana Epistoma in medio tantum leviter excavatum, absque carina. Oculi rotundi, virides. Vagina analis feminæ longe exserta, articulo 1:mo nitido, non retractili. Alæ in utroque sexu erigendo vibrantes, sæpe pictæ & fasciatæ, nervis transversis subappropinquantibus.

155. *Psairoptera* Wahlb. *Homalocephala* Zett. Ins. Lapp.

Antennæ deflexæ, seta nuda. Caput latum. Epistoma breve, latum. Oculi transversim subovati. Abdomen conicum. Alæ horizontaliter vibrantes, nervis transversis remotioribus, & auxiliari medium costæ superante. Corpus punctatum, nigrum.

156. *Palloptera* Fall. *Musca* Panz. *Dacus* Fabr.
Sapromyza Meig. Macq. *Suillia* Rob. Desv.

Antennæ deflexæ, seta subnuda. Caput rotundatum. Epistoma breve, subimpressum. Oculi rotundi. Frons puberula. Oviductus feminæ longe erumpens. Alæ in utroque sexu incumbentes, erigendo vibrantes, nervis transversis remotis, auxiliari non ad medium costæ extenso; plerumque maculatæ. Pedes simplices. Corpus oblongum.

††. Abdomen 4-annulatum.

157. *Sepsis* Fall. Meig, Macq. *Musca* Linn. Deg. Panz. *Tephritis* Fabr. *Calobata* Fabr. *Micropeza* Latr. *Nemopoda* Rob. Desv. — Macq. Meig. Suppl. — *Cheligaster* Macq.

Antennæ incumbentes, breviusculæ, oblongæ, seta nuda. Caput globosum. Epistoma planum, emarginatum. Oculi rotundi. Abdomen subpetiolatum. Alæ vibrantes, nervis ut in *Ortale* directis, at auxiliari in costa desinente, ubi transversus medius opponitur. Corpus elongatum, subcylindricum, impunctatum, glabrum, nigrum. Coxæ anticæ maximæ. Punctum in pectore supra coxas intermedias cinereum.

**) Alæ incumbentes, non vibrantes.

1. Corpus elongatum, angustum, subcylindricum.

158. *Lissa* Meig. Macq. *Ocyptera* Fabr. *Chylizа* Fall.

Antennæ oblique porrectæ, parvæ, ovales, seta breviter subpubescente. Caput hemisphæricum. Epistoma reclinatum, subcarinatum, apice emarginatum. Oculi magni, oblongi. Frons prominens, antice tuberculata. Abdomen elongatum, tenue, segmentis 6, anali computato. Alæ abdomine breviores, nervis transversis remotis, auxiliari ad medium costæ extenso, a secundario separato. Pedes postici elongati, femoribus validis.

2. Corpus oblongum l. ovatum.

a) Antennæ breves. Oculi rotundi.

159. *Sapromyza* Fall. Arrhens. Meig. *Musca* Linn. *Tephritis* Fabr. *Sylvia*, *Lycia* Rob. D.

Antennæ deflexæ, rotundatæ aut oblongæ, apice obtusæ, seta nuda (in *S. plumicorni* plumata). Caput rotundatum. Epistoma breve, non impressum. Frons vix hirsutula. Abdomen 5-annulatum, oviductu feminæ parum erumpente. Alarum nervi ut in *Palloptera*. Pedes simplices, aut in mare interdum incrassati. Corpus pubescens, mollissimum, flavum (in *S. pallidiventri* obscurum). Setæ verticis thoracisque distinctæ.

b). Antennæ elongatæ. Oculi oblongi. Abdomen 5-annulatum, depressum.

160. *Lonchæa* Fall. Meig. Macq. *Musca* Fabr.

Antennæ deflexæ, sæpe longitudine fere epistomatis, lineares, seta nuda. Epistoma breve. Oculi maximi, perpendiculariter oblongi. Frons angusta, pubescens. Oviductus ♀ erumpens. Alæ abdomine longiores, nervis transversis remotioribus, & auxiliari medium costæ superante; immaculatæ. Pedes simplices. Corpus villosum, atrum.

161. *Lauxania* Latr. Fabr. Panz. Fall. Meig. Macq. *Musca* Fabr. *Pachycerina* Macq.

Antennæ oblique porrectæ, seta nuda aut plumata. Epistoma inæqvale, subconvexum. Oculi perpendiculariter rotundato-oblongi. Oviductus ♀ non erumpens. Alæ & pedes ut in *Lonchæa*, nervo auxiliari paullo breviori.

B. Alarum area angularis adest.

162. *Ulidia* Meig. Latr. Regn. an. — Macq. *Chrysomyza* Fall. *Tephritis* Fabr. *Mosillus* Latr. Gen.

Antennæ incumbentes, parvæ, articulo ultimo ovali, seta nuda. Caput subhemisphæricum. Epistoma descendens, impressum. Oculi rotundi. Frons lata, rugosa, nuda. Abdomen ovatum, depressum, 5-annulatum. Alæ incumbentes, non vibrantes; immaculatæ. Nervi: auxiliaris in medio costæ desinit; 4:tus longitudinalis paullo incurvatus fere in apice alæ excurrit. Pedes simplices. Corpus ovatum, æneum.

FAM. 32. OPOMYZIDES Fall.

Antennæ deflexæ, sæpe breviusculæ, seta pubescente, rarissime plumata. Caput rotundatum. Os nudum. Oculi rotundi, raro oblongi; distantes, nudi. Vertex semper setulis instructus. Corpus elongatum, angustum, parum pubescens, parce setulosum. Abdomen 5-6-annulatum. Alæ incumbentes, non vibrantes. Nervi fere ut in *Anthomyzidibus* directi; auxiliaris & secundarius in unum fere confluentes, ad medium costæ vix extensi, & ante nervum transversum medium sæpe cessantes; transversi sæpissime longe remoti. Pedes nudi, tibiis intermediis apice bicalcaratis; simplices (in *Scatophagæ* specieb. femoribus incrassatis).

A. Antennarum seta nuda l. breviter pubescens.

*) Oculi rotundi.

†. Corpus subfiliforme, mediæ longitudinis. Oculi magni. Pedes longissimi, mutici.

163. *Calobata* Fabr. Fall. Meig. Latr. Rob. Desv. — Macq. *Musca* Linn. Panz. Schrank. Ross.

Antennæ breves, rotundatæ. Epistoma non descendens, declivum. Frons angusta, nuda. Caput globosum. Humeri tuberculati. Abdomen 5-annulatum. Alæ abdomine longiores, nervis longitudinalibus 3 & 4 non parallelis.

164. *Micropeza* Latr. Meig. Macq. *Calobata* Fabr. Latr. Fall.

Antennæ porrectæ, breves, rotundatæ. Epistoma breve, reclinatum. Caput elongatum. Abdomen 6-annulatum. Alæ longitudine abdominis, nervis, longitudinalibus 3 & 4 non parallelis, auxiliari brevissimo.

††. Corpus elongatum, mediæ l. minoris magnitudinis. Abdomen 6-annulatum.

165. *Loxocera* Fabr. Illig. Latr. Meig. Fall. Macq. *Musca* Linn. Panz. *Syrphus* Ross.

Antennæ oblique porrectæ, longissimæ (capite multo longiores). Epistoma reclinatum, planum, subdescendens. Frons lata. Palpi apice subdilatati. Alæ abdomine fere breviores, nervo longitudinali 5:to infra transversum declinato s. apice in marginem interiorem recurvo. Pedes mediocres, inermes.

166. *Scatophaga* Fabr. Fall. *Musca* Linn. Panz. *Tephritis* Fabr. *Psila* *) Meig. *Psilomyia* Latr. Regn. an. — Macq.

---

*) *Psila* est nomen Hemipteri, & præterea nimium consonans cum *Psilus* veteri nomine generis inter Hymenoptera.

Antennæ oblique deflexæ, oblongæ, epistomate multo breviores. Epistoma reclinatum, planum, subdescendens. Frons lata, plana, nuda. Palpi subfiliformes. Oculi parvi. Alæ abdomine paullo longiores. Nervi ut in *Loxocera*. Pedes mediocres, interdum incrassati.

167. *Tetanura* Fall. Meig. Latr. Regn. an. — Macq.

Antennæ oblique porrectæ, epistomate breviores, articulo ultimo ovali. Epistoma perpendiculare, carinatum. Oculi magni. Frons plana, setosa. Abdomen elongatum, cylindricum, subclavatum. Alarum nervi, 3 & 4 longitudinales paralleli; transversi subapproximati. Pedes subelongati.

168. *Opomyza* Fall. Meig. Macq. *Musca* Linn. *Dacus* & *Tephritis* Fabr.

Antennæ deflexæ, breves, rotundæ. Caput rotundatum. Epistoma parum descendens. Frons lata, non prominula. Alæ elongatæ, nervis, auxiliari brevissimo vix tertiam partem costæ attingente; transversis in disco non longe distantibus & horum ordinario prope marginem sito. Pedes simplices. Corpus parvum, oblongum, opacum.

** Oculi oblongi. Abdomen 6-annulatum. Corpus elongatum, angustum.

169. *Tanypeza* Fall. Meig. Latr. Regn. an. — Macq.

Antennæ subdeflexæ, oblongæ. Epistoma subreclinatum, planum, nudum. Frons angusta, nuda. Alarum nervi longitudinales 3 & 4 non paralleli. Pedes elongati.

170. *Chyliza* Fall. Meig. Macq. *Musca* Panz. *Sargus* Fabr.

Antennæ deflexæ, elongatæ, longitudine fere epistomatis. Epistoma perpendiculare, planum. Frons pubescens. Alarum nervi longitudinales 3 & 4 subparallelí. Pedes mediocres.

B. Antennarum seta plumata. Corpus breve, nanum.

171. *Colobæa* nob. *Opomyza* Fall.

Antennæ oblique deflexæ, breves, ovatæ. Epistoma parum descendens, apertura oris ampla. Caput latum, transversum. Frons non prominula. Oculi rotundi. Abdomen breve, 5-annulatum. Alæ abdomine longiores, nervis, auxiliari brevissimo, omnibus longitudinalibus rectis, transversis mediocriter remotis. Pedes validi, simplices.

FAM. 33. HETEROMYZIDES Fall. (non Macq.)

Antennæ subrotundatæ, subsessiles, seta sæpissime nuda. Os mystaceum (in *Heteromyza buccata* & *Actora* nudum, in *Orygma* seta mystacina spuria). Frons lata (in *Heteromyza oculata* angusta & in *Rhynchæa* parum lata), setosa l. pubescens. Oculi rotundi (in *Orygma* & *Cœlopa* transversim ovati). Abdomen 5- (in *Helomyza* 6-) annulatum. Alæ incumbentes, abdomine longiores, nervis: auxiliari ad medium costæ sæpius extenso; longitudinalibus simplicibus, plerumque rectis; transversis in disco remotis (in *Orygma* & *Piophila* subappropinqvantibus). Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum aut ovatum.

A. Antennæ subdeflexæ, breves articulo ultimo orbiculari, aut rotundato, seta nuda (in *Helomyzæ* spec. plumata). Pedes validi.

*. Alarum nervi longitudinales omnes recti, ad marginem alæ descendentes. Abdominis segmenta æqualia. Pedum metatarsus posticus simplex.

†. Alarum costa tota setosa. Antennarum seta nuda aut plumata.

172. *Helomyza* Fall. Meig. Macq. *Suillia* Rob. Desv. — *Musca* Linn. Deg. Fabr. Schrank. *Blephariptera* Macq.

Antennæ subdeflexæ, rotundatæ. Epistoma perpendiculariter descendens. Alarum nervi, costalis setosus; auxiliaris a secundario parum separatus, ad medium costæ extensus. Pedes villosi.

††. Alarum costa nuda, saltem non distincte setosa (*Heteromyza læta* Meig. Suppl. costa parum setulosa in *Helomyza* quærenda). Antennarum seta nuda.

α). Oculi rotundi.

173. *Heteromyza* Fall. Meig. Macq.

Antennæ oblique porrectæ, orbiculatæ. Epistoma perpendiculariter descendens. Alarum nervus auxiliaris a secundario subsejunctus, ad medium costæ extensus. Pedes subspinulosi.

174. *Actora* Meig. Macq.

Antennæ oblique porrectæ, sub margine frontis prominulæ insertæ, parvæ, distantes, articulo ultimo subgloboso. Epistoma descendens. Frons pubescentia rara, depressa vestita. Alarum nervus auxiliaris a secundario subsejunctus, ad medium costæ extensus. Pedes villosi.

β.) Oculi transversim ovati.

175. *Orygma* Meig.

Antennæ parvæ, subdeflexæ, sub margine frontis insertæ; rotundatæ. Frons prominula, tota parce setosa. Epistoma reclinatum, convexum, bifoveolatum, seta mystacina spuria. Oculi parvi. Alarum nervus auxiliaris a secundario distincte remotus, ad medium costæ extensus. Pedes spinulosi.

176. *Coelopa* Meig. Macq. *Musca* Fabr. *Copromyza* Fall.

Antennæ deflexæ, parvæ, articulo ultimo orbiculari. Caput parvum. Epistoma excisum, ore prominulo, setis mystacinis pluribus. Alarum nervus auxiliaris a secundario subsejunctus, ad medium costæ extensus. Pedes villosi & dense spinosi. Corpus depressum.

**. Alarum nervi longitudinales aut integri, curvati, aut 5:tus, vel 4:tus 5:tusque, abbreviati. Apertura oris magna. Abdominis segmenta sæpe inæqvalia. Pedum metatarsus posticus brevis, incrassatus. Corpus depressum.

a) Nervi longitudinales aut integri, aut 5:tus abbreviatus.

177. *Copromyza* Fall. *Calobata* Fabr. *Musca* Linn. *Rhagio* Schrank. *Sphærocera* Latr. Macq. *Borborus* Meig. Macq. *Heteroptera* Macq.

Antennæ subdeflexæ, parvæ, orbiculatæ, seta longa. Epistoma breve, impressum, setis mystacinis paucis. Abdominis segmenta sæpe inæqualia. Alarum nervus longitudinalis 4:tus aut subcurvatus, aut infra transversum ordinarium abbreviatus; costa mutica.

b) Nervi longitudinales 4 & 5 abbreviati.

178. *Limosina* Macq. Meig. Suppl. — *Borborus* Meig. Dipt. — *Copromyza* Fall.

Antennæ subdeflexæ, parvæ, orbiculatæ, seta longa. Epistoma breve, impressum, setis mystacinis paucis. Scutellum magnum, planum. Abdominis segmenta æqualiter longa. Alarum nervi longitudinales 4 & 5 infra transversum ordinarium abbreviati. Costa basi setosa.

B. Antennæ incumbentes, articulo ultimo elliptico aut oblongo, seta semper nuda. Caput rotundatum. Frons non prominula. Seta mystacina utrinque unica. Alarum nervi lon-

gitudinales integri. Costa inermis. Pedes mediocres, simplices, mutici. Corpus parvum, nitidum.

*) Antennæ ellipticæ. Epistoma parum descendens.

179. *Piophila* Fall. Meig. Macq. *Musca* Linn. *Tephritis* Fabr. *Anisophysa* Macq.

Alarum nervus auxiliaris simplex, aut ad medium costæ extensus, aut brevior. Corpus oblongo-ovatum, glabrum, nudum, setis verticis, scutelli abdominisque apicis, paucioribus.

**) Antennæ suboblongæ. Epistoma subdescendens.

180. *Rhynchæa* nob.

Antennæ articulo ultimo oblongo. Caput magnum. Frons decliva. Epistoma subdescendens. Proboscis saccata, paullo exserta. Palpi magni, rotundi. Oculi magni, rotundato-oblongi. Abdomen subdepressum. Alæ nervis ut in *Lonchæa* directis, auxiliari breviori, vix ad medium costæ extenso, simplici. Corpus ovale, parce pubescens, nigrum.

FAM. 34 GEOMYZIDES Fall.

Antennæ breves, deflexæ aut incumbentes, seta pectinata aut plumata (in *Geomyza marginella* pubescente). Os seta mystacina utrinque unica. Epistoma vix l. parum descendens, subimpressum. Frons lata, setosa. Abdomen 6-annulatum (in *Diastata* & *Asteia?* 5-annulatum). Alæ incumbentes, abdomen superantes. Nervi: auxiliaris simplex, brevis, vix ultra qvartam partem costæ extensus: transversi subremoti, seu ordinarius ad marginem alæ prope retractus. Pedes simplices. Corpus parvum, molle.

A. Oculi rotundi. Alæ parallelæ, rectæ.

*) Nervi alarum transversi subapproximati.

181. *Geomyza* Fall. *Musca* Linn. *Tephritis* Fabr. *Opomyza* Meig. Macq.

Antennæ ovatæ, seta plumata (in *G. marginella*

pubescente). Alæ elongatæ, sæpe maculatæ. Corpus oblongum.

**) Nervi alarum transversi remoti.

a. Antennæ ovatæ. Alarum nervi completi.

182. *Diastata* Meig. Macq. *Geomyza* Fall.

Antennarum seta dense plumata. Abdomen 5-annulatum. Alæ elongatæ. Corpus oblongum.

183. *Drosophila* Fall. Meig. Macq. *Musca* Linn. Reaum. Panz. Fabr.

Antennarum seta vage plumata, radiis scilicet distantibus. Alæ latæ. Corpus oblongo-ovatum.

b. Antennæ rotundatæ. Alarum nervi incompleti.

184. *Asteia* Meig. Macq.

Antennarum seta vage pectinata. Alæ magnæ, nervis, longitudinali secundo brevissimo; transverso ordinario deficiente. Corpus oblongum, nitidum.

B. Oculi oblongi. Alæ deflexæ, incurvæ.

185. *Stegana* Meig. Macq. *Drosophila* Fall.

Antennæ oblongæ, obtusæ, seta distincte plumata. Alarum nervus 4:tus longitudinalis subcurvatus, in apice alæ excurrens. Corpus ovatum, antice obtusum.

FAM. 35. OSCINIDES Fall.

Antennæ breves, deflexæ, apice rotundatæ, seta nudiuscula. Os nudum. Frons lata. Oculi rotundi. Abdomen 5-annulatum. Alæ incumbentes, abdomine paullo longiores, nervis transversis sæpius approximatis. Pedes breves, validi. Corpus parvum, nudiusculum.

Obs. *Oxyrhina* genus, *Platycephalæ* affine, sed antennis porrectis, apice angulatis, oculis transversim ovatis &c. distinctum, in Famil. 28 Ochtiphilin. quærendum.

Sect 1. Nervuli transversi in medio alæ approximati.

A. Femora postica incrassata.

186. *Plathycephala* Fall. Meig. Macq. *Musca*, *Oscinis* Fabr. *Tetanocera* Latr.

Antennæ oblique porrectæ, articulis ultimis æqvalibus, tertio elongato, ovato. Epistoma reclinatum. Frons longe prominula, plana, l. leviter concava, nuda. Pedes nudi, incurvi, tibiis posticis arcuatis.

187. *Meromyza* Meig. Macq. *Musca* Linn. *Tephritis* Fabr. *Oscinis* Fall.

Antennæ oblique deflexæ, articulo ultimo rotundato. Epistoma breve. Frons prominula, subnuda. Alarum nervi: costalis cum 3:tio longitudinali ante apicem alæ conjunctus; transversi in medio disci perspicue approximati. Corpus elongatum.

B. Femora simplicia. Antennæ oblique deflexæ.

*) Frons puberula, macula verticis triangulari, nitida. Corpus oblongo-ovatum.

188. *Oscinis* Fabr. Latr. Fall. Macq. *Musca* Linn Schrank. Ross. Panz. *Chlorops* Meig. Macq.

Antennarum articulus ultimus orbicularis. Epistoma breve. Frons subprominula, puberula, macula triangulari nitidissima, glaberrima. Alarum nervus costalis aut ante apicem alæ cum 3:tio longitudinali connexus, aut in apice cum 4:to longitud. conjunctus.

189. *Madiza* Fall. *Chloropis*, *Gymnopæ* & *Agromyæ* species Meig. Macq. *Siphonella* Macq.

Antennæ brevissimæ, parvæ, rotundæ, propius ad os insertæ. Frons puberula, antrorsum sensim depressa,

macula verticis triangulari minori, subnitida. Epistoma impressum, apice porrectum. Proboscis hamata. Alarum nervus costalis aut in apice, aut pone apicem alæ cum 4:to longitudinali connexus.

**). Frons nitida glabra, nuda, vertice setis paucis, macula triangulari non determinata.

190. *Leiomyza* Meig. Suppl. — Macq. *Agromyza* Meig. Dipt. — *Heteroneura* & *Agromyza* Fall. *Oscinis ænea* &c. nob. olim.

Antennæ rotundatæ. Frons non prominula, mediocriter lata. Epistoma perpendiculare, haud descendens. Proboscis retracta. Alarum nervus costalis fere in apice (vel mox pone apicem) alæ cum 4:to longitudinali conjunctus. Corpus oblongum, glabrum, nitidum.

Sect. 2. Nervuli transversi in disco alæ remoti, horum scilicet ordinarius prope ad marginem alæ interiorem retractus.

191. *Gymnopa* Fall. Meig. Macq. *Eristalis* Fabr.

Antennæ incumbentes, parvæ, rotundatæ, medio faciei insertæ. Epistoma descendens, apice tuberculatum. Frons convexa, subnuda. Alarum nervus costalis cum 4:to longitudinali pone apicem alæ conjunctus. Pedes simplices. Corpus late ovatum, obtusum.

FAM. 36. AGROMYZIDES Fall.

Antennæ breviusculæ, rotundatæ, aut apice aculeatæ; seta nuda. Os mystacinum (in *Heteroneura*, *Leucope* & in speciebus aliqvot *Anthophilinæ* & *Agromyzæ* subnudum s. setis spuriis tantum instructum). Epistoma impressum. Vertex setosus. Frons lata. Oculi rotundi. Abdomen 5-raro 6-annulatum (in *Milichia* 4-annulatum). Alæ incumbentes (in *Milichia* divaricatæ). Nervus transversus ordi-

narius vel pone medium vel in medio alæ situs. Corpus parvum, molle. *Larvæ* phytophagæ.

Tribus 1. Nervulus transversus ordinarius pone medium alæ ductus.

Subd. 1. Pedes elongati, coxis anticis longis. Os mystaceum. Abdomen 6-annulatum.

192. *Therina* Meig. Macq. *Macrochira* nob. Ins. Lapp.

Antennæ oblique deflexæ, orbiculatæ. Os seta mystacina distincta. Vertex setosus. Alarum nervi transversi remoti. Corpus elongatum, parce setosum.

Subd. 2. Pedes mediocres, coxis anticis non longis.

A. Abdomen 5-annulatum.

*) Antennæ subporrectæ, ovales.

193. *Heteroneura* Fall. *Agromyza* Meig. (*Heteroneura* Meig. cum *Agromyza* rectius forsitan conjungitur). *Cnemacantha* Macq.

Epistoma perpendiculare, parum descendens. Os nudum. Frons convexa, opaca, setosa. Oculi magni. Alarum nervi longitudinales recti, 4:tus paullo pone apicem alæ cum costali connexus; auxiliaris duplex, ad tertiam partem costæ extensus. Corpus oblongo-ovatum, pubescens. Pedes setosi.

**). Antennæ deflexæ, suboblongæ.

194. *Earomyia* nob.

Epistoma perpendiculare, parum descendens. Os setulosum. Proboscis subexserta. Frons convexa, opaca, setosa. Oculi magni. Abdomen ovatum (in ♀ acuminatum). Alarum nervi ut in *Heteroneura*, at auxiliaris paullo longior, fere ad medium costæ extensus. Corpus ovatum, pubescens.

***) Antennæ oblique porrectæ, sessiles, orbiculatæ. Epistoma subperpendiculariter paullo descendens.

a) Os seta utrinque mystacina.

195. *Anthophilina* nob. Ins. Lapp. — *Anthomyza* *) Fall. *Opomyzæ* species Meig. *Leptomyza* Macq.

Frons opaca, vix prominula, posterius setosa. Alarum nervi: auxiliaris simplex, ad tertiam partem costæ vix extensus; longitudinalis 4:tus aut in apice aut pone apicem alæ cum costali connexus; transversi in disco paullo remoti. Corpus suboblongum, parum pubescens, parce setosum.

b.) Os nudum.

196. *Leucopis* Meig. Macq. *Anthomyza* Fall.

Antennæ infra medium faciei insertæ. Frons glaberrima. Alarum nervi: auxiliaris subduplicatus, ultra tertiam partem costæ extensus; transversi appropinquantes. Corpus ovatum, glabriusculum, subnudum.

B. Abdomen 4-annulatum.

197. *Milichia* Meig. Macq. *Argyrites* Latr. Regn. an.

Antennæ oblique porrectæ, subsessiles, orbiculatæ. Epistoma breve, parum descendens, subimpressum. Os setis mystacinis pluribus. Frons opaca, utrinque setosa. Alæ latæ, nervis, auxiliari simplici, vix ad tertiam partem costæ extenso, longitudinalibus rectis, horum 3:tio in summo apice alæ cum costali connexo. Corpus ovatum, undique setulosum.

Tribus 2. Nervi transversi in disco alæ ita approximati, ut ordinarius non l. vix pone medium ducatur.

---

*) *Anthomyza* est nomen generis jam in Familia Muscidum receptum.

Epistoma vix impressum, seta mystacina utrinque unica. Frons non prominens, opaca, setosa.

†. Antennæ orbiculatæ.

198. *Agromyza* Fall. Meig. Macq. *Heteroneura* Meig. Macq.

Alarum nervi: auxiliaris simplex, non ad medium costæ extensus; longitudinales recti, horum 4:tus paullo pone apicem alæ cum costali conjunctus. Corpus ovatum, undique setulosum.

Obs. Phyllomyza, Agromyzæ affinis, sed antennis subquadratis &c. distincta in Fam. 28 Ochtiphilin. invenienda.

††. Antennæ ovatæ, apice rotundato, aculeo parvo aucto.

199. *Chlorops* Panz. Fall. *Agromyza* Meig. *Odontocera* Macq.

Alarum nervi: auxiliaris simplex, vix ad tertiam partem costæ extensus; longitudinales recti, horum 4:tus in apice alæ cum costali conjunctus. Corpus oblongum, parce setulosum.

FAM. 37. PHYTOMYZIDES Fall.

Antennæ in medio faciei mox sub fronte insertæ, breves, rotundatæ, seta subnuda. Os mystaceum, apertura magna. Epistoma breve, impressum. Palpi retracti, parum setulosi. Vertex setosus. Oculi rotundi, sat magni. Frons lata. Abdomen 6-annulatum. Alæ incumbentes, nervis, longitudinalibus e radice alæ ortis; transversis tam prope ad basin retractis, ut nullus eorum in disco exstet. Pedes simplices, setulosi. Corpus parvum.

Subd 1. Antennarum seta subapicalis.

200. *Lonchoptera* Panz. Meig. Macq. *Dipsa* Fall.

Peristoma ciliatum. Alæ abdomine multo longiores, lanceolatæ, nervis: auxiliari brevi, ante cujus apicem

nervi transversi congesti; longitudinali 4:to furcato. Corpus lineare.

Subd. 2. Antennarum seta dorsalis.

201. *Phytomyza* Fall. Meig. Macq.

Alæ abdomine paullo longiores, nervis: longitudinalibus rectis, simplicibus, horum 4:to in apice alæ excurrente; transversis in basi alæ & ante apicem nervi auxiliaris brevis simplicis collocatis. Corpus minutum, oblongo-ovatum.

Obs. Asteia generibus hujus Familiæ affinis; sed antennis pectinatis aperte distincta, in Familia 34 Geomyzidum invenienda.

FAM. 38. TRINEVRIDES nob.

Antennæ ad aperturam oris insertæ, sæpissime breves, parvæ, & in nostris rotundatæ (in *Conicera* Germanorum conicæ), seta dorsali erecta, nuda. Os subnudum. Epistoma brevissimum. Palpi exserti, setulosi. Oculi magni. Abdomen 6-annulatum. Alarum nervi: auxiliaris & secundarius (seu nervus sostalis 1:mus & 2:dus Meig.) separati, crassi, determinati; ille ad medium costæ sæpe extensus, a quo 3 vel 4 nervi longitudinales oblique ad marginem alæ descendunt; transversi nulli. Pedes validi, coxis longis; postici elongati. Corpus parvum, gibbosum.

A. Nervus costalis totus nudus.

202. *Gymnophora* Macq. *Phora* Meig. *Trineura* Fall.

Frons nuda, lata. Vertex setosus. Alarum costa non ciliata. Pedes nudi.

B. Nervus costalis (a basi usque ad longitudinem nervi auxiliaris) distincte ciliatus.

203. *Trineura* Fall. Fabr. Meig. klass. — *Phora* Latr. Meig. Macq. *Noda* Schellenberg.

Frons & vertex setosa. Alarum costa basi ciliata. Pedes setosi.

FAM. 39. CORIACEÆ Latr.

Antennæ epistomatis lateribus insertæ, parvæ, late distantes. Os vagina exarticulata, bivalvi, prominente (loco palporum). Oculi immersi, sæpe oblongi. Alæ incumbentes, juxta costam distincte nervosæ; interdum nullæ. Pedes robusti, metatarso articulo seqventi æqvali. Corpus latum, depressum, coriaceum, durum. *Imagines* parasitæ; celeriter currunt. *Larva* in matris abdomine nutrienda, ad transformationem excludenda.

Sect. I. Alatæ.

α). alis obtusis. Oculi majusculi, oblongi. Antennæ breves, gemmæformes.

*. Ocelli nulli. Hospitium in Mammalibus.

204. *Hippobosca* Linn. Deg. Reaum. Schrank. Ross. Panz. Fabr. Latr. Olfers. Fall. Meig. Macq. *Nirmomyia* Nitzsch. in Germ. Magaz. 1818. 3. p. 309.

Antennæ apice setigeræ. Caput subperpendiculare. Alæ ad costam multinervosæ. Tarsi ungvibus bidentatis. Corpus medium.

**. Ocelli 3. Hospitium in Avibus.

205. *Ornithomyza* Leach. Latr. Nitzsch. Meig. Macq. *Hippobosca* Linn. Deg. Ross. Fabr. Panz. Fall.

Antennæ apice multisetigeræ. Caput depressum, fronte plana. Alæ nervis longitudinalibus usque ad marginem alæ manifeste extensis. Tarsi ungvibus tridentatis. Corpus (in hac Familia) minoris magnitudinis.

β.) alis acutis.

206. *Leptopteryx* nob.

Antennæ longitudine capitis, crassæ, non setigeræ.

Ocelli? Alæ versus apicem angustatæ, nervis obsoletis. Pedes elongati, nudi. Corpus parvum. Hospitium in alpestribus.

207. *Stenopteryx* Leach. Meig. Macq. *Hippobosca* Linn. Fabr. Fall. *Ornithomyia* Latr. gen.

Antennæ gemmæformes, setigeræ. Ocelli 3. Oculi parvi. Caput depressum, horizontale. Alæ abdomine longiores, angustissimæ, acutæ. Tarsi ungvibus tridentatis. Corpus minoris magnitudinis. Hospitium in Hirundinibus.

Obs. Mas *Melophagæ Cervi?* alatus; vide infra.

Sect. 2. Subapteræ l. apteræ. (Specimen alatum in Museo nostro, an ♂ *Melophagæ Cervi?*).

208. *Melophaga* *) (*Melophagus*) Leach. Latr. Olfers. Meig. *Hippobosca* Linn. Schrank. Fabr. Fall. *Pediculus* Linn. Panz. *Leptotena* Macq. *Melophila* & *Lipoptena* Nitzsch.

Antennæ verrucæformes, immersæ. Oculi lineares aut rotundi. Ocelli nulli. Alæ rudimentariæ aut nullæ. Tarsi ungvibus tridentatis. Corpus minoris magnitudinis. Hospitium in Mammalibus ruminantibus.

Obs. Nycteribia Fabr. Latr. cet., genus *Melophagæ* in quibusdam affine, capite parvo cum thorace unito; antennis?, alis halteribusque nullis, pedibus elongatis, metatarso longissimo arcuato, ungvibusque simplicibus distinctum, & metamorphosin vix subiens, sub Familia *Phthiromyiarum* militat, *Pediculumque Vespertilionis* Linn. Fn. Sv. (pedibus flavis, villosis, corpore brunneo, glabro, capite thoraceque pilosis, 2 lineas longum) sub se comprehendit. Animalculum vero hoc ambiguum, licet organo oris suctorio haustelliformi, quale in *Coriaceis*

---

*) Cum reliqua genera hujus Familiæ terminatione feminina gaudent, *Melophagus* in *Melophaga* mutari justum etiam putavi.

deprehendatur, instructum, forte a Dipterorum Ordine separandum, & ad Apterorum referendum, *Araneam* valde simulans. — Species hujus generis descripsit figurisque illustravit Celeberr. & oculatiss. *Westwood*, 1834.

CLASSIS 2:DA NEMOCERA.

FAM. 40. HIRTEIDES Billb.

Corpus oblongum, Muscæforme, hirsutum. Antennæ cylindricæ, perfoliatæ. Palpi exserti, incurvi, 5-articulati. Oculi integri Alarum nervi 4 longitudinales marginem interiorem attingentes. Pedes sulcati, antici femoribus brevibus, crassis, tibiis apice dentatis. Insecta sæpe vernalia. Floricolæ.

*. Tibiæ apice bicalcaratæ.

209. *Hirtea* Fabr. Panz. Illig. Meig. Fall. *Tipula* Deg. Linn. Schrank. Ross. *Bibio* Geoffr. Latr. Meig. Macq.

Antennæ 9-articulatæ. Thorax inermis. Corpus magnum vel mediocre, valde hirsutum.

**. Tibiæ anticæ apice coronatæ.

210. *Dilophus* Meig. Latr. Billb. Macq. *Tipula* Linn. *Hirtea* Fabr. *Bibio* Oliv.

Antennæ 11-articulatæ. Thorax denticulatus. Corpus minoris magnitudinis, subpubescens.

FAM. 41. SCATOPSIDES nob.

Corpus oblongum, parum hirsutum. Antennæ cylindricæ, perfoliatæ, 11-articulatæ. Alæ nudæ. Nervi longitudinales 3-4 marginem interiorem attingentes, horum unus (superior) furcatus. Pedes simplices, inermes. Graminicolæ l. Floricolæ.

†. Palpi exserti, 4-articulati. Alæ nigricantes.

211. *Penthetria* Meig. Latr. Macq.

Antennæ capite vix longiores. Oculi ovales, exserti. Alarum nervi plures; bifurcati. Corpus parvum, pubescens, opacum.

††. Palpi retracti, uniarticulati. Alæ hyalinæ.

212. *Scatopse* Geoffr. Fabr. Latr. Fall. Meig. Macq. *Tipula* Deg. Linn.

Antennæ capite paullo longiores. Oculi reniformes. Alarum nervi ad costam distincti, reliqvi obsoleti. Corpus minutum l. minutissimum, glabrum, nitidum.

FAM. 42. SIMULIDES nob.

Corpus oblongo-ovatum, gibbum, subtomentosum. Antennæ cylindricæ, 11-articulatæ, articulis 2 inferioribus discretis. Oculi rotundi. Alæ nudæ. Nervi 6 longitudinales marginem interiorem attingentes, horum 2:dus ab apice (seu longitudinalis 5:tus), furcatus. Pedes inermes. Mares in aëre choreas instituentes, innocui; feminæ sangvisugæ.

213. *Simulia* Meig. Latr. Macq. Fries. *Culex* Linn. *Tipula* Deg. *Scatopse* Fabr. Fall. *Rhagio* Fabr. Antl.

Antennæ capite nonnihil longiores, articulis 2 basalibus discretis, ceteris contiguis. Palpi exserti, 4-articulati. Alæ latæ, hyalinæ, nervis costalibus perspicuis, inferioribus obsoletis. Tibiæ muticæ. Corpus parvum, gibbosum, brevissime subtomentosum.

FAM. 43. RHYPHII nob.

Corpus mediocre, oblongum, subpubescens. Antennæ subfiliformes, aut medio subdilatatæ, compressæ, capite subduplo longiores, 12-16-articulatæ, articulis 2 inferioribus discretis. Ocelli 3 aut nulli. Oculi rotundi. Thorax absque sutura transversa. Abdomen 7-annulatum. Alæ nudæ. Nervi 4 aut 6 longitudinales marginem interiorem alæ attingentes.

Pedes aut toti inermes, aut tibiis apice calcaratis. Fungicoli aut Xylophagi.

a). Antennæ 16-articulatæ. Ocelli 3.

*). Ocelli æqvales.

214. *Ryphus* Latr. Meig. Macq. *Tipula* Reaum. Scop. *Musca* Linn. *Sciara* Fabr. Antl. — *Anisopus* Meig. Fall.

Antennæ filiformes. Palpi 4-articulati, subincurvi Oculi in ♂ conniventes. Alarum area discoidalis oblongo-ovalis nervulos 3 in marginem interiorem emittens. Pedes inermes.

**) Ocelli approximati, inæqvales.

215. *Ceroplatus* Bosch. Fabr. Latr. Dalm. Macq. Wahlberg. *Platyuræ* spec. Meig.

Antennæ compressæ, sublanceolatæ. Oculi maris ovales, in utroque sexu distantes. Palpi breves, 2-articulati, incurvi. Abdomen oblongolanceolatum. Alæ abdomine breviores, nervis longitudinalibus 4 descendentibus, versus marginem interiorem evanescentibus; horum unus in apice furcatim excurrit. Tibiæ inermes, apice calcaratæ.

b.) Antennæ 12-14-articulatæ. Ocelli nulli.

†. Antennæ 12-articulatæ. Palpi 4-articulati.

216. *Cordyla* Latr. Meig. Macq.

Antennæ fusiformes. Alarum nervi juxta costam perspicui; sed 4 ad marginem interiorem ducti obsoleti. Abdomen compressum. Tibiæ subinermes, apice calcaratæ.

Obs. Corynocera affinis *Cordylæ*, sed forsan melius in Fam. 50 Mycetophilinarum quærenda.

††. Antennæ 14-articulatæ. Palpi 5-articulati.

Glochina Rhyphiis affinis, palpis vero 5-articulatis & nervorum directione in alis diversa, totoque *Limnobiæ* habitu, in Fam. 49. Tipulidum invenienda.

FAM. 44. CULICIDES Latr.

Corpus mediocre, elongatum, subpubescens. Antennæ longitudine thoracis, porrectæ, filiformes, 14-15-articulatæ, *maris* plumosæ, *feminæ* breviter verticillato-pilosæ. Os non elongatum. Haustellum porrectum, longitudine thoracis aut ultra, & antennis plerumque longius. Palpi porrecti, 5-articulati. Oculi lunulati in vivis virides; maris contigui. — Thorax absque sutura transversa. Abdomen 8-annulatum. Alæ incumbentes, nervis margineque squamulis seu pilis obsitis. Nervi in disco postico duo furcati; longitudinales 6 marginem interiorem alæ attingentes. Pedes elongati, tenues. — Mares innocui; feminæ sangvisugæ. — Plures generationes in anno existunt. -- *Larvæ* aquaticæ. *Pupa* nuda.

217. *Culex* Linn. Deg. Fabr. Latr. Fall. Meig. Macq. Stæger.

Palpi *maris* haustello antennisque longiores, *feminæ* brevissimi.

218. *Anopheles* Meig. Macq. Stæg. *Culex* Linn. Fabr.

Palpi in utroque sexu longitudine haustelli, antennisque longiores.

219. *Aedes* Hffgg. Meig. Macq. Stæg.

Palpi in utroque sexu brevissimi, antennis haustelloque multo breviores, basi crassi.

FAM. 45. CHIRONOMII nob.

Corpus elongatum, mediocre, parvum aut minutum. Caput parvum, sessile. Antennæ longitudine thoracis, porrectæ, filiformes, 13-14-articulatæ (in *Corynocera* 12-articulatæ), rarius in ♀ 6-articulatæ; *maris* plumosæ (in *Corynocera* &

Macropeza nudæ), *feminæ* pilosæ. Os haud elongatum. Haustellum antennis brevius. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati. Oculi lunulati (in *Diamesa* ovati); in vivis plerumque virides. Thorax absque sutura transversa. Abdomen 8-annulatum. Alæ incumbentes aut deflexæ. Area discoidalis nulla. Nervi 3—6 marginem interiorem attingunt. Pedes elongati, tenues, sæpissime inermes (in *Ceratopogine* interdum spinulosi). *Larvæ* aqvaticæ, ovis in aqvis stagnantibus depositis. *Pupæ* nudæ. *Imagines*, exceptis *Ceratopoginis*, non sangvisugæ.

Sectio 1. Pedes postici mediocriter longi. Corpus subpubescens. Antennæ in masculis plumosæ.

Subd. 1. Antennæ usque ad apicem plumosæ. Alæ in quiete subdeflexæ.

*). Pedes æqualiter remoti.

220. *Corethra* Meig. Panz. Latr. Macq. Stæg. *Tipula* Deg. *Chironomus* Fabr. Fall.

Antennæ 14-articulatæ, articulis discretis, ultimo antecedenti non longiore; *maris* verticillato-plumosæ, verticillis longitudine versus apicem sensim decrescentibus; *feminæ* breviter pilosæ. Alarum nervi villosi: in disco postico duo furcati; longitudinales 6 ad marginem interiorem alæ ciliatum ducti. Corpus medium.

**) Pedes antici a reliquis distantes.

a). Alarum area basalis media simplex. Antennarum articulus ultimus in mare longissimus.

221. *Chironomus* Fabr. Latr. Meig. Fall. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Deg. *Hydrobænus* Fries.

Antennæ *maris* 13-articulatæ, plumatæ, articulo ultimo longissimo; *feminæ* 6-articulatæ, pilosæ. Alæ ciliatæ. Area basalis media simplex. Nervi: 3 longitudinales ad marginem alæ interiorem descendentes obsoleti; duo illi furcati in medio aut pone medium alæ inchoan-

tur; nervi ad costam distinctiores. Corpus medium aut minutum.

222. *Diamesa* Meig. Stæg.

Femina: antennæ 6-articulatæ, articulis globosis, pilosis, ultimo elongato, cylindrico, nudo. Oculi ovati, fronte lata, plana distantes. Nervi longitudinales simplices, obsoleti, horum 3 ad marginem interiorem descendentes. Area basalis media subgemina? (secundum figuram Meigeni). Corpus parvum.

b). Alarum area basalis media gemina. Antennarum articulus penultimus in mare longissimus.

223. *Tanypus* Meig. Panz. Latr. Fries. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Deg. *Chironomus* Fabr. Fall.

Antennæ 14-articulatæ; *maris* plumosæ, 12 inferioribus globosis, 13 longissime, 14 (ultimo) brevi, acuto; *feminæ* pilosæ, articulis globosis, ultimo crassiori. Alæ sæpissime hirtulæ. Nervi: subqvatuor longitudinales ad marginem alæ descendentes obsoleti; duo illi furcati in medio aut fere ante medium alæ inchoantur; nervi ad costam distinctiores. Corpus medium.

Subd. 2. Antennæ basi tantum plumosæ. Corpus in utroque sexu subglabrum.

224. *Ceratopogon* Meig. Panz. Latr. Macq. Stæg. *Chironomus* Fabr. Fall. *Culex* & *Tipula* Linn. Deg. *Culicoides* Latr.

Antennæ 13-articulatæ, articulis 8 inferioribus globosis (in ♂ extrorsum barbatis, barba secunda; in ♀ pilosis), sequentibus cylindraceis, elongatis. Alæ nudæ aut hirtulæ. Nervi omnes obsoleti; 4 longitudinales in marginem interiorem descendunt, scilicet 1:mus fere in

apicem alæ excurrens simplex; 3:tius & 4:tus furcam formantes. Femora interdum incrassata. Corpus minutum aut minutissimum.

Obs. Corynocera, genus anceps, secundum quasdam notas, quas cum hac Familia habet communes, *Ceratopogini* accedens: secundum vero alias discrepantes iterum a *Chironomiis* longe recedens, in Fam. 50 inter *Mycetophilinas* ad ulterius locum accepit.

Sect. 2. Pedes postici longissimi. Antennæ in utroque sexu non plumosæ.

225. *Macropeza* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq.

Antennæ in utroque sexu similes, filiformes, pubescentes, 14-articulatæ, articulis cylindricis; ultimis 5 longioribus. Alæ nudæ, elongatæ. Nervi omnes sat perspicui; longitudinales simplices (nec furcati), horum 4 ad marginem interiorem alæ descendunt. Pedes postici longissimi, metatarso præsertim valde elongato.

FAM. 46. CECIDOMYZIDES nob.

Corpus elongatum, subcylindricum, parvum. Antennæ porrectæ, filiformes, multiarticulatæ, (articulis 12—24), setis verticillatis. Alæ horizontaliter incumbentes, dilatatæ, apice rotundatæ; hirsutulæ, bi- aut tri-nervosæ. Nervi tantum 2, furcam unicam in disco formantes, marginem interiorem attingunt. Pedes elongati, tenues, inermes, & tibiæ apice non calcaratæ. *Larvæ* plurimarum (at non omnium) specierum in gallis vivunt; *imagines* in graminosis, non sangvisugæ.

A. Ocelli 3. Alæ subpilosulæ, quadrinerviæ. Pedes haud elongati. Fungicola.

226. *Campylomyia* Wied. Meig. Macq. *Cecidomyia* Meig. Klass. —

Antennæ, in ♂ longitudine corporis, moniliformes,

articulis globosis, remotis, pilosulis; in ♀ longitudine thoracis, articulis globosis, haud discretis, pubescentibus; in utroque sexu cylindraceæ, 14-articulatæ. Oculi obscure purpurei. Haustellum curvatum. Alarum nervi longitudinales subqvatuor furcas 2 formant. Nervus auxiliaris apice breviter quoque furcatus, furcæ ramulo inferiori cum nervo longitudinali 2:do connexo. Pedes metatarso longiusculo.

B. Ocelli nulli. Alæ villosulæ. Gallicolæ.

a). Alæ trinerviæ.

227. *Cecidomyza* Latr. Fabr. Meig. Mannerheim. Vallot. Macq. *Tipula* Linn. *Chironomus* Fabr.

Antennæ thorace longiores, moniliformes, multiarticulatæ, articulis in ♂ plerumque 24, remotis, pilosulis; in ♀ 14. Alarum nervi: longitudinalium superior rectus in apicem alæ descendens; reliqui 2 incurvi; auxiliaris non furcatus. Pedes subelongati, metatarso brevissimo.

b.) Alæ binerviæ.

228. *Lasioptera* Meig. Latr. Macq. *Tipula* Linn. Deg. Schrank. *Cecidomyia* Meig. Klass.

Antennæ thoracis circiter longitudine, submoniliformes, 14-24-articulatæ, articulis globosis, pilosis, parum discretis. Pedes longi, metatarso mediocri vel brevissimo.

FAM. 47. PSYCHODIDES nob.

Corpus parvum, oblongo-ovatum, distincte villosum. Antennæ mediocres, moniliformes. Palpi exserti, 4-articulati. Abdomen 8-annulatum. Alæ dilatatæ, declinatæ, dense hirtæ, nervis longitudinalibus pluribus, transversis nullis. Pedes breviusculi, toti inermes.

229. *Psychoda* Latr. Fabr. Meig. Macq. *Tipula* Linn. Deg. *Bibio* Geoff. *Trichoptera* Meig. Klass.

Antennæ longitudine thoracis, circiter 12-16-articulatæ, verticillatim pilosæ. Alarum nervi longitudinales 8-10, quorum saltem 2 furcati, & 5 vel 6 marginem alæ interiorem longe ciliatum attingunt. Corpore hirsutissimo Noctuam l. Phalænam minutissimam mentiens.

FAM. 48. SCIARINÆ nob.

Corpus parvum, sæpe minutum. Antennæ longitudine circiter thoracis, aut illo longiores, cylindricæ, pubescentes, articulis 2 basalibus crassioribus, nudis. Palpi exserti, sæpissime 3-articulati. Oculi in fronte fere contigui, profunde emarginati. Ocelli 3 (in *Zygoneura* & *Lestremia* nulli, teste D. *Macqvart*); inæqvaliter magni. Thoracis sutusa transversa nulla. Alæ sat magnæ, latiusculæ, horizontaliter incumbentes; nudæ aut tantum microscopice hirtulæ. Nervi longitudinales 4, quorum medius furcatus, unde 5 radii ad marginem interiorem descendunt. Pedes elongati, tenues.

Sect. 1. Antennæ 16-articulatæ (in *Zygoneura* 14-articulatæ, secund. *Macquart*). Pedes inermes, tibiarum apice breviter bicalcaratæ.

A. Alæ sæpissime umbraticæ. Nervus 2:dus longitudinalis fere e medio longitudinalis 1:mi ortus, furcatus, furcæ ramis subæqvalibus.

230. *Sciara* Meig. Fabr. Panz. Macq. *Tipula* Geoffr. Gmel. *Hirtea* Fabr. *Molobrus* Latr.

Antennæ filiformes, arcuatim reflexæ, breviter pubescentes. Fungicola.

B. Alæ hyalinæ. Nervus 2:dus longitudinalis fere e basi alæ excurrens, furcatus, furcæ ramo superiori circumflexo.

231. *Zygoneura* Meig. Suppl. — Macq.

Antennæ longitudine fere corporis (♂), aut illo

breviores (♀), articulis 2 inferioribus brevibus, reliquis *maris* remotis, ovatis, *feminæ* approximatis. Abdomen 8-annulatum, teste D. *Macqvart*. Gallicola.

Sect. 2. Antennæ 12-articulatæ (15-articulatæ secundum *Macqvart*).

232. *Lestremia* Macq. Meig. Suppl. — *Sciara* Meig. Syst. Dipt. — *Tipula* Fabr. Ent. — *Chironomus* Fabr. Antl.

Anténnæ 12-articulatæ, articulis, præter 2 basales breves, oblongis, setosis. Abdomen 8-annulatum, teste *Macqvart*. Alæ hyalinæ. Nervus 2:dus longitudinalis fere e medio longitudinalis 1:mi ortus, furcatus, furcæ ramis subæqvalibus. Pedes toti inermes. Gallicola.

FAM. 49. TIPULIDES nob.

Corpus magnum aut medium, raro minoris magnitudinis ($1\frac{1}{2}$—14 lin. long.), elongatum, glabriculum aut tenuiter pubescens. Caput parvum. Antennæ porrectæ, circiter thoracis longitudine, interdum illo longiores, simplices, aut maris interdum pectinatæ, articulis 12—28 (plerumque 15—16; in *Anisomera* 6). Oculi in fronte distantes. Ocelli nulli (in *Pachyneura* ocelli 3). Caput antice in rostrum plus minus longe productum. Palpi cylindrici, incurvi, articulis plerumque 4, raro 5. Thorax in medio sutura transversa, sinuata (in *Pachyneura* nulla). Abdomen 8-annulatum. Alæ (in *Chionea* nullæ) elongatæ, nervosissimæ seu multinervosæ. Nervi 6—8, rarissime tantum 5, marginem interiorem attingunt. Areola discoidalis pone medium alæ plerumque adest. Pedes elongati, tenues, valde fragiles, adtactu mox decidui. Tibiæ magis minus perspicue calcaratæ. Familia hæc speciebus ditissima *Tipularias* majores, capite antice sæpe protuberante (inde *Rostratæ* a *Meigen* vocatæ), thoracis sutura transversa, alis valde nervosis &c. præditas, continet. *Imagines* innocuæ seu feminis non pungentibus. *Larvæ* sub terra degunt.

Stirps 1:ma. Palpi 4-articulati (in *Glochina* 5-articulati).

Subd. 1. Areola *) alarum minuta adest (in *Erioptera* sæpius deest). Antennæ subfiliformes, subbreviusculæ, pilosulæ.

Manip. I. Antennæ in utroque sexu simplices, (non pectinatæ).

A. Alæ villosæ.

233. *Erioptera* Latr. Meig. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Geoffr. Fabr. *Limnobia* Latr.

Os non longe productum. Antennæ filiformes, 16-articulatæ, Palporum articuli subæqvales. Alæ incumbentes, nervis villosis, 6 tantum in marginem interiorem descendentibus. Pedes intermedii ceteris breviores. Tibiæ omnes inermes. Corpus mediocre.

B. Alæ nudæ.

†. Incumbentes. (in *Pedicia* divaricatæ). Os non longe productum.

*). Nervi longitudinales 6 vel 7 in marginem interiorem alæ descendentes, quorum 1:mus (a basi marginis interioris numeratus, seu nervus *axillaris* Macq.) elongatus, subrectus. Tibiæ apice breviter calcaratæ.

234. *Pedicia* Latr. Macq. Stæg. *Limnobia* Meig. *Tipula* Linn. Fabr. Deg.

Antennæ 16-articulatæ, articulis globosis. Palporum articulus ultimus elongatus, flexilis. Alæ divaricatæ, nervis 7 longitudinalibus ad marginem interiorem descendentibus. Areola nervos 3 emittit, quorum superior petiolato-furcatus. Corpus magnum.

---

*) *Areolam* nomino cellulam plerumque minutam, subpentagonam, quæ posterius versus apicem alæ (mox pone medium), areæ basalis elongatæ adjacet.

235. *Limnobia* Meig. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Deg. Schrank. Ross. Panz. Fabr. *Limonia* *) Meig. Latr. *Idioptera* & *Limnophila* Macq. Stæger.

Antennæ 15-16-articulatæ, articulis globosis. Palporum articuli æqualiter longi. Alarum nervi longitudinales 6 vel 7 ad marginem interiorem descendentes, quorum 1:mus (a basi alæ numeratus) subrectus. Corpus magnum aut medium.

236. *Cylindrotoma* Macq. Stæg. *Limnobia* Meig. Wied.

Antennæ 17-articulatæ, articulis cylindricis. Palporum articulus ultimus elongatus. Alarum nervi 7 longitudinales ad marginem interiorem descendentes. Areola oblonga, utrinque acuta, 3 nervos emittit, quorum superior in furcam subsessilem aut breviter petiolatam divisus.

337. *Glochina* Meig. Macq. Stæg.

Antennæ thorace breviores, 14-articulatæ. Palpi exserti, 5-articulati, articulo 3:tio majori. Alarum nervi 7 longitud. ad marginem interiorem descendentes, quorum 1:mus elongatus, leviter curvatus. Areola adest, 3 nervos breves, simplices emittens.

**). Nervi longitudinales 6 ad marginem interiorem alæ descendentes, quorum 1:mus (a basi alæ numeratus) distincte flexuosus. Tibiæ apice vix calcaratæ,

238. *Symplecta* Meig. add. — Macq. Stæg. *Limnobia* Meig. Macq. Sckum. *Helobia* St. Farg. & Serv. Encycl.

---

*) *Limonia* est nomen plantæ generis.

Antennæ 16-articulatæ, articulis globosis. Palpi exserti, articulo 1:mo brevissimo, ceteris subæqvalibus, subclavatis. Oculi purpurei, supra conniventes, subtus subconnati.

††. Alæ divaricatæ. Os productum (in *Psiloconopa* haud prominens).

α). Os rostratum. Palpi exserti, cylindrici, articulo ultimo longissimo, flexili. Alarum nervi 7 (in *Rhamphidiá* 6) ad marginem interiorem descendentes, quorum 1:mus brevior vel mediocris, subrectus. Tibiæ apice subcalcaratæ.

239. *Tipula* Linn. Reaum. Deg. Schrank. Ross. Fabr. Latr. Meig. Macq. Stæg.

Os longe rostratum. Antennæ 13-articulatæ. Frons plana. Alarum areola subovata tantum 2 nervos ad marginem emittens, quorum alter furcatus. Tibiæ apice calcaribus brevibus.

240. *Rhamphidia* Meig. Macq. Stæg. *Leptorhina* Steph. *Limnobia* Meig. Schummel.

Os longe rostratum. Antennæ 16-articulatæ. Alarum areola subquadrata, 3 nervos simplices ad marginem apicalem emittens. Tibiæ apice calcaribus brevissimis.

241. *Pachyrhina* Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Deg. Fabr. Meig.

Os mediocriter rostratum. Antennæ 13-articulatæ. Areola alarum subovata, 3 nervos simplices in marginem emittens.

242. *Nephrotoma* Meig. Latr. Fam. nat. — Macq. Steph. Stæg. *Tipula* Fabr. Gmel. Latr.

Os mediocriter rostratum. Antennæ *maris* longitu-

dine fere corporis, 19-articulatæ, articulis 4-19 excisis seu reniformibus; *feminæ* thorace breviores, 15-articulatæ, articulis 4-15 subcylindricis, basi crassioribus. Alarum areola oblonga, 3 nervos simplices in marginem emittens.

β.) Os parum productum. Alæ nervis 6 ad marginem interiorem descendentibus, quorum 1:mus (a basi alæ numeratus) haud elongatus, subrectus. Tibiæ apice calcaratæ.

243. *Psiloconopa* nob. Ins. Lapp.

Antennæ 16-articulatæ, moniliformes. Palporum articuli intermedii crassiores. Oculi in fronte distantes, infra cohærentes. Alarum areola subtriangularis 3 nervos simplices in marginem emittens. Corpus parvum.

Manip. 2. Antennæ in masculis pectinatæ.

244. *Rhipidia* Meig. Latr. Macq. Steph. Stæg.

Antennæ 14-articulatæ, articulis 3-14 globosis, remotis; *maris* pectinatæ. Palpi exserti, cylindrici, articulis subæqvalibus. Alæ incumbentes. Areola oblongo-quadrata, nervulos 3 simplices emittens.

245. *Ctenophora* Fabr. Latr. Meig. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Deg. Schrank, Ross.

Os breve. Antennæ 13-articulatæ, articulis 3-13 ovalibus vel rotundis; *maris* pectinatæ. Palpi cylindrici, pilosi, articulo ultimo longissimo. Alæ divaricatæ, nervis 7 longitudinalibus ad marginem interiorem descendentibus. Areola oblonga utrinque subacuta, nervulos 2 emittit, quorum superior furcatus. Abdomen crassiusculum. Pedes parum elongati. Corpus magnum, validum, glabriculum.

Subd. 2. Areola alarum minuta deest. Os parum productum.

a). Antennæ subfiliformes. Pedes mediocres. Corpus glabriculum.

*). Alæ divaricatæ.

†. Corpus majusculum.

246. *Ptychoptera* Fabr. Antl. — Illig. Latr. Meig. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Reaum. Schrank. Fabr. Ent. Syst.

Antennæ 16-articulatæ. Palporum articulus ultimus longissimus. Alarum nervi 6 longitudinales ad marginem interiorem descendentes. Nervi 2 longitudinales subapproximati (h. e. nullo interstitio vel tantum ejus rudimento abbreviato simplici sejuncti), versus apicem alæ furcati. Pedes tibiis apice calcaratis.

247. *Pachyneura* nob. Ins. Lapp.

Antennæ 18-articulatæ, articulis 2 basalibus crassioribus. Palpi exserti, articulo ultimo paullo longiori. Ocelli 3. Thoracis sutura transversa nulla. Abdomen versus apicem angustatatum (nec postice latius). Alarum nervi crassi; longitudinales 5 ad marginem interiorem descendentes, quorum 2 superiores furcam petiolatam formant. Pedes tibiis subtilissime spinulosis, apice distincte calcaratis.

††. Corpus minoris magnitudinis.

248. *Dicranota* nob. Ins. Lapp.

Antennæ 13-articulatæ. Palpi exserti, cylindrici, articulis æqualibus. Alarum nervi 6 longitudinales in marginem interiorem descendentes, quorum 4:tus & 5:tus (a basi marginis interioris numerati) furcam petiolatam formant. Pedes tenues, tibiis apice calcaribus minutissimis.

**). Alæ subincumbentes. Corpus medium.

249. *Tricyphona* nob. Ins. Lapp. *Limnobia* Meig. *Limnophila* Macq. Stæg.

Antennæ capite vix duplo longiores, circiter 15-articulatæ. Palporum articuli æqvales. Alarum nervi longitudinales 7 ad marginem interiorem descendentes. Furcæ tres propinquæ versus apicem alæ observantur. Pedes tibiis vix vel brevissime calcaratis.

b). Antennæ elongatæ, extensæ, setaceæ. Alæ incumbentes vel nullæ.

250. *Anisomera* Hffgg. Latr. Meig. Macq. Stæg. *Nematocera* Meig.

Antennæ 6-articulatæ, articulis 2 basalibus paullo crassioribus, reliquis cylindricis, pubescentibus, inæqvalibus. Palporum articuli æquales. Oculi oblongi. Alarum nervi 6 ad marginem interiorem descendentes. Furca unica mox ante apicem alæ in costam excurrit. Pedes elongati, tibiis breviter calcaratis.

251. *Dolichopeza* Meig. Suppl. — Macq. Stæg.

Antennæ 12-articulatæ, setaceæ, pubescentes. Palpi exserti, articulis subæqvalibus. Alarum nervi longitudinales 7 in marginem interiorem descendentes. Pedes elongati, tarsis longissimis.

Obs. Dixa in Fam. 50. Mycetophilinarum melius forte reponenda & invenienda.

Chionea, alis deficientibus, in Fam. 51, huic generi propria, quærenda.

Stirps 2:*da*. Palpi 5-articulati. Alæ incumbentes. Corpus minoris magnitudinis, subnudum.

252. *Trichocera* Meig. Macq. Stæg. *Tipula* Linn. Fabr. Deg. *Limonia* Latr.

Antennæ setaceæ, longitudine thoracis, articulis 2 inferioribus incrassatis, reliquis oblongis, apice numero indeterminandis; brevissime pubescentibus. Palpi exserti, cylindrici, articulis subæqvalibus. Alarum nervi longitudinales 7 ad marginem interiorem descendentes, quorum 1:mus (a basi alæ numeratus) brevissimus, ad marginem arcuatim flexus. Areola obovata nervos 3 emittit, quorum superior petiolato-furcatus. Pedes elongati, tenues, tibiis brevissime calcaratis.

FAM. 50. MYCETOPHILINÆ nob.

Corpus minoris magnitudinis, subnudum, elongatum, in medio sæpe angustatum. Caput rotundatum, sessile. Antennæ porrectæ, simplices, 10-16-articulatæ. Oculi rotundati aut ovales, in fronte distantes. Ocelli inæqvales; rarius nulli. Os in rostrum non productum (in *Gnoriste* os rostratum). Palpi exserti (in *Corynocera* retracti), incurvi, cylindrici, articulis 4, primo brevissimo Thorax dorso convexus, sutura transversa nulla. Abdomen 7-annulatum (in *Corynocera* 8-annulatum). Alæ incumbentes, latiores, parcius nervosæ, nervis tantum 3 vel 4, rarius 5, marginem alæ interiorem attingentibus. Areola semper deest. Pedes mediocres. Coxæ plerumque elongatæ. Tibiæ sæpissime calcaratæ. — Familia hæc comprehendit species Tipulariarum, capite non rostrato, thorace absque sutura transversa, alarum nervis paucioribus, areola ordinaria nulla, abdomine 7-, rarissime 8-annulato, coxis sæpissime elongatis, tibiis plerumque distincte calcaratis &c. præditas. *Larvæ* plerisque fungivoræ, vermiformes, apodæ, capite corneo. *Pupæ* elongatæ, cylindricæ, plerumque in terra sepultæ. *Imagines* sæpe agilissimæ, in fungis putrescentibus frequenter occurrunt; cursu veloces.

Sectio prima. Ocelli 3 approximati (in *Dixa*, *Corynocera* & *Cordyla* ocelli nulli).

Subd. 1. Antennæ longæ, capillares, circiter 12-15-articulatæ, articulis 2 basalibus incrassatis; reliquis obsoletis, ægre

distingvendis. Oculi rotundati. Alarum nervi longitudinales 5 ad marginem interiorem descendunt. Tibiæ inermes, apice tantum brevissime calcaratæ.

A. Ocelli nulli. Coxæ parum elongatæ.

253. *Dixa* Meig. Macq. Stæg.

Antennæ thorace paullo longiores, pubescentes, 14-articulatæ (12? articulatæ secundum *Macqvart*). Alarum furcæ apicales 2, nervo longitudinali uno interjacente.

B. Ocelli 3. Coxæ subelongatæ.

a). Halteres elongati.

254. *Bolitophila* Hffgg. Meig. Macq.

Antennæ thorace sæpe duplo longiores, pubescentes, 12-articulatæ. Ocelli in seriem transversalem dispositi. Alarum nervus 2:dus longitudinalis sub costa longius extensus cum nervulo transverso ad stigma conjunctus; nervi tres longitudinales ultimi fere ad basin alæ liberi, quorumque 2:dus versus marginem interiorem alæ curvatim flexus.

b). Halteres breves.

255. *Macrocera* Panz. Meig. Macq.

Antennæ longitudine interdum corporis, arcuatæ, parum pubescentes, articulis circiter 12. Ocelli in triangulum dispositi. Alarum nervus 2:dus longitudinalis, tantum ad medium costæ extensus, apice a nervulo transverso obliquo distincte sejunctus; nervi: 2:dus & tertius longitudinales (a basi marginis interioris numerati) mox ante medium (nec prope basin) alæ cum nervo obliquo conjuncti, horum 2:dus minus curvatim flexus.

Subd. 2. Antennæ mediocres, longitudine circiter capitis thoracisque simul sumtorum, plerumque arcuatæ, compressæ (in *Rypho* subfiliformes), 16-articulatæ (in *Corynocera* 12-articulatæ, apice subclavatæ; in *Cordyla* 12-articulatæ, medio

sublatiores); articulis saltem 2 basalibus discretis, reliquis coadunatis. Halteres breviusculi.

A. Oculi reniformes.

256. *Mycetobia* Meig. Macq. Latr. Regn. an. —

Antennæ cylindricæ. Ocelli inæquales, in triangulum dispositi. Abdomen subdepressum. Alarum nervi 4 longitudinales ad marginem interiorem descendentes furcas duas in disco formant, quarum inferior sessilis, altera petiolata, obsoleta. Tibiæ inermes, apice breviter calcaratæ.

B. Oculi ovales aut rotundati.

α). Antennæ 12-articulatæ.

257. *Corynocera* nob. Ins. Lapp.

Antennæ thorace paullo breviores cylindricæ, subpubescentes, articulo 1:mo brevi, crasso, 2—11 minutissimis, arcte conjunctis, ultimo oblongo-conico, subcrassiori, nudo. Palpi parum exserti. Ocelli nulli. Alarum nervi obsoletissimi, 4 vel 5 longitudinales in disco alæ approximati, versus apicem distantes. Abdomen 8-annulatum. Pedes inæquales, antici longiores, medii brevissimi, omnes nudi, toti mutici. — *Cordylæ*, *Ceratopogini*, *Campylomyiæ*. *Mycetobiæ* &c. affinis.

Obs. *Cordyla*, antennis brevibus, fusiformibus &c. prædita, in Fam. 43 Rhyphiorum quærendá.

β). Antennæ 16-articulatæ.

*). tenuissime pubescentes. Ocelli inæqvales, in triangulum dispositi.

†. Nervi alarum 5 longitudinales ad marginem interiorem descendunt, quorum 2 superiores furcam elongatam, breviter petiolatam formantes. Tibiæ inermes, apice calcaratæ.

258. *Platyura* Meig. Macq. *Ceroplatus* Fabr. Latr. Cuv. *Sciara* Fabr. *Asindulum* Latr.

Antennæ latiusculæ, compressæ. Abdomen basi angustatum, postice depressum. Directio nervorum in alis fere ut in *Macrocera* (n:o 255), at nervus longitudinalis furcatus ultimusque, ceteris obsoletiores. Coxæ elongatæ. Femora breviuscula.

Obs. Ceroplatus, antennis brevibus, compressis &c. dignotus, in Fam. 43 Rhyphiorum exstat.

††. Alarum nervi longitudinales 4 ad marginem interiorem descendunt, furcas duas, in disco ortas, petiolatas, formantes. Tibiæ posteriores spinosæ, apice calcaratæ.

259. *Gnoriste* Hffgg. Meig. Macq. Latr. Fam. nat.

Antennæ cylindricæ. Rostrum capitis elongatum, apice palpigerum. Areola subcostalis nulla. Coxæ elongatæ.

260. *Sciophila* Hffgg. Meig. Macq. *Tipula* Fabr. *Platyura* Meig. klass. — *Asindulum* Latr.

Antennæ filiformes vel subcompressæ. Caput non rostratum. Areola alarum subquadrata sub costa in medio adest.

**). Antennæ subnudæ. Ocelli inæquales, in lineam dispositi. Areola alarum subcostalis nulla. Tibiæ posteriores spinulosæ & apice distincte calcaratæ.

261. *Leia* Meig. Syst. — *Mycetophila* Meig. klass. — Macq.

Antennæ filiformes, subcompressæ. Abdomen subcylindricum. Alarum nervi 4 longitudinales ad marginem interiorem descendentes, furcas 2 elongatas, inæqualiter longas, inferiorem longissimam retractam, formantes. Coxæ elongatæ. Femora valida.

262. *Boletina* Stæg. *Leia* Meig.

Antennæ filiformes, subcompressæ. Abdomen subcylindricum. Alarum nervi 4 longitudinales ad marginem interiorem descendentes, furcas 2 elongatas, subæqvaliter longas, ambas scilicet in medio alæ originem ducentes. Coxæ elongatæ. Femora valida.

Obs. Rhyphus, antennis brevibus instructus, in Fam. 43 Rhyphiorum inveniendus.

Sectio secunda. Ocelli 2, valde remoti. Antennæ arcuatæ, articulis coadunatis, 2 inferioribus discretis. Alarum areola subcostalis nulla. Tibiæ posteriores spinosæ & apice distincte calcaratæ.

263. *Mycetophila* Meig. Macq. *Sciara* Fabr.

Antennæ longitudine circiter thoracis, filiformes, subcompressæ, subnudæ. Ocelli tantum 2 distincti, singulus ad marginem oculorum interiorem locatus. Directio nervorum in alis fere ut in *Leia*, paullo tamen varians, & nervuli transversi subcostales tantum 2 (nec 3) observantur. Pedes ut in *Leia.*

FAM. 51. CHIONEIDES nob.

Corpus minoris magnitudinis, apterum, halteratum, Araneam mentiens. Antennæ filiformes, 10-articulatæ. Os subproductum. Palpi filiformes, 4-articulati. Oculi rotundi, distantes. Ocelli nulli. Thorax sutura transversa. Pedes inermes.

264. *Chionea* Dalm. Meig. Suppl. — Macq.

Antennæ thorace breviores, subsetaceæ, articulo 1:mo elongato, cylindrico, & 2:do clavato, æqvaliter longis; 3:tio brevi subgloboso; reliquis tenuioribus. Palporum articuli subæqvales. Abdomen 8-annulatum. Alæ nullæ. Halteres clavati. Pedes validi, pubescentes. Insectum hiemale.

1. TABANUS Linn.

Corpus magnum, oblongum, pubescens. *Color* corporis niger, pubescentiæ grisescens aut subflavescens, raro obscurus. *Volatus* brevis, rapidus cum susurro. *Habitatio* in pratis, pascuis & sylvis. *Larvæ* apodæ, elongatæ, subcylindricæ, 12-annulatæ, in stercore pecorum degunt, metamorphosin in terra subeuntes. *Pupæ* nudæ, incompletæ, elongatæ, subcylindricæ, postice 6-spinosæ. *Imagines feminarum* circa mediam æstatem provenientes, in vicinitate gregum libenter versantur, sangvinem pecorum & eqvorum sugentes; *marium* cum feminis obveniunt, sed plerumque rariores, nec sangvisugæ. In floribus, quorum mel quoque appetunt, interdum inveniuntur. *Differentia sexus* evidens: *mas:* oculis in fronte contiguis, palpis capitatis proboscideque subhorizontalibus, & ano acutiori, a *femina:* oculis distantibus, palpis subulatis proboscideque perpendicularibus, & ano obtusiori, facile dignotus. — Svetice: *Bröms.*

Sect. 1. oculis in utroque sexu nudis.

1. *T. bovinus:* oculis æneseenti obscuris non lineatis; nigro-fuscus, abdomine lateribus antice ferrugineo, segmentorum marginibus maculisque dorsalibus trigonis albidis, antennis basi fusco-lutescentibus, tibiis pallidis. ♂♀. (Longit. 10—12 lin.).

Linn. Fn. Sv. 1882. Fabr. Antl. 92. 1. Panz. Fn. 2. t. 20. Latr. Gen. 4. 283. Fall. Dipt. Sv. Taban. 4. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 43. 18. Macq. Dipt. Gall. Taban. 155. 6. Tabul. 3. f. 7 (ala), & Suit. a Buff. 1. 199. 9. Dahlb. Ins. Skad. o. Nytt. 306. 203. Zett. Ins. Lapp. 513. 1. ♂♀.

Hab. in sylvis & pascuis, 23 Jun. — 12 Jul., per totam Sveciam etiam Ölandiam & Gottlandiam, frequenter; versus septentrionem tamen rarescit & in Lapponia vix nisi rarissime occurrit. — E Dania a Dom. a Conciliis Justitiæ *Stæger* missus.

♂♀. Similis *T. autumnali*, a quo vero magnitudine paullo majori, pictura abdominis ferruginante, nec cinerascente, capite pectoreque albo-flavescentibus, nec cinereo-villosis, ut & antennis basi fuscis, nec totis nigris, mox differt.

2. *T. autumnalis:* oculis ænescenti obscuris non lineatis; nigro-fuscus, thorace cinereo-lineato, abdominis dorso trifariam albido-maculato, antennis totis nigris, tibiis basi late albidis. ♂♀. (Long. 8—10 lin.)

Linn. Fn. Sv. 1883. Fabr. Antl. 91. 5. Meig. Dipt. 2. 39. 12. ♂♀. Fall. Dipt. Sv. Taban. 6. 6. ♂♀. Macq. Suit. a Buff. 1. 204. 25.

Hab in sylvis & hortis, truncis arborum viventium & parietibus soli expositis sæpe insidens, 19 Jun — 14 Aug., Scania — Uplandia freq.; Ölandia, Gottland. pass.; Dania rar., D. *Stæger.*

3. *T. latifrons:* oculis ænescentibus non lineatis; nigricans, palpis albis, antennis totis nigris, thorace cinereo-sublineato, abdomine trifariam albido-maculato, tibiis basi pallidis; interstitio frontali in ♀ lato, callis tribus discretis nigris. ♀. (Long. circit. 6 lin.)

Hab. in pratis Scaniæ rariss.; ad Christinæhof d. 14 Jul. 1820 duo specimina inveni.

♀. Valde similis *T. bromio* (n:o 5), antennis totis atris, interstitio frontali fere duplo latiori quam in illo, callis 3 nigris discretis, nec linea cohærentibus prædito, ut & oculis immaculatis, nec unilineatis, ab illo distinctus. Interstitium frontale ♀ cinereum maculis 3 nigris nitidis fere

æquali spatio remotis, quarum antica subquadrata totum interstitium inter oculorum angulos implet; intermedia transversim oblonga etiam totam latitudinem occupat; & postica minor in vertice per punctum majusculum fuscum opacum tantum indicatur. Cetera ut in *T. bromio.*

4. *T. atricornis:* oculis glauco-viridibus transversim subunilineatis; nigricans, palpis albis, antennis totis nigris, thorace cinereo-sublineato, abdomine quinquefariam albo-maculato, tibiis basi testaceis; oculis in ♂ magnis, convexis. ♂. (Long. circit. 6 lin.)

Meig. Dipt. 7. 59. 47. Wahlberg Observationes Dipterolog. in litteris.

Hab. ad Gusum, Parœciæ Ringarum, Ostrogothiæ, ubi mas a Cel. Profess. *P. Wahlberg* detectus; mihi in Scandinavia non obvius.

"*Mas: T. bromio* magnitudine & statura simillimus, nigricans, supra fusco-, subtus cinereo-pilosus. Oculi magni, valde convexi, glauco-virides, parte 4:ta inferiori & margine laterali & postico viridibus. Pars viridis linea fusco-ænea a parte glauca separatur. Antennæ acuminatæ, totæ atræ. Barba & macula supra antennas albo-pilosæ. Palpi albi. Proboscis nigra. Thorax nigro-fuscus, lineis 5, angustis, obsoletis, cinereis. Abdomen acuminatum, nigro-fuscum, maculis parvis albo-cinereis, lineas 5 formantibus, mediam dorsalem maculis subtrigonis, 2 utrinque, quarum altera in latere dorsi maculis oblique positis, altera marginalis in apice segmentorum. Venter cinereus, incisuris anguste albidis. Pedes nigri, tibiis anticis basi tantum testaceis, posterioribus fusco-testaceis. Pulvilli testacei. Alæ parum infuscatæ, nervis ut in *bromio* directis." Wahlb.

Fem.: fronte maculis 2 atris, oculis non lineatis, alias mari similis. Meig. l. c. pag. 60.

5. *T. bromius:* oculis ænescentibus transversim purpureo-unilineatis, linea in medio oculi; nigricans, palpis albis, antennis subferrugineis, thorace albido-lineato,

abdomine trifariam albo-maculato, tibiis basi testaceis, alis immaculatis; fronte ♀ callo quadrato lineaque nigris. ♂♀. (Long. circit. 6 lin.)

Linn. Fn. Sv. 1885. Fabr. Antl. 97. 18. Meig. Dipt. 2. 52. 29. Fall. Dipt. Sv. Taban. 7. 7. ♂♀. Macq. Suit. a Buff. 1. 205. 28. Zett. Ins. Lapp. 516. 8. ♂♀. *Taban. maculatus* De Geer Ins. 6. 89. 3.

Hab. per totam Sveciam etiam Ölandiam & Gottlandiam, 19 Jun. — 22 Jul., ubique copiose; — in Lapponia rariss.; — in Dania freq.

6. *T. glaucopis*: oculis trilineatis; nigricans, palpis dilute sordide stramineis, antennis rufo-testaceis, thorace cinereo-lineato, abdomine trifariam cinerascenti maculato, tibiis pallide testaceis; fronte ♂ callo unico, ♀ tribus nigris, canaliculatis. ♂♀. (Long. 8 lin.)

Meig. Dipt. 2. 48. 21. ♂♀. Macq. Suit. a Buff. 1. 205. 30. ♂♀. Wahlb. Act. Holm. 1838. ♂♀.

Hab. per Sveciam mediam initio mensis Augusti haud freq.; a D. Prof. *Wahlberg* inventus in floribus Pastinacæ, Anethi & Dauci ad Gusum paroec. Ringarum & ad prædium Hösterum in par. Börrum, Ostrogothiæ, nec non ad pagum Käglö in paroec. Tryserum Calmariæ. A me non deprehensus. — Ad Sudercopiam (Söderköping) etiam a D. Præpos. *Chr. Stenhammar* lectus.

♂♀. "*T. bromio* inter nostrates proximus & affinis, paullo tamen major, præsertim longior, colore magis in ferrugineum vergente, quam *bromii* fere cinerascentis. Oculi ♂ nudiusculi (an detriti?), ♀ nudi. Abdominis latera & venter, maris præsertim, nonnihil ferruginea, apicibus segmentorum cinerascentibus. Alæ *T. bromii.*" Wahlberg l. c. — Forte hujus Sectionis?

Obs. T. maculicornis: oculis in utroque sexu nudis, ob mag-

nam cum *T. alpino* &c. affinitatem in Sectione 2:da sub N:o 18 describitur.

Sect. 2. oculis in mare semper, in femina sæpissime hirtis.

a) Nervus alarum tertius longitudinalis normaliter furca simplici terminatur (in individuis monstrosis *T. tropici*, *borealis* & *atricornis* furca interdum appendiculata).

7. *T. tarandinus;* oculis aureo-cupreis transversim 2-(♂) vel 3-(♀) lineatis, linea prima in medio (♂), aut media in medio (♀) oculi; nigricans, abdominis segmentorum margine aureo-flavis, antennis pedibusque luteis. ♂♀. (Long. circit. 9—10 lin.)

Var. a. ♂♀. alis fusco-hyalinis, basi nervis luteis.

Linn. Fn. Sv. 1824. ♀. Fabr. Antl. 95. 8. ♀. Fall. Dipt. Sv. Taban. 4. 2. ♀. Dahlb. Ins. Nytta och Skada 306. 204. Zett. Ins. Lapp. 513. 2. ♂♀.

Var. b. ♀. alis fusco-hyalinis, nervis totis luteis, fuscedine evidentiori cinctis.

Zett. l. c. var. b.

Hab. var. a. in Lapponiis omnibus, 24 Jun. — 30 Jul., sub æstatibus calidis freq., frigidioribus vero rarius obvius; — *mas* semper rarissime occurrit, & in foliis Salicis ad Lycksele Lapponiæ Umensis 20 Jun. a me semel captus. In provincias Sveciæ mediæ parce descendit, & in Pinetis arenosis prope Forsvik, paroeciæ Undenäs, Westrogothiæ, ♀ a *D. Wahlberg*, atque in horto ad Lärketorp Ostrogothiæ, mense Julio 1813, individuum femineum inter arbores volans & valde susurrans, a me captum. Var. b. ad Åsele Lapponiæ Umensis rar. inventa. — In Norvegiæ inferalpinis haud infreq. legitur var. a. ♀.

8. *T. auripilus:* oculis æneo-viridibus transversim

purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; niger, palpis concoloribus, abdominis segmentorum margine fulvo-ciliato. ♀. (Long. 7—8 lin.).

Var. a. ♀. epistomate fronteque cinereis; antennis totis nigris.

Zett. Ins. Lapp. 514. 3. a. ♀.

Var. b. ♀. epistomate fronteque cinereis; antennis nigris, articulo ultimo basi macula laterali rufa.

Zett. l. c. var. b. ♀. Meig. Dipt. 2. 41. 15.

Var. c. ♀. epistomate fronteque nigris, colore scilicet cinerascente, ordinario forte detrito.

Zett. l. c. var. c. ♀.

Hab. in sylvis betulinis, a fine Junii usque ad initium Augusti præsertim in Lapponiis Norvegicis freq.; var. a. in Nordlandia & Finmarkia copiose, in Lapponia Umensi rarissime, in Åreskutan & Mullfjellet Jemtlandiæ passim; etiam in Dovre Norvegiæ a D. *Boheman* capt.; var. b. in Nordlandia passim visus; & var c. in Norvegia semel tantum inventus & altera vice in Jemtlandia. In Svecia inferiori a me nunquam deprehensus, sed ad Gusum Ostrogothiæ ♀ a D. *Wahlberg* lecta, & in Smolandia, teste D. *Ljungh*, hæc species aliquando quoque occurrit.

Obs. Taban. æthiops: "oculis fuscis pilosis, corpore atro, alis sordide hyalinis, antennis nigris, abdominis dorso linea punctorum albidorum", *Ljungh* Act. Holm 1823 p. 265. T. III. 3. f. 3. in monte præalto Klefven ad Husquarnen prope Junecopiam Smolandiæ captus d. 26 Jun. 1797, est forte hujus speciei *mas* ob antennas nigras, oculos in vivo unifasciatos &c. Nec mas *Tabani borealis* esse potest, ut autumat Cel. *Fallén* (Dipt. Svec. Suppl.), etenim hic antennarum articulum ultimum ferrugineum habet, & in copula cum simili sæpe captus, teste eodem *Ljungh*. Ne-

que obstat fascia tantum *unica* oculorum, nam ejusmodi pictura in masculis, quorum feminæ oculos trilineatos habent, in aliis speciebus obtinere sæpe observavi, fasciis scilicet superiori & inferiori obsoletissimis aut fere nullis.

9. *T. flaviceps:* oculis aureo-viridibus transversim purpureo-unilineatis, linea in medio oculi; obscure fuscus, capite flavescente, palpis albis, antennarum articulo ultimo basi, tibiisque testaceis, abdomine trifariam fusco-maculato. ♀. (Longit. circit. 7½ lin.)

Hab. in Værdalen Norvegiæ rariss.; ad Oestre Næs d. 8 Jul. 1840 individuum femineum inveni.

♀. Statura & magnitudo prioris. Caput flavescens, barba pallida. Interstitium frontale mediocre, callis 3 nigris, primo majori, subtransverso, tuberculato, nitido; intermedio subfoveato, & postico subelevato, minoribus oblongis parum nitidis, omnibus subdiscretis. Palpi albi; proboscis nigra. Antennæ nigræ articulo ultimo basi utrinque macula testacea. Corpus fusco-nigricans. Thorax tenuiter ferrugineo-pubescens, sed vix lineatus. Pectus pallide pilosum. Abdominis maculæ trigonæ fusco-ferrugineæ, triplici ordine dispositæ, segmentorum summo margine albido. Venter fuscus, unicolor, incisuris tenuissime albidis. Alæ sordide hyalinæ, haud maculatæ. Pedes nigricantes; geniculis tibiisque testaceis, his apice obscuris; tarsis fusco-piceis.

10. *T. tropicus:* oculis æneo-viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; nigricans, palpis albis, abdominis lateribus, antennarum medio tibiisque, ferrugineis, alis subimmaculatis. ♂♀. (Long. 7—8 lin.)

Var. a. ♂♀. Oculi æneo-virides, lineis 3 distinctis (in ♂ tamen linea superiori obsoleta), abdominis lateribus late ferrugineis, alis immaculatis.

Linn. Fn. Sv. 1886. Fabr. Antl. 100. 32. Panz. Fn

13. f. 22. ♀. Fall. Dipt. Sv. Taban. 5. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 57. 31. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 202. 19. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 514. 4. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. Oculi cuprei æneo-micantes, lineis 3 obsoletis, media distinctiori, alis puncto fusco in furca nervi longitudinalis tertii.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. Antennæ totæ rufæ.

Hab. in floribus Umbellat. & foliis fruticum, 14 Jun. — 15 Aug, var. a. & b. per totam Scandinaviam vulgaris, in alpes humiliores Værdaliæ & Jemtlandiæ adscendens — Var. c. in Scania ad Esperöd a me hactenus tantum visus.

11. *T. luridus:* oculis æneo-viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea prima in medio oculi; nigricans, palpis albis, abdominis lateribus, antennarum medio tibiarumque basi, obscure ferrugineis, alis subimmaculatis. ♂♀. (Long. 7—8 lin.).

Fall. Dipt. Sv. Taban. 5. 4. ♂. Meig. Dipt. 2. 55. 32. ♂♀. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 202. 18. ♂♀.

Hab. in sylvis Scaniæ, Ostrogothiæ & Gottlandiæ, 21 Maj —30 Jul., minus freq.; ad Holmiam, D. *Wahlberg*. E. Dania, D. *Stæger*.

♂♀. Summa *T. tropici* similitudo, differre tamen videtur: colore corporis magis obscuro, ferruginedine partium magis intensa, nec rufo-testacea, abdominisque minus dilatata, & præsertim positione linearum in oculis alia —

12. *T. nigricornis:* oculis ænescentibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; nigricans, palpis albis, antennis atris, thorace albido-lineato, abdomine cinereo-trifariam maculato, tibiis basi testaceis, alis immaculatis. ♀. (Long. 7—8 lin.).

Hab. in Jemtlandia, 31 Jul. — 10 Aug., freq.; scilicet in Berge ad Alsen, ad Ristansfors prope Nyland, & ad radicem alp. Åreskutan 1810, a D. *Dahlbom* & me captus. In ceteris Scandinaviæ provinciis hactenus non inventus, quantum novi.

♀. *T. bromio* affinis & similis, sed major, latior, oculorum pictura & antennarum colore mox dignotus. Nigricans. Caput cinereum. Instertitium frontale mediocre, callis 3 nigris, nitidis, antico majori, elevato; intermedio lineari cum primo cohærente, & postico in vertice discreto, obcordato, minus perspicuo. Antennæ nigræ, articulo ultimo basi in junioribus macula utrinque nigro-picea. Palpi albi. Proboscis nigra. Thorax albido-lineatus. Pectus & venter cinerascentia, illud griseo-pilosum. Abdomen maculis trigonis subæqualibus perspicuis triplici ordine dispositis, cinereis. Alæ hyalinæ, immaculatæ præter lineam stigmaticalem ordinariam obscuram. Furca nervi tertii interdum appendiculata. Pedes nigri, tibiis anticis ad medium, posterioribus fere ad apicem flavo-testaceis.

13. *T. borealis:* oculis læte viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; nigricans, palpis segmentorumque abdominis marginibus albidis, alis subimmaculatis. ♂♀. (6—7 lin. long.).

Var. a. ♂♀. oculorum lineis 3 in ♀ saltem distinctis, niger, abdominis segmentis 2 & 3 lateribus ferrugineis; callo frontali antico in ♀ magno didymo.

Meig. Dipt. 2. 37. 10. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 515. 5. a. ♂♀.

Var. b. ♀. oculorum lineis 3 valde angustis & tenuibus, nigricans, abdominis segmentis 2 & 3 concoloribus; callo frontali antico simplici.

Fabr. Antl. 101. 37. Fall. Dipt. Sv. Taban. 6. 5. ♂♀.

(exclusis in Suppl. Primo. p. 2. Synonymis: *T. borealis* ♂, & *T. æthiops* Ljungh). Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♀. similis var. b. oculorum lineis tribus latioribus.

Zett. l. c. var. c. ♀.

Var. d. ♀, similis var. b. oculorum lineis prima & tertia obsoletis, media tantum distincta; antennarum articulo ultimo ferrugineo, apice solum determinate atro; abdominis lateribus maculis utrinque 2 ferrugineis, incisuris anguste albidis. — Vix specie diversa.

Zett. l. c. var. d. ♀.

Var. e. ♀. similis var. a., abdominis lateribus non ferrugineis.

Zett. l. c. var. e. ♀.

Hab. in Lapponiis Svecicis & Norvegicis ut & in inferalpinis Nordlandiæ Finmarkiæque, 4 Jun. — 11 Aug., var. a—c freq.; d. & e. rarius. Descendit quoque in Sveciam & Norvegiam inferiorem, & var. a. ad Garnæs Værdaliæ & Esperöd Scaniæ; var. b. in Undersåker Jemtlandiæ, Årås Wermelandiæ, Westrogothia, ad Gusum Ostrogothiæ, D. *Wahlberg*, & in Blekingia, D. *Aspegren*, his vero locis plerumque solitarie & raro occurrit; ad Finja-sjön Scaniæ borealis varietatem c. 1840 D. *Dubb* rarissime legit.

♂♀. *T. tropico* plerumque paullo minor & obscurior, præsertim ♂. Interstitium frontale ♀ cum callis nigris fere ut in *tropico*. Antennæ in utroque sexu nigræ, articulo ultimo basi plus minus late ferrugineo. Thorax vix lineatus. Pedes nigri, tibiis basi magis l. minus late ferrugineis.

14. *T. lugubris:* oculis dimidietate superiori viridi, inferiori subferruginea, transversim purpureo-trilineatis, linea prima in medio oculi; ater, palpis nigris; abdomi-

nis segmentis margine tenuiter, serieque media dorsali macularum trigonarum, albis, alis immaculatis. ♂. (Long. 6 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 515. 6. ♂.

Habit. in Lapponia rarissime; in sylva ad Lycksele Lappon. Umensis Svec., d. 22 Jun., & in betuletis ad Björkvik Nordlandiæ Norveg. 15 Jul. inveni.

♂. Longitudo *T. borealis*, paullo latior, *T. lurido* (N:o 11) affinis & similis, sed ab illo differt: colore nigriore, palpis obscurioribus, abdominis lateribus vix ferrugineis, ut & loco natali. — Palpi sordide albidi, nigro-pubescentes vel villosi. — Obstat oculorum pictura unilineata (si nempe rite a D *Ljungh* observata fuerit) in *T. æthiope* Ljungh Act. Holm. 1823, quominus ille idem cum hoc nostro *T. lugubri* esset. De cetero simillimi videntur.

15. *T. nigerrimus:* oculis æneis transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; ater, antennis, palpis pedibusque, totis concoloribus, abdomine serie media dorsali macularum trigonarum alba, alis nubecula obscura. ♂. (Long. inter 7 & 8 lin.).

Hab. in Scandinav. rarissime, duo tantum specimina, unum ad Garnæs in Værdalen Norvegiæ d. 1 Jul. 1840 a Præcl. D. *Dahlbom*, & alterum in alpe insigni Åreskutan Jemtlandiæ Sveciæ d. 1 Aug. ejusdem anni a me inventum.

♂. Affinis *T. auripilo* ejusque magnitudine, sed colore totius corporis nigriore & abdominis pictura in primis distinctus. Totus ater. Frons supra antennas & epistoma cinerascentia, hoc nigro-villosum, villositate pilis cinereis mixta. — Abdomen maculis subtriangularibus e pilis flavo-albidis ortis in una serie dorsali positis, sed de cetero immaculatum præter cilias flavo-albidas in margine abdominis postico. Alæ hyalinæ, nervis fuscedine subcinctis; linea

stigmaticalis distincta nigra, e qua fascia transversa fusca exit, fere ad marginem oppositum ducta. Punctum fuscum in furca nervi tertii in specimine altero adest.

16. *T. alpinus*: oculis æneseentibus transversim purpureo-subunilineatis, linea in medio oculi distincta; niger, palpis sordide albidis, segmentis abdominis margine tenuiter ferrugineo-ciliatis, anticis lateribus ferrugineis, alis subimmaculatis. ♂. (Long. 6—7 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 516. 7. ♂.

Hab. in Scandinav. septentrionali, 4 Jul. — 2 Aug., rar; scilicet in foliis Betulæ albæ ad Umenæs Lappon. Umensis & in Raschstind Nordlandiæ; descendit quoque in Lapponias magis meridionales & ad Thynæs prope Levanger, Oestre Næs in Værdalen, Norvegiæ, atque ad radicem Åreskutan Jemtlandiæ Sveciæ, a me inventus.

♂. Longitudo *T. lugubris*, angustior. Affinis quoque *T. lurido*, sed antennarum, abdominis tibiarumque colore obscuriore, ut & pictura oculorum diversus videtur Oculi subunilineati, linea scilicet media tantum distincta omnino ut in varietate d. *T. borealis*. Tres lineæ in oculo quidem revera adsunt, sed harum superioris vix vestigium, & inferior obsoletissima. Interdum tamen hæ lineæ paullo evidentiores; raro virides ut in specimine Værdalensi.

17. *T. albo-maculatus:* oculis aureo-viridibus transversim distincte purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; niger, palpis sordide albidis: antennarum medio ferrugineo, thoracis lineis subqvinis abdominisque maculis trifariam positis, albis, alis submaculatis. ♀. (Long. circit. 5 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 516. 9. ♀.

Hab. rarius in Lapponia Umensi & ad radicem alpium Jemtlandiæ ex. gr. in Mullfjellet; 30 Jun. — 2 Aug. a D. *Dahlbom* & me deprehensus.

♀. Parvus in hoc genere, *T. bromio* brevior, sed non angustior. Species pulchra & distincta, cujus mas vix quærendus in *T. lugubri*, cujus statura gaudet, sed *T. albo-maculatus* minor est & aliter coloratus. Interstitium frontale cinereum, callo ordinario inter angulos oculorum, lineaque interrupta, atris, nitidis. Pedes toti nigri.

18. *T. maculicornis:* oculis nudis æneis transversim purpureo-unilineatis, linea fere in medio oculi; niger, palpis tibiarumque maculis trifariam positis, albidis, alis immaculatis. ♂♀. (Long. 5—5½ lin.).

Hab. rarius & solitarie ad diversoria Thynæs, Næs & Garnæs in parœciis Skogn & Værdalen Norvegiæ, 1—8 Jul. 1810 uterque sexus a me inventus; deprehenditur quoque rarissime in Svecia boreali, & ad diversorium Faxelfven Jemtlandiæ 9 Aug. ♀. a D. *Dahlbom* semel lecta.

♂♀. Color corporis, magnitudo & habitus omnino ut in *T. albo-maculato;* etiam cum *T. alpino* multum commune habet, sed ab utroque oculis nudis &c. certe distinctus; ab illo scilicet pictura oculorum unilineata, nec trilineata, alisque purius hyalinis, immaculatis; & ab *alpino* magnitudine minori, antennis medio rufis & præsertim abdominis lateribus dorso concoloribus, nec ferrugineo-maculatis, mox & facile dignoscitur. *Mas:* oculi magni, convexi, parte 4:ta, a superiori per lineam separata, multo subtilius reticulata. Antennæ fusco-ferrugineæ, articulo 1 basi, & 3 apice, nigræ. *Femina:* oculi mediocres, minus convexi, undique æqualiter reticulati, linea fere in medio oculi. Interstitium frontale cinereum, callo ovato lineaque nigris, parum nitidis. Antennæ ferrugineæ, apice nigræ, articulo primo fusco, macula intus picea. Pectus in utroque sexu evidenter cinereo-villosum & venter cinerascens, vitta media longitudinali obscura. Abdominis dorsum trifariam albomaculatum & incisuræ undique tenuiter albidæ.

19. *T. confinis:* oculis viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi; niger, palpis tibiisque albidis, antennarum articulo ultimo basi ferrugineo, thoracis lineis subqvinis abdominisque maculis trifariam positis, albis, alis immaculatis. ♀. (Long. circit. 6 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 516. 10. ♀.

Hab. in Scandinavia septentrionali rarissime; scilicet ad Lycksele 25 Jun. 1832, & ad radicem alp. Åreskutan Jemtland. 1 Aug. 1840, duo specimina invenire mihi contigit.

♀. Duobus proxime præcedentibus affinis & similis, sed a *T. albo-maculato* tibiarum colore &c., a *T. maculicorni* oculorum pubescentia & pictura, & ab utroque magnitudine paullo majori, certe differt. Palpi albi & albido-pilosi. Thorax obsolete lineatus. Pectus griseo-villosum. Pedes nigri, tibiis anticis basi, posterioribus fere totis, albo-testaceis.

20. *T. sublunaticornis:* oculis æneseentibus transversim purpureo-subunilineatis, linea infra medium oculi; niger, undique cinereo-villosus, palpis tibiisque basi, albis, antennarum articulo ultimo fulvo, abdominis segmentis margine albo-ciliatis, alis immaculatis. ♂. (Long. 5 lin.).

Hab. in jugo alpino norvegiæ rariss.; scilicet in Værdalen ad diversorium Suul-stuen & ad radicem alp. Kälahög, d. 11 & 22 Jul. 1840 duo individua inveni.

♂. Magnitudine, habitu & colore *T. maculicorni* simillimus, sed oculorum hirsutie & antennarum colore ab illo vere dignotus. Antennarum articulo ultimo toto fulvo & abdomine segmentorum margine cinereo-ciliato, nec trifariam albo-maculato, ab affinibus quoque mox differt. Niger, supra & subtus dense cinereo-villosus. Oculi evidenter hirti, parte 4:ta inferiori a superiori linea separata & subtilius

quam ea reticulata. Antennæ fuscæ, articulo ultimo fulvo-flavo, summo apice nigro. Frons supra antennas cinerea, immaculata. Palpi albi, nigro-pilosi. Thorax minime lineatus. Abdominis segmenta margine cinereo-ciliata absque vestigio macularum. Venter cinereus, incisuris summis albidis. Alæ cinereo-hyalinæ, linea stigmaticali nigra distincta; furca nervi tertii in uno specimine appendiculata. Tibiæ anticæ ad medium, posteriores fere ad apicem, albidæ.

Obs. Fabricii *Tab. paganus* & *Vituli*, qui a D. *Billberg* in Enumer. Insect., ut Sveciæ incolæ allati fuerunt, mihi ignoti.

b.) Nervus tertius longitudinalis furca appendiculata terminatus. (Specimina monstrosa *T. tropici*, *borealis*, *atricornis* & *sublunaticornis* furcam appendiculatam quoque habent, in Subdivisione priori quærenda.).

21. *T. rusticus:* oculis flavo-virescentibus subimmaculatis; nigricans, dense flavo-cinereo-pubescens, palpis albis, antennis luteis, apice fuscescentibus, tibiarum basi alarumque nervis pallidis. ♂♀. (Long. 6—6½ lin.).

Mas: oculis immaculatis, cantho inferiori subtilius reticulato;

Fem: oculo conformi, linea media recta abbreviata purpurea; interstitio frontali punctis 2 nigris.

Var. a. ♂♀. abdomine flavo-cinereo unicolore.

Linn. Syst. Nat. 2. 1000. 11. Fabr. Antl. 99. 26. ♀. Meig. Dipt. 2. 60. 39. ♂. Fall. Dipt. Sv. Taban. 8. 8. ♂. (excl. Syn. Panz.). Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 207. 34. ♂.

Var. b. ♂♀. abdomine flavo-cinereo, seriebus longitudinalib. quatuor macularum fuscarum.

Meig. l. c. ♀. Fall. & Macq. l c. ♀.

Hab. in floribus pratensibus, 27 Jun. — 30 Jul., in Svecia meridionali frequentissime, in Bahusiam & Uplandiam parcius adscendens; var. b. in Ölandia & præ-

sertim in Gottlandia copiose occurrit. — Feminas interdum usque ad 1 Septemb. vigentes vidi. — Dania.

22. *T. fulvus*: oculis pallide virescentibus subimmaculatis; fuscus, dense aureo-flavo-pubescens, palpis albis, antennis luteis, abdominis lateribus pedibusque testaceis, femoribus basi tarsisque nigris, alis pallide nervosis. ♂♀. (Long. 6—7 lin.).

Meig. Dipt. 2. 61. 40. ♂♀. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 207. 14. *T. rusticus* Schrank. Enum. Ins. Austr. 479. 976. Panz. Fn. 13. 21. *T. rusticus* v. *β*. Fall. Dipt. Sv. Taban. 8. 8. ♀.

Hab. in floribus cum priori passim; in Gottlandia vero ad Ejsta, Ruthe, Stenkyrka &c. toto mense Jul. frequenter lectus; in Ölandia quoque haud raro visus; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*.

♂♀. Priori similis, magis fulvo-pubescens; differt in primis antennis totis luteis pedibusque ex maxima parte testaceis. Oculi maris quoque multo magis convexi, at minus hirsuti quam in *T. rustico*. Nec series macularum fuscarum in abdomine *T. fulvi* observavi.

23. *T. ruralis*: oculis flavo-virescentibus immaculatis; fusco-cinereus, parum pubescens, palpis albis, antennis luteis, alis basi flavis, abdominis basi macula utrinque laterali tibiisque, ferrugineo-testaceis. ♀. (Long. 6—7 lin.).

Zett. Ins, Lapp. 517. 11. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele 10 Aug. captus. In Gottland. quoque Jul. semel lectus.

♀. Duobus proxime antecedentibus affinis & valde similis, sed ab illo, antennarum articulo ultimo toto etiam apice fulvo, maculaque abdominis laterali ferruginea, & ab hoc, corpore glabriori, alis basi magis evidenter luteo-coloratis,

& ab utroque toto corpore glaucescente distinctus. Pedes ferrugineo-testacei, femoribus omnibus basi late, anticorum tibiis apice tarsisque totis, nigris. Forte species distincta & vix tantum specimina detrita *T. fulvi*.

24. *T. plebejus*: oculis pallide virescentibus subunilineatis; nigricans, cinereo-pubescens, palpis albis, antennis luteis, geniculis tibiisque testaceis, alis pallide nervosis. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Fall. Dipt. Sv. Taban. 8. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 62. 42. ♀. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 203. 21. Germar in Ahrens. Fn. Ins. Eur. fasc. 14. Tab. 23. ♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, Galii, & aliis pratensibus, d. 3 Jul. — 8 Aug., in Svecia media & meridionali passim, minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd & Christinæhof; in Smolandia ad Hamneda &c.; in provincia Calmariensi; & in insula Gottlandia ad Gothem, a me deprehensus: ad Gusum Ostrogothiæ ♀ a D. Prof. *Wahlberg* capta.

♂♀. Habitus *T. rustici*, at duplo minor, inter nostrates minimus. Antennæ totæ luteæ. Oculorum linea purpurea media in ♂ parum perspicua, in ♀ ad marginem posticum non extensa. Interstitium frontale ♂ puncto lineaque nigris, interdum obsoletis. Thorax non lineatus. Abdominis segmenta summo margine alba & albo-ciliata. Furca nervi tertii alarum in altero specimine simplex, nec appendiculata. Pedes in ♂ nigri, tibiis anticis basi, posterioribus totis, albidis; in ♀ testacei, femoribus basi tibiisque apice, & tarsis anticis, nigris.

---

2. HÆMATOPOTA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, oblongum, pubescens. *Color* obscurus. *Motu* tarda, sole lucente vivacior. *Habitatio* per

16

totam Scandinaviam. *Larvæ* verisimiliter in stercore vivunt. Feminæ declaratæ sangvinem animalium sugunt; masculi innocui flores frequentant. *Sexus* differt; *mas:* oculis in fronte cohærentibus, palpis horizontaliter porrectis; *femina:* oculis distantibus & aliter pictis, palpis perpendicularibus. — Svet. *Regnbröms;* Norveg.: *Blinning.*

1. *H. pluvialis*: oculis pictis, nigricans, thoracis lineis, & abdominis incisuris maculisque bifariam dispositis, cinereis, alis fumatis, maculis lineisque undulatis albis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Mas: obscurior, antennarum articulo basali crassiori; var. 1: oculis (in viva) virescentibus supra medium brunneis, in medietate inferiori viridi, striis 2, una marginali, altera undata, purpureis; & var. 2: oculorum dimidietate superiori grisea, inferiori viridi, lineis 3 purpureis, intermedia undulata;

Fem: cinerascens, oculis graminei coloris, lineis 5, semper purpureis, intermediis 3 undulatis, irregularibus, media sæpe interrupta; in copula.

Fabr. Antl. 106. 1. Fall. Dipt. Sv Taban. 9. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 78. 1. T. 14. f. 8. var. 3 & 4. *Tabanus* Linn. Fn. Sv. 1887. De Geer. Ins. 6. 223. 5. t. 13 f. 1. 2. Panz Fn. 13. 23. ♀. *Hæmatopota grandis* Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 211. 4. ♂♀. *H. pluvialis* Dahlb. Ins. Skad. och Nytt. 307. 205. Zett. Ins. Lapp. 517. 1. ♂♀.

Hab. per totam Scandinaviam in vicinitate animalium calidisangvium, tota æstate vulgaris.

In 100 & pluribus speciminibus, quæ examinavi, antennæ in utroque sexu capite semper fere duplo longiores, articulo primo valde crasso; nec alia in Scandinavia vidi. Sed variant antennæ totæ atræ, aut articulo ultimo basi ferrugineo.

3. CHRYSOPS Meig.

Corpus majoris magnitudinis, circiter 4 lin. longum, oblongum, subpubescens. *Color* obscurus, pictura abdominis sæpe rufa, alarumque albo-maculata. *Motu* haud agilis, at sole ardente volatu brevi & strenuo se prodit. *Habitatio* in sylvis, pascuis & pratis; masculi in floribus sæpe occurrunt, feminæ homines infestant, nec facile depelluntur. A medio mensis Junii ad idem tempus sequentis Augusti vigent imagines. *Metamorphosis* non rite cognita; secundum *Fabricium* larvæ sub terra degunt. Ad ripam lacus in Caricetis & Juncetis magnam individuorum copiam, quæ nuper e nympha declarata videbantur, ipse semel vidi. Imagines femineæ sangvinem animalium hauriunt, masculæ in foliis fruticum versantur. *Differentia sexus* ut in *Hæmatopota.* Svecis: *Ögonbröms, Guldöga, Blindbröms.*

1. *C. cæcutiens:* niger aut nigro-fuscus, abdominis basi rufo-vel flavo-maculato, pleuris fulvo-hirtis, antennis, palpis pedibusque totis, nigris. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 4½ lin.).

Mas: ater, alis concoloribus, sinu unico apicali albo, abdominis segmento 2:do plerumque macula utrinque laterali rufa, oculis (in vivo) aureo-viridibus, punctis 5 irregularibus & margine postico, purpureis;

Fem.: nigro-fusca, alis concoloribus, sinubus duobus, uno apicali, altero basali, albis; abdominis segmentis basalibus 1 & 2 flavis, in medio lineis 2 basi confluentibus nigris, oculis (in viva) viridibus, punctis 5 irregularibus & horum quibusdam interdum confluentibus, margineque postico, purpureis; in copula.

Fabr. Antl. 110. 1. ♀. Fall. Dipt. Sv. Taban. 9. 1. (sub quo vero plures species latent). Meig. Dipt. 2. 67. 2. ♂♀. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 214. 1. ♂♀. Dahlb. Ins. Nytta och Skad. 307. 206. *Tab. cæcutiens* Linn. Fn. Sv. 1888. ♀. *Tab. lugubris* Linn. l. c. 1889. ♂ *Chrys. lugubris* Fabr. Antl. 113. 9. ♂. Fall. l. c. 11. 3. ♂.

Hab. in Scania — Ostrogothia freq., deinde rarescit & in Lapponia rarissime occurrit. Ad Ö. Næs in Værdalen Norvegiæ uterque sexus a me captus; & in Dania a D. *Stæger* lectus.

2. *C. relictus:* nigricans, antennis, palpis pedibusque concoloribus, tibiis testaceis, abdominis segmentis 1 & 2 rufis, macula media gemina nigra, reliqvis nigris, margine sinuatim ferrugineo aut cinereo. ♂♀. (Long. 4. lin.).

Mas: niger, alarum sinubus 2 angustioribus albis, pectoris lateribus flavo-hirtis, abdominis segmentis 1 & 2 lateribus rufo-ferrugineis, reliquis margine sinuatim ferrugineis, quæ pictura tamen vix seriem macularum triangularium in dorso format; oculis aureo-viridibus, maculis 4 cupreis, mediis in lineam cohærentibus.

Fem.: nigro-fusca, alarum sinubus 2 latioribus albis, pectoris lateribus griseo-hirtis, abdominis segmentis 1 & 2 flavis, lineis 2 nigris basi cohærentibus, reliquis segmentis margine sinuatim glauco-cinereis, unde series macularum trigonarum longitudinaliter in medio dorsi formatur; oculis aureo-viridibus, maculis & lineis irregularibus, interdum in disco interiori, interdum versus occiput locatis, brunneis aut purpureis, interdum denique obsoletis, relicto tantum uno alterove puncto purpureo.

Meig. Dipt. 2. 69. 3. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 215. 2. Zett. Ins. Lapp. 518. 2. ♂♀. *Chrysops viduatus* Fabr. Antl. 113. 10. Fall. Dipt. Sv. Taban. 10. 2. ♂♀. (exclus. var. *β.*) *Tabanus cæcutiens* Panz. Fn. 13. 24? ♀.

Hab. mens. Julio per totam Scandinaviam usque ad NordCap Norvegiæ freq.; in Gottlandia quoque vulgaris. — In Dania D. *Stæger.* — Specimen femineum paullo majus, palpis tibiisque nigro-piceis, in Svecia semel inveni, vix ad aliam speciem referendum.

3. *C. nigripes*: nigricans, antennis, palpis pedibusque nigris, abdominis segmentorum margine tenuiter, serieque dorsali media macularum trigonarum, glaucis. ♀. (Long. $3\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 519. 3. ♀.

Hab. in inferalpinis Lapponiæ Norvegicæ rarissime; ad Bossekop Finmarkiæ haud longe a NordCap d. 8 Aug. 1821 exemplar unicum inveni.

♀. *Chr. relicto* valde affinis ejusque fere magnitudine, alarum sinubus latioribus, albidioribus, abdominis pictura & pedum colore diversus. Oculi aureo-virides, maculis s. punctis 3 in disco interiori purpureis. Abdomen nigrum, in extimo latere segmenti primi utrinque macula parva, flavo-pellucida, quæ etiam in segmentum secundum paullo extenditur; segmenta 2—7 margine summo glauco, & serie macularum trigonarum, versus anum sensim evanescentium, ejusdem coloris.

4. *C. pictus:* nigricans, antennarum basi, palpis tibiisque testaceis, abdomine flavo-rufo, segmento secundo puncto triangulari, reliquis fascia basali in medio emarginata, nigris. ♀. (Long 4—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 70. 1. ♀. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 1. 215. 3. ♀.

Hab. in Svecia meridionali & media, rarius; ad Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg*, & in Scania ad Esperöd & ad Abusa prope Lund a me, inventus.

♀. *C. relicto* similis; differt: antennarum articulis 1, 2 & basi tertii, palpis, tibiisque anticis basi, & posterioribus totis cum tarsis, testaceis, femoribus intermediis quoque maxima ex parte testaceis, ut & abdominis segmento secundo toto flavo, puncto tantum in medio discreto nigro.

5. *C. quadratus:* nigricans, antennis palpisque concoloribus, tibiis testaceis, abdominis segmentis 1 & 2 fla-

vis, macula in medio subquadrata nigra, reliqvis nigris, margine summo rufo-flavo. ♂♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Mas: niger, thoracis vitta dorsali fusca, alis brunnescentibus, sinu apicali & macula basali albo-hyalinis, pedibus nigris, intermediorum tibiis & posteriorum metatarsis, testaceis;

Fem.: mari similis, nigricans, alis brunnescentibus, sinubus 2 albo-hyalinis, pedibus nigris, omnium tibiis & posteriorum metatarsis flavo-testaceis.

Meig. Dipt. 2. 70 5. ♂. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 205. 4. ♂. Zett. Ins. Lapp. 519. 4. ♂♀.

Hab. in sylvis betulinis d. 10—30 Jul. pass.; in Scania, Ostrogothia, ut & in Nordlandia Norvegica inveni. In Vestrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg.*

♂♀. Similis priori; differt: antennis palpisque obscurioribus, & macula media nigra in abdominis segmento 2:do, difformi, subquadrata (nec triangulari), majori, ad maculam nigram, magnam, dilatatam segmenti primi extensa, nec libera.

6. *C. rufipes:* nigricans, antennis palpisque concoloribus, pedibus abdominisque seriebus tribus macularum trigonarum, incisurisque, rufo-testaceis. ♂♀. (Long. 3¾—4 lin.).

Meig. Dipt. 2. 71. 6. ♀. *Chr. viduatus* var. *β.* Fall. Dipt. Sv. Taban. 10. 2.

Hab. in Svecia meridionali & media, 29 Jun. — 3 Aug., passim; scilicet ad Holmiam a D. *Häffner*, ad Gusum Ostrog. a D. *Wahlberg*, & in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd, nec non in ripa lacus Tungbyholm uterque sexus a me, inventus.

♂♀. Oculi aureo-virides, maculis & lineis 4 in ♂ subcohærentibus, in ♀ magis discretis, purpureis. Antennæ nigræ, interdum (in junioribus) basi ferrugineis, articulo primo paullo crassiori & ultimo paullo breviori quam in speciebus

antecedentibus. Palpi nigri, interdum fusco-testacei. Thorax in illæsis individuis cinereo lineatus. Abdomen nigrum, in singulo segmento maculæ tres triangulares, media glauca & laterales ferrugineæ, unde series tres macularum trigonarum, in medio abdominis magis perspicuarum. Incisuræ omnes glauco-flavæ. Pedes jam toti rufi (plerumque in ♀), jam (plerumque in mare) rufi, femoribus basi, geniculis anguste, tarsisque apice, nigris. — Reliqua ut in *C. relicto*, cum quo valde affinis.

7. *C. sepulchralis:* niger, antennis, palpis pedibusque concoloribus, abdominis segmentorum margine pallido-ciliato. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$3\frac{3}{4}$ lin.).

Fabr. Antl. 113. 12. Fall. Dipt. Sv. Taban. 11. 4. ♀. Meig. Dipt. 2. 71. 10. ♀. Zett. Ins. Lapp. 519. 5. ♀.

Hab. in Scandinavia mense Julio passim, minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd & Lindholmen; in Westrogothia ad Höberg; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena & Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; etiam in Lapponia ad Lycksele, & in Botnia ad Luleå inventus; circa Hafniam Daniæ uterque sexus a D. *Stæger* lectus; & ad Næs in Værdal. Norveg. captus.

♂♀. Prioribus minor & obscurior. Totus ater, vix maculatus nisi pleuris fulvo-pilosis, segmentorumque margine fulvo-ciliatis. Oculi (in ♀ viva) virides, punctis 3 in cantho interiori in triangulum dispositis, purpureis. Alæ ut in *C. rufipede* pictæ.

---

4. XYLOPHAGUS Meig.

Corpus majoris l. mediæ magnitudinis, elongatum, angustatum, nudiusculum. *Color* niger, pictura sæpe fasciatim rufa vel flava. *Motu* vix nisi sole sereno agilis. *Volatus* strenuus, brevis. *Habitatio* in sylvis; vernalis vel æstiva-

lis. *Larvæ* in ligno putrido degunt. *Imagines* truncis arborum insident. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* nonnihil minor, brevior, oculis in fronte paullo distantibus, abdomine lineari, ano subobtuso; *femina:* longior, robustior, oculis in fronte magis distantibus, abdomine lanceolato, ano subulato (pro depositione ovulorum aptato).

1. *X. ater:* antennis capite transverso fere duplo longioribus; ater, pedibus pallidis, posticorum femoribus tibiisque, apice infuscatis, alis subhyalinis, fascia abbreviata fusca. ♂♀. (Long. 5—6 lin.).

Mas: pedibus pallide flavis, thoracis vittis 3 griseis alarumque fascia fusca, obsoletissimis.

Fem.: pedibus flavo-testaceis, thoracis vittis 3 griseis alarumque fascia fusca, distinctioribus.

Fabr. Antl. 64. 1. Meig. Dipt. 2. 11. 1. ♂♀. Tab. 12. f. 14. ♀. Fall. Dipt. Sv. Xyloph. 13. 1. ♂. & var. æ. ♀. Macq. Dipt. Suit. a Buff. 229. 1. ♂♀. t. 5. f. 13. ♀. Zett. Ins. Lapp. 511. 1. ♂♀. *Empis subulata* Panz. Fn. 54. 23 (figura repræsentat *marem*; sed in descriptione dicitur: alæ corpore longiores; quod *feminæ* competit.)

Hab. in truncis arborum viventium Betulæ albæ & Populi tremulæ, 20 Maj. — 30 Jul., per Scandinaviam minus freq.; scilicet in Scania ad Räften & Abusa prope Lund; in Smolandia ad prædium Berga Calmariæ; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; & in Lapponia Svecica atque Norvegica. — Ad Hafniam, D. *Stæger.* — In Scandinaviæ provinciis meridionalioribus individua in truncis Populi, sed in septentrionalibus specimina semper in truncis Betulæ inveni.

2. *X. cinctus:* antennis longitudine capitis transversi; ater, pedibus testaceis, alis subhyalinis, fascia abbreviata fusca, abdomine in femina cingulo rufo. ♂♀. (Long. $5\frac{1}{2}$—$6\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: pedibus testaceis, articulo primo tarsorum posticorum albido, abdomine toto nigro, alarum fascia plerumque obsoleta;

Fem.: pedibus rufo-testaceis, articulo primo tarsorum posticorum concolore, abdomine in medio cingulo rufo, alarum fascia distincta.

Var. a. ♀. abdominis segmentis 2, 3 & 4 rufis.

Fabr. Antl. 65. 2. Meig. Dipt. 2. 12. 2. it. 6 Add. p. 317. Zett. Ins. Lapp. 511. ♂♀. *Xyl. ater* var. *β.* Fall. Dipt. Sv. Xyloph. 14. 1. *Rhagio Syrphoides* Panz. Fn. 77. 19. *Pachystomus Syrphoides* Latr. Gen. 4. 287. Encyc. t. 8, 623. Macq. Suit. a Buff. 226. 1. Meig. Dipt. 7. 57. 1.

Var. b. ♀. abdominis segmentis 2 & 3 tantum in medio rufis.

Hab. in truncis Pini sylvestris & Abietis, 1 Maj. — 4 Jul., per Scandinaviam meridionalem rarius, per septentrionalem frequentius; scilicet in Hallandia; Ostrogothia; Uplandia ad Holmiam D. *Wahlberg;* in Helsingia, Herjeådalia & Jemtlandia D. *Boheman;* in Lapponiis Svecicis, ipse. E pupa elongata, cylindrica, subnuda, incisuris ciliatis & apice breviter spinuloso, tota pallida, segmentis seu annulis 10, etiam exclusus.

3. *X. maculatus:* antennis longitudine capitis transversi, ater; proboscide, palporum articulo ultimo, thoracis maculis, abdominis incisuris in medio anguste, pedibusque, flavis, femoribus tibiisque posterioribus apice, tarsisque omnibus, nigris, alis flavo-hyalinis immaculatis. ♂♀. (Long. 6 lin.).

Fabr. Antl. 65. 3. Meig. Dipt. 2, 13. 4. ♂♀. t. 12. f. 15. Fall. Dipt. Sv. Xyloph. 14. 2. ♀. *Subula maculata* Macq. Buff. 230. 1.

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in frutice horti Östared in parœcia St. Olof Scaniæ orientalis mense Julio 1816 individuum unicum primus intra Sveciam detexit Cel. Prof. *Fallèn*; deinde plura specimina in Finlandia capta & e nympha declarata invenit mihique communicavit Cel. Profess. & Eques *Sahlberg*. — Antennarum articulus 1 & 2 breves, æqualiter longi. — Larva in ligno putrido Populi degit, teste D. *Sahlberg*.

5. SICUS Fabr.

Corpus magnum, crassum, oblongum, pubescens. *Color* ferrugineus, pictura indeterminate fusca. *Motu* tempestate calida agilis. *Habitatio* in sylvis frondosis. *Larvæ* in ligno degunt. Imagines odorem ex Meliloto etjam longe post mortem spirant. *Sexus differt; mas:* plerumque minor obscurior, oculis in fronte arcte cohærentibus; *femina:* oculis in fronte paullo distantibus.

1. *S. ferrugineus:* testaceus aut fusco-testaceus, alis flavicantibus. ♂♀. (Long. 6—7 lin.).

Var. a. ♂. corpore nigricante, segmentorum margine maculisque lateralibus plus minus latis, flavo-albidis, pedibus ferrugineis, femoribus obscuris.

Fall. Dipt. Sv. Xyloph. 12. 1. var. æ. ♂. *Sicus errans* Fabr. Antl. 76. 4. ♂. *Stratiomys errans* Panz. Fn. 58. 17. ♂. *Cœnomyia ferruginea* var. 2. Meig. Dipt. 2. p. 19.

Var. b. ♂. thorace, scutello abdominisque basi obscuris, pedibus ferrugineis, femoribus obscuris.

Fall. l. c. var. *β*. ♂. *Sicus bicolor* Fabr. Ant. 76. 3. ♂. *Stratiomys ungviculata* Panz. Fn. 12. 22. ♂.

Cœnomyia ferruginea var. 1. Meig. Dipt. 2. p. 19. ♂. Macq. Buff. 1. 225. 1.

Var. c. ♂. testaceus, pedibus concoloribus, thorace obscuro, abdomine utrinque maculis 2 lateralibus flavo-albis.

Meig. l. c. var. 3. ♂.

Var. d. ♀. toto corpore cum pedibus ferrugineo, unicolore, abdominis dorso parum infuscato.

Fall. l. c var γ, ♀. *Cœnomyia ferrugin.* var. 4. Meig. l. c. p. 19. *Stratiomys macroleon* Panz. Fn. 9. 20. ♀.

Hab. in fruticibus Coryli, Qvercus & Ulmi, circa 20—25 Junii, in Svecia meridionali, minus frequens; scilicet in Scania: var. a. ad Abusa & Björnstorp; var. b. quoque ad Björnstorp, & var. c. & d. in silva Alnarp prope Lund; in Westrogothia, D. *Dalman*; & in qverceto ad lacum Stensjön in parœc. Fåssberg haud procul ($\frac{3}{4}$ mill.) a Gothoburgo specimen femineum maximum, magnitudine *Tab. bovini*, a Cel. Prof. *Wahlberg* inventum.

---

6. BERIS Latr.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum, pubescens, subnitidum. *Color* niger, aut metallicus, abdomine interdum flavo; pictura nulla. *Motus* agilis. *Volatus* brevis. *Habitatio* in foliis plantarum, libenter locis graminosis, uliginosis. *Differentia sexus: mas:* oculis hirtis in fronte arcte contiguis, & metatarso postico incrassato; *femina:* oculis nudis in fronte disjunctis, metatarso postico simplici.

1. *B. dubia*: thorace æneo, capite, scutelli radiis 6, abdomineque glabro, nigris, halteribus pallidis, alis

fusco-hyalinis, pedibus fuscis, geniculis tarsisque, basi flavis. ♂. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 512. 1. ♂.

Hab. locis humidis in alpe Dovre Norveg. 6—14 Jul. a D. *Boheman* capta; & ad diversorium Ås prope Östersund Jemtlandiæ d. 11 Aug. 1840 a me rarissime lecta.

2. *B. sexdentata*: thorace æneo, capite, scutelli radiis 6, abdomineque, nigris, pedibus flavis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Mas: oculis contiguis, alis halteribusque fuscis, stigmate obscuriori, thorace obscure æneo, metatarso postico distincte incrassato, abdomine atro, holosericeo;

Fem.: oculis interstitio lævi, cærulescenti nigro, in fronte disjunctis, alis sordide hyalinis, stigmate obscuriori, halteribus pallidis; thorace viridi-æneo, scutelli radiis 6 vel 7; abdomine rufo ferrugineo, incisuris obscurioribus, metatarso postico subincrassato.

Zett. Ins. Lapp. 512. 2. ♂♀. *Stratiomys sexdentata* Fabr. Antl. 87. 36. *Beris chalybeata* Meig. Dipt. 2. 4. 4. ♂. Macq. Buff. 232. 5. ♀. Meig. Dipt. 6. Add. p. 318. 12 (*Ber. sexdentata* ♂♀).

Hab. in Svecia boreali rarius; ♂ in Medelpadia 18 Jun. 1840 a me captus, & uterque sexus in Dalecarlia 1836 a D. *Boheman* deprehensus. In Svecia meridionali hactenus non inventa, quantum novi. — ♀ a D. *Marklin* ex Uplandia mihi missa. — Ex Hamburgo utrumque sexum D. v. *Winthem* mecum communicavit.

3. *B. clavipes*: scutelli radiis 6, atra, abdomine pedibusque rufo-flavis, tarsis nigris, alis fuliginosis. ♂♀. (Long. 2¾ lin.).

Meig. Dipt. 2. 5. 5. ♂♀. *Musca* Linn. Syst. Nat. 12.

2. 981. 12. ♂. *Stratiomys* Panz. Fn. 9. 19. ♀. Fall. Dipt. Sv. Stratiom. 12. 10. ♂♀ (sub qua species sequens etiam latet).

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Sveciam meridionalem & mediam, 1 Jun. — 17 Jul., passim haud raro; scilicet in Scania multis locis freq.; in Smolandia ad Barnarp; in Ölandia & Gottlandia; in Ostrogothia ad Lärketorp &c.; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Bahusia ad Uddevalla. — Dania fr. — In Norvegia ad Næs & Thynæs prope Levanger plura etiam specimina legi —

4. *B. vallata:* scutelli radiis 6, atra, abdomine pedibusque rufo-flavis, tibiis apice latissime, tarsisque, nigris; alis ♂ fuliginosis, ♀ subhyalinis, basi flavis. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 2. 5. 6. ♂♀. Macq. Buff. 233. 7. *Stratiomys clavipes* Fabr. Antl. 86. 35.

Hab. in graminosis & foliis Salicis, per Scaniam, 17 Jun. — 19 Aug., passim copiose, ex. gr. circa Lund, Åbusa & Esperöd; in Ölandia, D. *Wahlberg*. — Punctum anale in ♂ nigrum. — Utrumque sexum & hujus & prioris speciei ex Hamburgo mihi benigne misit D. *von Winthem*.

5. *B. obscura:* thorace æneo, capite, scutelli radiis 4, abdomineque, atris; pedibus flavis, alis tarsisque infuscatis; metatarso postico ♂ ovato. ♂. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 2. 4. 3. ♀. Macq. Buff. 232. 4.

Hab. in Svecia media rarissime; specimen unicum masculum in Westrogothia 1831 captum mihi introspiciendum misit D. *Boheman*. In museo meo hæc species jam omnino desideratur.

---

7. STRATIOMYS Geoffr.

Corpus majoris l. mediæ magnitudinis, oblongo-ovatum, leviter pubescens, abdomine depresso, dilatato. *Color* niger, virescens, pictura abdominis interrupte flavo-fasciata. *Motu* tempestate calida sæpe valde agilis; celerrime volat ad idem punctum revertens; flores frequentans tardior, & in foliis fruticum interdum tota die sedet immobilis. *Habitatio: imagines* in pratis sylvaticis & uliginosis mel florum appetentes versantur, *larvæ* in aqva degunt. *Sexus* mox differt: oculis *maris* in fronte contiguis, *feminæ* interstitio verticali disjunctis.

Sect 1. Antennarum articulus primus secundo quadruplo & ultra longior.

1. S. *Chamæleon:* thorace fusco, scutello flavo: basi macula triangulari nigra; abdomine supra atro, fasciis interruptis flavis, subtus flavo, strigis nigris; pedibus testaceis, femoribus tibiarumque annulis nigris. ♂♀. (Long. fere 7 lin.).

Mas: oculis in fronte cohærentibus, capite nigro, orbita oculorum faciali & occipitali anguste flava;

Fem.: oculis late distantibus; capite flavo, vertice epistomatisque vitta media nigris.

Fabr. Antl. 77. 1. De Geer. Ins. 6. 151. 1. Fall. Dipt. Sv. Strat. 7. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 131. 1 ♂♀. Macq. Buff. 1. 243. 1. ♂♀. *Musca Chamæleon* Linn. Fn. 1780?

Habitant, larva in lacubus & aqvis fluentibus, imagines in floribus 6 Jul. — 13 Aug. in Svecia passim; scilicet in Scania ad Abusa, in Ostrogothia circa Wadstena & Söderköping, in Westrogothia ad Kinnnekulle & Olleberg, in Jemtlandia ad Ås prope Östersund & ad Faxelfven, capta. — Oculos ♂♀ nudos in vivis nigrobrunneos, unicolores (nec lineatos) vidi. — Hafniæ hanc speciem mens. Julio haud frequenter legit nobil. *Stæger.*

2. S. *furcata:* thorace fusco, scutello flavo: basi late nigro; abdomine atro, supra fasciis tribus interruptis anique macula triangulari, flavis, subtus strigis qvatuor abbreviatis stramineis; pedibus nigris, tibiarum basi tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. 6–7½ lin.).

Mas: paullo minor, oculis cohærentibus, conformibus, hirtis, nigro-æneis, linea transversa lata media anguloque inferiori atro-purpureis; capite toto nigro; scutelli basi paullo latius nigra; abdominis maculis lateralibus parum in segmentum proximum transeuntibus;

Fem.: oculis late distantibus, nudis, atro-purpureis, lineis 2 transversis mediis nigro-vel fusco-æneis; capite nitido nigro, ocellis frontis supra antennas 2 maculaque verticis gemina, flavis; scutelli basi macula triangulari nigra; abdominis maculis lateralibus 4 anterioribus distincte in proximum segmentum transeuntibus.

Fabr. Antl. 78. 3. Meig. Dipt. 3. 138. 5. ♂♀. Macq. Buff. I. 242. 5. *Str. chamæleon* Panz. Fn. 8. 9. 21. ♂. (Syn. hoc *Str. furcatæ* competere exinde quoque credere fas est, quod *Panzer* l. c. addit: 'Die Larve lebt in stehenden wassern). *Str. panthaleon* Fall. Dipt. Sv. Strat. 7. 2. ♂♀. — Specimen masculum, quod a D. *Stæger* sub nomine *Str. riparia* Meig. missum vix nisi *Str. furcata* Fabr. esse videtur. — An Linnæi *Musca chamæleon* huic vel præcedenti speciei referri debeat, pro certo dicere non audeo.

Hab. larva in aqua stagnante, imagines in floribus juxta paludes in Svecia meridionali & media vulgares; scilicet in Scania, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia & Uplandia, 5 Jun. — 25 Aug., ubique frequenter. Finlandia, *Sahlberg.*

3. S. *strigata:* thorace fusco, scutello concolore: summo apice spinisque pallidis; abdomine atro, subtus

strigis angustis albidis, prima latiori; pedibus nigris, tibiarum basi tarsisque testaceis; oculis in utroque sexu hirtis. ♂♀. (Long. 6½ lin.).

Mas: oculis cohærentibus, capite nigro;

Fem.: oculis distantibus, capite nigro, maculis duabus triangularibus inter oculos juxta antennas, & duabus in occipite, flavis; abdominis basi ad latera glauco-pilosa.

Fabr. Antl. 80. 9. ♂. Meig. Dipt. 3. 139. 7. ♂♀. Panz. Fn. 12. 20. Macq. Buff. 1. 242. 7. ♂♀. *Str. thoracica* Fabr. Antl. 79. 7. ♀.

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in silva Alnarp inter Lund & Malmö Scaniæ 2 Jul. 1828 semel lecta. — In Dania mens. Aug. a. D. *Stæger* raro inventa.

Obs. Str. Microleon & argentata: antennar. articulo primo secundo circiter duplo longiori, in Sect. 2:da quærendæ.

Sect. 2. Antennarum articulus primus & secundus subæqualiter longi.

4. *S. ornata:* nigra, thorace ferrugineo-hirto, abdomine supra atro, maculis lateralibus triangularibus fulvis, subtus pallido, immaculato; pedibus testaceis, in ♀ immaculatis, in ♂ femoribus basi late, tibiarum annulo medio tarsorumque apice, nigricantibus. ♂♀. (Long. vix 6 lin.).

Meig. Dipt. 3. 144. 13. ♂♀. *Odontomyia furcata* Latr. Gen. 4. 275.

Hab. in Svecia media, Ostrogothia, omnium rarissime; scilicet in floribus Chærophylli sylvestris in horto ad prædium Jonsberg in parœcia ejusdem nominis, 1839 a D. Præpos. *C. Stenhammar* primum & unice inventa. Juxta eundem hortum amnis fluit. — Circa Hafniam mense Julio a D. *Stæger* rarius capta. Secundum specimen Danicum diagnosin composui.

5. *S. Microleon:* nigra, griseo-hirta, scutelli spinis flavis; abdomine supra lineis tribus lateralibus rectis anoque albidis, subtus pallido; geniculis, tibiarum tarsorumque basi testaceis. ♂♀. (Long. 3½ lin.).

Fabr. Antl. 80. 8. Degeer. Ins. 6. 152. 2. t. 9. f. 1. ♂. Fall. Dipt. Strat. 8. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 140. 8. ♀. 6. Add. pag. 346. ♂. Germ. in Ahrens. Fn. Ins. Eur. fasc. 8. Tab. 23. ♀. M*usca* Linn. Fn. 1781. *Odontomyia* Macq. Buff. 1. 246. 5. ♀.

Hab. in floribus Pruni spinosæ, Salicis &c., tempore vernali (15—30 Maj.) in Svecia meridionali & media, rarius; scilic. in Scania ad Abusa & Björnstorp; in Smoland., D. *Pontèn;* & in Ostrogoth. ad Lärketorp, Häradshammar ac Jonsberg. E Finlandia, *Sahlberg*. Circa Holmiam, D. *Wahlberg*. In hac & sequente specie ut & in *S. nigrita* abdomen paullo latius quam in reliqvis videtur.

6. *S. argentata:* nigra, griseo-hirta, scutelli spinis flavis, abdomine supra in ♂ argenteo-, in ♀ aureo-tomentoso, summo margine maculisque 3 lateralibus triangularibus minutis in utroque sexu fulvis; geniculis, tibiarum tarsorumque basi testaceis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: longius pubescens, capite nigro, carina epistomatis media angusta ferruginea, interdum nigro-picea, abdomine tenuiter argenteo-tomentoso, pedibus testaceis, femoribus fere ad apicem, tibiarum annulo medio lato, tarsorumque apice, nigris;

Fem.: thorace depressim, abdominisque incisuris dorsalibus, subaureo-tomentosis, capite nigro, epistomatis macula media magna subtriangulari ferruginea, pedibus testaceis, femorum ante apicem annulo lato tarsorumque apice, nigris.

Fabr. Antl. 82. 17. Panz. Fn. 71. 20. ♂. Fall. Dipt.

Strat. 9. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 141. 9. ♂♀. *Odontomyia* Panz. Fn. 108. 10. ♀. Macq. Buff. 1. 246. 4. ♂♀.

Hab. in floribus in vicinitate aquæ mense Majo, in Uplandia rarius. Uterque sexus circa Holmiam captus a DD. *Dalman* & *Boheman* olim mihi communicatus. Ibidem etiam postremo tempore a D. *Wahlberg* lecta.

7. S. *nigrita:* nigra, scutelli spinis halteribusque pallidis, ventre rufo; tibiis tarsisque testaceis, illis annulo medio nigro. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: oculis supra tenuiter hirtis, ventre disco late rufo, alarum margine costali tenuiter nigro;

Fem.: oculis nudis, thorace tenuiter griseo-pubescente, ventre rufo, limbo nigro, alarum margine costali tenuiter brunneo; in copula.

Var. a. ♂♀. abdomine supra nigro immaculato.

Fall. Strat. 9. 4. ♂♀. *Strat. tigrina* Fabr. Antl 8. 2. 18. Panz. Fn. 58. 20. Meig. Dipt. 3. 152. 22. ♂♀. *Odontomyia* Macq. Buff. 1. 246. 6. ♀.

Var. b. ♀. abdomine supra nigro, maculis utrinque ad incisuras tribus parvis rufis. Meig. l. c. var.

Hab. in graminosis ad aqvas stagnantes in Svecia meridionali & media, 6 Jun. — 28 Jul., passim; scil.: var. a. in Scania ad Lund, Abusa & Esperöd, freq.; in Ostrog. ad Lärketorp rarius; circa Holmiam ad Haga, D. *Boheman*; var. b. in Scania cum var. a. haud infrequenter capta.

♂♀. Var. a: oculi conformes obscure ænei, linea media transversa integra purpurea, tenuiter viridi-marginata. Halteres albo-virescentes. Var. b. ♀: oculi conformes virescentes, linea media transversa violacea.

8. S. *Hydropota:* nigra, antennarum basi fusco-ferruginea; abdomine viridi, supra vitta æqualiter lata

angulata nigra; pedibus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Mas: capite nigro, apertura oris rufo-picea; thorace griseo-hirto;

Fem.: capite rufo-ferrugineo nitido, fronte linea media & puncto stemmatum nigris maculisque irregularibus fuscis, thoracis dorso aureo-tomentoso.

Meig. Dipt. 3. 147. 16. ♂♀. *Odontomyia* Macq. Buff, 1. 217. 8. ♂♀.

Var. b. ♀. capite nigricante, apertura oris picea, macula frontis media magna irregulari per lineam impressam nigram in duas divisa; scutello nigro, apice summo spinisque basi rufo-flavis; abdomine supra nigro, margine anguste, antice sinuatim, viridi.

Hab. in Gottlandia rarius; scilicet in monte insigni Thorsborg, atque in plantis in cumulo arenoso Olle Hau insulæ Fårön, 14—21 Jul. 1811 utrumque sexum inveni. E var. b. specimen tantum unicum ad diversorium Fax-elfven Jemtlandiæ 9 Aug. 1810 legi.

♂♀. Var. a. Similis *S. Hydroleon*, fere paullo major. Differt ab illa in primis antennarum articulo 1 & 2 basalibus rufis, nec nigris. Antennæ apice acuminatæ. Carina epistomatis magna. Scutellum nigrum, margine apicali summo spinisque flavis, his apice nigris. Halteres virides. Alarum margo costalis ferrugineo-flavus.

9. *S. ruficornis:* nigra, antennis totis ferrugineis; abdomine viridi, supra vitta æqualiter lata angulata nigra; pedibus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Mas & Femina ut in præcedente differunt.

Hab. in Svecia media passim; nempe in Gottlandia ex. gr. ad Ejsta freq; in Ölandia & Ostrogothia rarius; 2—10 Jul. obvia.

♂♀. Simillima priori, sed differt: antennis totis rufis, sum-

mo tantum apice cum acumine deflexo, nigro, scutelli margine latius flavo, relicta sæpe tantum macula basali triangulari nigra, ut & abdominis vitta nigra plerumque paullo angustiori. Epistomatis carina in mare quoque fere semper rufa.

10. *S. Hydroleon:* nigra, antennis totis concoloribus; abdomine viridi, supra vitta æqualiter lata dentata nigra; pedibus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. 3½ lin.).

Mas & *Fem.* ut in *S. Hydropota* differunt, sed epistomate feminæ nigro-maculato.

Fabr. Antl. 82. 19. Panz. Fn. 7. 21. (fig. bona) ♀. De Geer Ins. 6. 151. 3. t. 19 f. 4. Fall. Strat. 8. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 148. 17. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1782. ♂. *Odontomyia* Macq. Buff. 1. 247. 9. ♂♀.

Hab. in plantis paludosis in Svecia meridionali & media usque ad Uplandiam, 29. Jun. — 1 Sept., vulgaris; scilicet in Scania ubique; in Smolandia, Ostrogothia & Gottlandia frequenter lecta; ad Holmiam, D. *Wahlberg.* — E Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. A duabus proxime præcedentibus, quibus similis est, distingvitur magnitudine sæpe paullo minori & antennis semper totis nigris. Abdominis quoque vitta nigra in hac specie plerumque paullo magis dilatata & dentata fere runcinata videtur. Scutellum nigrum, summo margine spinisque flavis, his apice nigris. Epistoma maris totum nigrum, carina rarissime picea. Oculi in utroque sexu viridi-ænei immaculati.

11. *S. viridula:* nigra, antennis totis concoloribus, abdomine viridi, supra vitta dentata postice dilatata nigra. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Mas & *Fem.* similes præter connectionem oculorum in sexu masculo.

Fabr. Antl. 84. 25. Panz. Fn. 58. 18. Fall. Strat. 10. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 149. 18. ♂♀. *Odontomyia* Latr. Gen. 4. 275. Macq. Buff. 1. 247. 10. ♂♀.

Hab. in floribus & plantis paludosis per Sveciam meridionalem & mediam usque ad Jemtlandiam, mens. Julio & Aug., ubique vulgaris; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia & Uplandia frequenter visa: in Gottlandia ad Martebo-Myr; & in Jemtlandia ad Berge in Alsen, nec non in Mullfjellet parcius lecta; in Norvegia ad Thynæs. — In copula —

♂♀. Magnitudine paullo variat, prioribus semper minor. Oculi ænei, punctis pluribus (12 usque ad 40 & ultra) inordinatis lineaque media transversa postice abrupta, purpureis, cæruleo-marginatis. Caput cum antennis subobtusis, nec deflexo-acuminatis, in utroque sexu nigrum, in ♀ aureo-tomentosum. Thorax in ♀ quoque aureo-tomentosum. Scutellum in utroque sexu nigrum immaculatum, spinis parvis pallidis. Pedes pallidi, femoribus basi interdum infuscatis.

Var. b. ♀. capite thoraceque argenteo-tomentosis, abdomine albido, supra vitta dentata antice interrupta (h. e. macula in segm. 1 & 2 discreta), postice subdilatata nigra. — Accedit *S. subvittatæ* Meig. — In paludosis ad Wadstena Ostrogothiæ 7—23 Jul. rarius a me lecta. — Specimina *Str. viridulæ* var. a feminea vitta abdominis nigra valde dilatata dorsum fere totum, saltem postice, occupante vidi —

8. OXYCERA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, tenuissime pubescens, abdomine depresso, rotundato. *Color* niger, pictura thoracis vittatim, abdominisque fasciatim vel ad latera maculatim, flava vel viridi. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in foliis fruticum, ubi tranqvillæ sedent imagines.

Differentia sexus in oculorum conjunctione apud *marem*, eorumque disjunctione apud feminam, mox invenienda.

1. *O. Hypoleon:* nigra, antennis pedibusque testaceis, thoracis vittis, scutello, abdominis maculis tribus lateralibus anoque, flavis. ♀. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 121. 1. ♀. Macq. Buff. 1. 250. 2. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 980. 7. *Stratiomys* Panz. Fn. 1. 14. ♂. Fabr. Antl. 85. 29. Fall. Stratiom. 10. 7. ♀.

Hab. in Svecia meridionali rarissime; specimen descriptum in frutice juxta molinam ad villam Esperöd Scaniæ mense Augusto 1816 a Cel. Profess. *Fallèn* detectum; nec alibi in Scandinavia quantum novi inventa.

♀. Caput flavum, linea frontali media maculaque verticis transversa nigra. Antennæ testaceæ, articulo primo nigro. Oculi late distantes, hirti, in viva linea media transversa purpurea. Thorax niger, lineis 2 dorsalibus angustis subintegris & maculis subquatuor lateralibus scutelloque, flavis, hujus spinis apice nigris. Abdomen longitudine latius, nigrum, supra, maculis unica baseos parva, & utrinque 3 lateralibus elongatis obliquis anoque, flavis. Halteres flavi. Alæ pallide nervosæ. Pedes flavo-testacei, femorum intima basi tarsorumque apice fuscis.

Obs. Ox. pulchella Meig.: nigra, thoracis vitta laterali interrupta, scutello, abdominis maculis lateralibus utrinque 2 oblongis obliquis, ano pedibusque flavis, horum femoribus basi tarsisque apice nigris, a D. *Gyllenhal* mecum communicata, sed vix Sveciæ incola. (Long. 2½ lin.).

2. *O. trilineata:* viridis, antennis pedibusque flavo-testaceis, thoracis vittis 3 dorsalibus, pectore, metathorace, & abdominis dorso incisuris maculisque anticis subcircularibus, nigris. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: capite nigro, macula epistomatis proboscideque pallidis;

Fem.: capite viridi, linea frontis media verticisque transversa, nigris; in copula.

Var. a. ♂♀. colore corporis viridi, pictura nigra, maculis abdominis plerumque cohærentibus circulos 2 integros formantibus.

Meig. Dipt. 3. 126. 3. Macq. Buff. 1. 250. 3. ♂♀. *Stratiomys* Fabr. Antl. 85. 28. Panz. Fn. 1. 13. ♂. Fall. Strat. 11. 8. ♂♀. *Musca pantherina* Linn. Fn. 1783. Descript.

Var. b. ♂. colore corporis flavo, pictura nigra, maculis abdominis interdum discretis lunulas tres formantibus.

Meig. l. c. var.

Hab. in foliis arborum & fruticum nec non plantarum humiliorum, in Svecia meridionali & media, 15 Jun. — 17 Jul., passim frequens; in Scania multis locis; in Smolandia Calmariæ; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena copiose; in Ölandia ad Ottenby, Gärdslösa &c.; & in Gottlandia ad Gothem, Stenkyrka &c. vulgaris — In Dania rarius, D. *Stæger.* Var. b. ad Abusa & Esperöd Scan. rarius legi.

♂♀. Oculi in utroque sexu nudi, aureo-virides, linea media transversa ferruginea. Vittæ thoracis nigræ postice (ad scutellum) cohærentes. Spinæ scutelli pallidæ, apice nigræ. Alæ hyalinæ, ad costam pallide nervosæ. Cetera ut in diagnosi.

3. *O. pardalina:* nigra, thoracis linea laterali, abdominis postico maculis utrinque 2, ano, femorum basi geniculisque, flavis; capitis maculis, thoracis vittis scutelloque in ♀, flavo-albis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Mas: oculis hirtis, nigra, thoracis linea laterali angusta ab humeris ad radicem alarum, scutelli spinis, abdominis

postico utrinque maculis 2 oblongis obliqvis, ano macula semiorbiculari halteribusque, albido-flavis; pedibus testaceis, femoribus in medio late, tibiarum annulo tarsisque apice, nigro-brunneis.

Fem.: oculis nudis, nigra, oculorum orbita faciali verticisque punctis 2 flavo-albidis argenteo-micantibus; thoracis linea laterali ab humeris ad radicem alarum, vittis dorsalibus 2 angustis discretis, macula callosa inter scutellum & alas, scutello toto ejusque spinis, abdominis macula utrinque ovata & pone illam (in segmento 4:to) fascia subintegra, ano macula suborbiculata halteribusque, albido-flavis; pedibus flavis, femoribus tibiispue posterioribus annulo medio obsoleto tarsisque omnibus apice, brunneis.

Meig. Dipl. 3. 128. 6. ♂ (scutello in nostro specimine nigro) & ♀. An quoque *Ox. formosa* Macq. Buff. 1. 250. 4? & *Strat. muscaria* Fabr. Antl. 86. 31.?

Hab. in Svecia rarissime; e Smolandia uterque sexus a D. *Boheman* mihi communicatus.

Obs. Ox. leonina Meig. "nigra nitida, thoracis linea laterali, scutello, basi abdominis, ano pedibusque, flavis, femoribus nigris." *Stratiomys* Panz. Fn. 58. 21. ♀. long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin., in Dania a D. *Stæger* capta; in Svecia a me non visa.

4. *O. maculata:* nigra, epistomate argenteo-micante, maculis capitis 6, abdominis totidem, thoracisque 4, striisque dorsalibus 2 abbreviatis, scutelli fascia transversa lata spinisque, flavis; pedibus flavis, femorum basi late, annuloque tibiarum nigricantibus. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 576. ♀.

Hab. in Lapponia Svecica meridionali rarissime, ad Lycksele Lapponiæ Umensis unicum specimen inveni.

♀. Valde affinis & similis *O. pardalinæ*, sed paullo minor & maculis capitis præsertim dignota. Caput atrum, episto-

matis linea utrinqne argenteo-micante. In fronte maculæ 4 discretæ, fere in quadrangulum dispositæ, quarum 2 supra antennas parvæ subtriangulares, & 2 juxta stemmata, minutæ punctiformes, omnes albidæ. In occipite utrinque linea oblonga abbreviata ejusdem coloris. Scutellum nigrum, fascia transversa lata flava. Abdomen basi macula duplicata, & postice maculis utrinque 2 parvis curvatis, anoque, flavis. Cetera ut in *O. pardalina.*

5. *O. formosa:* abdomine nigro, limbo maculatim flavo; pedibus pallidis, thorace in ♂ nigro, vitta laterali interrupta flava, in ♀ flavo, vittis 3 dorsalibus nigris. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 6, Add. p. 316. *Ox. muscaria* Meig. Dipt. 3. 126. 4. ♂♀.

Hab. in Svecia meridionali rarissime; circa Hafniam etiam rarius a D. *Stæger* inventa; ♀ quoque a D. *Wiedemann* mihi missa in Syringa vulgari Kiliæ capta.

♀. Tota flava nitida. Nigra vero sunt: antennæ, apertura oris, linea frontalis, macula verticis, collum, lineæ thoracis 3 dorsales, quarum media integra cum lateralibus postice connexa, punctum utrinque supra alas, pectus (nec pleuræ), metathorax, macula dorsalis abdominis magna dentata segmentorumque ventralium medium. — *Marem* non vidi.

6. *O. pygmæa:* oculis nudis, nigra, thoracis linea laterali, scutelli spinis, abdominis limbo postico inæqualiter, ano, halteribus geniculisque, flavis; capite scutelloque in ♀ fulvis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Mas: capite nigro, epistomatis linea utrinque argenteo-micante, linea thoracis laterali flava angustissima, femoribus basi piceis;

Fem.: capite flavo, epistomate argenteo-micante, frontis linea media, orbita oculorum frontali antennisque totis,

nigris; linea thoracis laterali paullo latiori & puncto pone alas, pallidis; scutelli apice, femorum omnium tarsorumque posticorum basi, flavis.

Meig. Dipt. 3. 129. 7. ♀. *Stratiomys* Fall. Strat. 11. 9. ♂♀, certissime, sed vix Fabr. *Strat. muscaria* eadem.

Hab. in Svecia meridionali & media, 24 Jun. — 5 Jul., pass.; scilicet in Scania ad Lund & Fogelsång, & in Ostrogothia ad Lärketorp & Roxtorp utrumque sexum inveni.

---

9. NEMOTELUS Geoffr.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum, tenuiter pubescens, nitidum; oculis in utroque sexu nudis. *Color* niger, pictura albo-fasciata vel punctata. *Motu* haud agilis. *Habitatio* in pratis paludosis, libenter in littoralibus inter Cyperaceas & Juncaceas. Imagines in floribus sæpe versantur, larvæ in uliginosis forte degunt. *Sexus differt; mas:* oculis in fronte arcte cohærentibus, *femina:* oculis late distantibus.

1. *N. uliginosus:* epistomate longe porrecto, niger, ventre concolore, frontis maculis thoracisque linea laterali subinterrupta, niveis; pedibus flavis, femoribus omnibus tibiarumque posticarum medio nigris; abdomine supra in ♂ albo, basi apiceque nigro, in ♀ nigro, margine seriebusque tribus punctorum triangularium, lateralium cum margine cohærentium, flavo-albidis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Var. a. ♂. abdomen supra album, segmento 1 toto; 2 macula basali transversa postice in medio rotundata; 4 & 5 singulo fascia basali non ad summum marginem lateralem extensa, nigris; ventre sæpe macula subtriangu-

lari in segmento secundo, & interdum incisuris tenuissime, albis; macula supra antennas magna cordata nivea;

♀. Abdomen nigrum, margine & maculis trigonis in tres series dispositis albis, quarumque dorsales majores, laterales minores cum margine confluentes; ventre rarissime albo-maculato; lineola supra antennas gemina obliqua nivea.

Fabr. Antl. 87. 1. ♂. Panz. Fn. 46. 21. ♂. Fall. Strat. 5. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 111. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 265. 1. ♀ *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 983. 22. ♂.

Var. b. ♂. simillimus var. a., differt tantum abdominis segmento 3:tio maculis 3 nigris, una in medio parva rotundata, & 2 lateralibus majoribus difformibus obliquis. Ob ventrem nigrum hic vix est *Nem. ventralis* Meig. Dipt. 6. Add. 315. 7.

Var. c. ♂. similis iterum var. a; sed differt abdominis segmento tertio etiam albo, relictis tantum macula quadrata in medio & punctis minutis 2, uno scilicet ad singulum latus, nigris.

Hab. ad ripas lacuum interiorum passim, sed vulgatius ad littora maris, per Scandinaviam a d. 15 Jun. usque ad 21 Aug. observatus; nempe var. a. per totam Scaniam littoralem, Ölandiam & Gottlandiam frequenter, etiam in Ostrogothia ad lacum Wettern prope Omberg; in Bahusia ad urbem Marstrand, D. *Wahlberg*; Varietatem b. ♂ cum femina, feminæ varietatis a. simillima, vix nisi in littore maris ad Thynæs & Levanger Norvegiæ ibique vero haud infrequenter vidi; sed var. c. semel tantum in Scania legi.

♂♀. Linea thoracis lateralis subinterrupta 2 maculas evidentiores utrinque format, unam in humero & alteram ante

radicem alarum. Abdominis maculas laterales cum albedine marginis cohærentes in ♀, & epistoma distincte porrectum, nec non ventrem nigrum in utroque sexu, attente observes, ut speciem a sequentibus quibusdam alias similibus distinguas. — Thorax griseo-pubescens. Halteres nivei. Pedes flavi, femoribus omnibus, fere ad apicem, tibiisque posticis in medio nigris; in tibiis anterioribus annulus medius fuscus præsertim in var b. conspicuus, quoque observatur. Alæ hyalinæ, nervis costalibus stigmateque elongato flavescentibus.

2. *N. bifasciatus:* epistomate longe porrecto, niger, ventre pallido, lateribus nigro; frontis macula thoracisque linea laterali niveis; pedibus flavis, femoribus omnibus tibiarumqe posticarum medio nigris; abdomine supra in mare albo, basi fasciisque apicalibus 2 nigris, harum antica punctum pallidum utrinque includente. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. Add. p. 315., & 7. p. 104. 9. ♂.

Hab. in Scaniæ littoribus marinis rarissime; etiam ex Hafnia a D. *Stæger* cum speciminibus *N. uliginosi* communicatus.

♂. Priori in omnibus simillimus, nec differt nisi ventre flavo lateribus late nigro, ut & abdominis fascia antica duarum apicalium nigra, puncta duo vel maculas 2 parvas ad utrumque latus includente. An tantum præcedentis var., cujus femina quærenda inter specimina ventre flavo-maculato gaudentia?

3. *N. notatus:* epistomate breviusculo, niger, ventre pallido, lateribus nigro-maculato, frontis maculis thoracique linea laterali niveis; pedibus flavis, femoribus omnibus tibiarumque posticarum medio nigris; abdomine supra: in mare albo, macula basali, puncto in medio fasciisque 2 apicalibus, nigris: in femina nigro, margine, maculis

dorsalibus tribus incisurisque tenuiter, albis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Var. a. ♂. Abdomen album: supra macula basali late cordata, puncto rotundo libero in medio segmenti 3:tii, fasciisque duabus latioribus postice subsinuatis in segmentis 4 & 5, nigris; subtus maculis utrinque 4 discretis versus anum majoribus, nigris; macula supra antennas mediocriter magna cordata nivea;

♀. Abdomen nigrum: supra margine laterali summo, maculis tribus trigonis in seriem mediam dispositis, incisurisque tenuiter, albis; subtus maculis 2 vel 3 majoribus vel minoribus, incisurisque tenuissime interdum, albis; macula supra antennas utrinque juxta oculos triangularis nivea.

Nemotelus notatus Stæger in litteris.

Var. b. ♂. Simillimus var. a., differt tantum abdominis fasciis apicalibus nigris paullo angustioribus & antica harum punctum flavum utrinque includente.

Var. c. ♂. Similis iterum var. a; sed differt abdominis puncto nigro in segmento 3:tio non libero, sed cum dentibus 2 fasciæ apicalium anticæ connexo maculamque exinde triangularem albidam includente.

Nemot. ventralis Meig. Dipt. 6. Add. 345. 7. forte varietas.

Hab. mense Julio, var. a. in littoribus marinis Scaniæ, Daniæ & Gottlandiæ freq. in copula sæpe captus; var. b. in Scania & in Amager Daniæ rarius lectus, & var. c. tantum ad Skanör Scaniæ 19 Aug. a me inventus.

♂♀. A duabus prioribus speciebus mox differt magnitudine paullo majori, maris macula frontali alba minori, et macula abdominis basali nigra majori, feminæ maculis frontalibus albis trigonis, nec lineatis, & in primis epistomate

in utroque sexu breviori. Caput & thorax præsertim feminæ in illæsis individuis pube argenteo-nitida tecta. Incisuræ abdominis dorsales in ♀ interdum ad latera latius albidæ, unde abdomen certo situ inspectum quasi tribus seriebus macularum ornatur, quarum mediæ majores triangulares semper distinctiores. Pedes & alæ ut in *N. uliginoso*.

4. *N. pantherinus:* epistomate longiusculo. niger, fronte in ♀ thoraceque in utroque sexu concoloribus immaculatis; pedibus albis, femoribus omnibus fere ad apicem tibiarumque posticarum medio late, nigris; abdomine in ♂ albo, macula basali & apicali integra nigris; in ♀ nigro, margine punctisque dorsalibus trigonis albis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Mas: macula supra antennas magna alba; thorace griseo-hirto; abdomine toto albo, maculis, basali utrinque, & apicali dorsali in segmentis 4 & 5 transversa integra, nigris.

Fem.: capite thoraceque nigris immaculatis, pube tenui depressa argenteo-nitida tectis; abdomine toto nigro, margine summo & punctis vel maculis 2 vel 3 dorsalibus, trigonis, albis.

Meig. Dipt. 3. 115. 2. ♂♀. t. 25. f. 20 ♂. Macq. Buff. 1. 265. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1783. diagn. ♀. *Nemot. marginatus* Fabr. Antl. 88. 3. ♀. Panz. Fn. 46. t. 22. ♀. *N. marginellus* Fall. Strat. 5. 2. ♀.

Hab. in florib. pratensibus plerumque locis humidis, 25 Jun. — 22 Jul., in Svecia meridionali & media passim; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Esperöd &c. frequens; in Ölandia passim; in Gottlandia, D. *Wahlberg*; sed versus septentrionem rarescit & vix supra Omberg Ostrogothiæ visus.

♂♀. Oculi ænei immaculati. Alæ albo-hyalinæ. Halteres albi. *Mas:* macula supra antennas alba magna. Abdominis

macula nigra basalis lata sed brevis, & apicalis transversa integra albo-limbata & punctum albidum sæpe includens atque in ventre per umbram fuscam interdum translucens. *Femina* ut in diagnosi. Similis *N. uliginoso*, sed fere paullo minor & macula abdominis postica nigra in mare integra, nec incisuris albis divisa, ut & fronte in femina thoraceque in utroque sexu nigris immaculatis, certe distincta. Neque cohabitant.

5. *N. nigrinus:* epistomate longiusculo, glaber niger, alis albo-hyalinis, halteribus, genubus, tibiis anterioribus tarsorumque omnium basi, albidis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Fall. Dipt. Strat. 6. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 117. 5. Macq. Buff. 1. 266. 5. Zett. Ins. Lapp. 575. 1. ♂♀. *N. nigritus* Panz. Fn. 107. t. 17. ♂.

Hab. in floribus & plantis paludosis mens. Julio & Aug., per Scandinaviam vulgaris, in copula sæpe captus; scilicet in Scania, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia frequenter; in provinciis Sueciæ borealibus a Bahusia & Uplandia usque ad radicem Åreskutan Jemtlandiæ, ubi a D. *Dahlbom* captus, passim; sed in Norvegiæ littoribus ex. gr. in foliis Betulæ albæ & Alni ad Levanger, Thynæs & in Nordlandia ad Evenäs & Björkvik iterum sat frequenter inveni — E Dania & Finlandia specimina quoque obtinui.

---

10. PACHYGASTER Meig.

Corpus parvum, ovatum, glabriusculum, punctulatum. *Color* niger absque pictura. *Motu* non agilis. *Habitatio* imaginum in floribus & foliis fruticum, larvarum in ligno putrido arborum præsertim Ulmi campestris. Dom. *Carcel* Parisiensis larvarum formam & œconomiam detexit, & Cel. *Macquart* eandem in Suites a Buffon adcurate descripsit.

Differentia sexus; mas: oculis in fronte connexis; *femina:* oculis interstitio mediocri disjunctis.

1. *P. ater:* subnitidus niger, halterum clava apice, geniculis, tibiis tarsisque, albis; alis hyalinis, macula stigmaticali flava, ad basin dimidiatim nigricantibus. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Mas: antennis nigris, seta albida; *Fem.:* antennis fulvis, seta pallida.

Meig. Dipt. 3. 102. 1. t. 24. f. 16—23. ♂♀. Macq. Buff. 1. 264. 1. ♂♀. *Vappo* Fabr. Antl. 254. 1. ♂♀. Panz. Fn. 54. 5. ♀ certe. *Sargus pachygaster* Fall. Strat. 13. 1. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali rarius, mens. Jul. & Aug. — In pratis prope litus maris ad Esperöd Scaniæ certis annis frequenter lectus; in Suecia superiori a me non visus, sed ibi etiam a D. *Dalman* captus, teste D. *Fallèn;* in Ostrogothia ad Gusum quoque a D. *Wahlberg* observatus.

2. *P. tarsalis:* subnitidus niger, halteribus concoloribus; antennis fuscis, seta albida; tibiis anticis totis, posterioribus apice tarsisque omnibus, flavis; alis hyalinis, macula stigmaticali pallida, ad basin dimidiatim fumatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; in parœcia Rohne d. 9 Jul. unicam feminam, & ad diversorium Westerby prope Thorsborg d. 13 Jul., 1841, unicum marem detegere mihi contigit.

♂♀. Similis priori, a quo tamen differt: magnitudine paullo majori, antennis præsertim articulo primo in utroque sexu fuscis, halteribus totis nigris, pediculo tantum basi dilutiori, ut & femoribus totis tibiisque posterioribus basi late, nigris.

3. *P. pallipennis:* subnitidus niger, antennis fulvis, seta pallida, halterum pedicello basi, pedibusque totis, albidis; alis hyalinis, macula stigmaticali pallida. ♀. (Long. 1½ lin.).

Macq. Buff. 1. 265. 2. ♂♀ (similes).

Hab. in Gottlandia rarissime; in parœcia Ahlskog d. 12 Jul. 1841 specimen descriptum inveni.

♀. Similis antecedentibus, sed differt a *P. atro* magnitudine paullo majori, a *P. tarsali* antennis fulvis, & ab utroque alis totis hyalinis pedibusque totis albis. Femora postica ante apicem annulo fusco.

4. *P. minutissimus:* glaber nitidus niger, halteribus niveis, tibiis tarsisque albis, alis hyalinis, immaculatis, nervo subcostali gemino. ♀. (Long. vix ¾ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 575. 1. Not. ♀.

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Dalecarlia a D. *Boheman* 1836 inventus.

♀. *P. atro* multo minor, glabrior, nitidior, lævis. Alæ albo-hyalinæ, nervis obsoletis. Nervi costales breves parum ultra medium costæ extenduntur. Ocelli verticis 3 perspicui. Antennæ rotundæ fuscæ, sed ob parvitatem numerum annulorum articuli 3:tii indagare non possum.

---

11. CHRYSOMYIA Macq.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum, parum pubescens, abdomine ovali. *Color* metallicus, aureo-viridis. *Pictura* nulla. *Motu* tarda, sole urente vivacior. *Habitatio* in floribus & foliis plantarum. *Sexus* differt; *mas:* oculis in fronte cohærentibus; *femina:* oculis distantibus.

*) oculis in utroque sexu hirtis.

1. *C. formosa:* aureo-viridis, capite, antennis pedibusque nigris, genubus halteribusque flavis; alis pallide brunnescentibus; abdomine discolore. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Mas: oculis (in viva) æneo-viridibus, eorum regione supra antennas lineaque in medio transversa angusta, posterius evanescente, cœrulescenti-viridibus; abdomine aureo, ventre nigro;

Fem.: oculis (in viva) æneo-viridibus, angulo superiori obscure æneo, linea angusta transversa purpurea terminato; abdomine cæruleo-violaceo, ventre concolore; in copula.

Macq. Buff. 1. 263. 1. ♂♀. *Musca* Scop. Ent. Carn. n. 910. Schrank Ins. Austr. 899. ♀. *Sargus* Meig. Dipt. 3. 110. 8. ♂♀. *Sargus auratus* Fabr. Antl. 257. 4. ♂. *Sargus Xanthopterus* Fabr. Antl. 255. 1. ♀. Fall. Strat. 14. 3. ♂♀.

Hab. in floribus variis &c., in graminosis, in Suecia meridionali & media, 19 Jun. — 4 Aug., passim frequens; in Scania nempe ad Lund, Fogelsång, Esperöd &c., vulgaris; in Ostrogothia ad Söderköping, Gusum, Lärketorp & Wadstena, pass.; in Ölandia ad Ottenby freq.; in Bahusia circa urbem Marstrand, copiose, D. *Wahlberg*; & in Gottlandia ad Lummelund, Sanda atque in insula Furillen quoque vulgaris. — E Dania D. *Stæger*.

Variat interdum duplo minor & thorace nonnumquam cærulescenti. — Secundum observationem Celeberrimi *Wahlbergi* hæc species flores Conii præsertim amat.

**) oculis (in vivis); *maris:* dimidietate superiori rufa vel rubro-cuprea, profundius reticulata; inferiori ænea, subtiliter reticulata; *feminæ:* totis æneis subtiliter & conformiter reticulatis; in utroque sexu totis nudis &

linea media obsoletissima. Abdomen suborbiculatum. Alæ hyalinæ, costa pallescente.

2. *C. polita:* aureo-viridis, antennis totis pedibusque nigris, halteribus, geniculis tarsisque, flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Macq. Buff. 1. 263. 3. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1854. ♀. *Sargus* Fabr. Antl. 257. 7. ♂. Fallén Strat. 14. 4. ♂♀. var. — Zett. Ins. Lapp. 577. 4. ♂♀. Meig. 3. 111. 9. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Scandinaviam usque ad Lapponiam, 23 Maj — 5 Sept., sat vulgaris; scilicet in Scania, Ostrogoth., Ölandia, Gottlandia, Bahusia, Uplandia, atque in Norvegia ad Thynæs & Levanger, a me frequenter lecta. (Ad Hamburgum, atque etiam in insula Helgoland a D. *Dahlbom* capta).

Variat præsertim femina corpore vel toto vel ad partem cærulescente; variat quoque uterque sexus tibiis anticis totis pallidis. — Feminam ova circiter 100, elongata, catenulata, alba parientem vidi ad Lund Scaniæ 14—29 Jul.

3. *C. pallipes:* aureo-viridis, antennis fuscis, basi dilutioribus; thoracis linea laterali albida; halteribus pedibusque flavis, femoribus posterioribus in medio late nigris. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. antennis basi flavescentibus, articulo ultimo fusco vel brunneo.

Sargus Meig. Dipt. 6. Add. 341. 11. ♂. *Sargus politus* Fall. Strat. 14. 4. var. forte etiam *Chrysom. flavicornis* Macq. Buff. 1. 264. 4. ♂.

Var. b. ♂♀. antennis totis flavis vel flavescentibus.

Sargus politus Fall. l. c. var. *Sargus flavicornis* Meig. Dipt. 3. 112. 10. ♀. *Chrysom. flavicornis* Macq. l. c. ♀.

Hab. in Scandinavia passim; var. a. in Scania ad Esperöd & Tranås; in Ostrogoth. ad Wadstena & Gusum;

in Ölandia ad Ottenby; in Gottlandia ad Rohne &c.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Thynæs, Jun. — Aug. capta. Etiam e Dania a D. *Stæger* communicata; var. b. in Svecia rarissime.

♂♀. A priori, cui similis, differt: magnitudine paullo minori, antennis pedibusque pallidioribus, ut & linea thoracis inter humeros & radicem alarum alba. — Variat interdum cærulescenti-micans. — Var b. vix specie distincta.

4. *C. cyaneiventris:* aureo-viridis, antennis, pedibus halteribusque flavis, femoribus posterioribus in medio late nigris; fronte in ♀ abdomineque in utroque sexu, violaceis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia, 2—28 Jul., passim; nempe ad Westös in Hall, in horto Nähr, in parœcia Fardhem & in insula Furillen utrumque sexum detegi, 1841.

♂♀. Similis *pallipedi*, sed minor & certe distincta. Antennæ flavo-testaceæ. Frons in ♀ lata, unicanaliculata, violacea; sed epistoma in utroque sexu obscure viride. Thorax aureo-viridis, raro cæruleo-micans. Abdomen violaceum vel atro-purpureum. Halteres flavi. Pedes pallide flavi, femoribus intermediis annulo medio, posticisque in medio late, nigris. Tibiæ posticæ sæpe quoque fusco-annulatæ.

---

12. SARGUS Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, sublineare, abdomine basi sensim angustato; tenuiter pubescens, nitidum, subdepressum. Oculi in utroque sexu nudi, æneï. *Color* metallicus, virescens, aureo-splendidus. *Pictura* nulla. *Motu* tardus; tempore vero calido & sole sereno a folio, ubi sedem habuit, breviter avolat, cito ad idem revertens. — Nutrimentum humidum quæsiturus sæpe supra folia sat agiliter repens videtur. *Habitatio* imaginum in graminosis

♂ libenter in foliis fruticum; æstivalis. — *Larvas* in stercore bovino degere contendunt Auctores. *Discrimen sexus: mas:* oculis in fronte approximatis, & abdomine angustato, ano truncato; a *femina:* oculis magis disjunctis, abdomine paullo latiori, ano obtuse rotundato, sine difficultate dignoscitur. Oculi vero in utroque sexu (vivo) aut transversim unilineati, aut varie picti. Conferantur hoc respectu species *Sargi* in Zett. Ins. Lapp.

1. *S. cuprarius:* oculis lineatis aureo-viridis, abdomine cupreo, posterius violaceo, halteribus pallidis, alis hyalinis, nubecula fusca; antennis pedibusque nigris, geniculis omnibus metatarsique postici basi, testaceis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Fabr. Antl. 256. 3. Fall. Strat. 15. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 106. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 260. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 576. 1. ♂♀. *Musca cupraria* Linn. Fn. 1853.

Hab. per totam Scandinaviam in foliis fruticum, locis cultis libentius quam desertis, tota æstate: in Suecia ubique frequens; in Lapponia tantum meridionali, at in Norvegia & inferalpinis Nordlandiæ haud raro. Etiam e Dania *Stæger*, e Finlandia *Sahlberg*, & Hamburgo *Dahlbom*.

2. *S. nubeculosus:* oculis lineatis aureo-viridis, abdomine cupreo, posterius violaceo, halteribus pallidis, alis hyalinis, nubecula fusca; antennis pedibusque nigris, geniculis summis albidis, metatarsis posticis totis nigris. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Hab. in foliis Salicis aliarumque fruticum, per Sueciam meridionalem & australem, 2—29 Jul., pass.; in Scania ad Lund præsertim in Paradislyckan & Räften, ut & in Gottlandia in pratis ad Gothem & Garde, haud infrequenter legi.

♂♀. Simillimus priori etiam quoad picturam oculorum in vivis, sed differt magnitudine semper minori & pedibus cum metatarsis totis nigris, tantum geniculis summis pallidis.

3. S. *infuscatus:* oculis lineatis aureo-viridis, abdomine cupreo, posterius violaceo, halteribus pallidis, alis fumato-hyalinis, nubecula nulla; antennis pedibusque nigris, immaculatis. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 107. 3. ♂♀ (exclus. Syn. Fall.). Macq. Buff. 1. 261. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 577. 2. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum per Scandinaviam meridionalem & borealem, Jun. — Aug., passim copiose; scilicet in Scania multis locis ex. gr. in urbe Lund, ad Silfåkra, Esperöd & Lindholmen &c., vulgaris; in Ostrogothia rarius; in Westrogothia ad Gothoburgum, D *Wahlberg*; in Ölandia & ad Holmiam, passim; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellet & Ristansfors, copiose; in Lapponiis Sveciæ meridionalibus etiam vulgaris; in Norvegiæ littoralibus ut ad Levanger & Thynæs, passim; adscendit quoque in alpes, & in alpe Kälahög jugi alpini usque ad regionem nivalem adscendentia plura individua inveni. Neque in reliquis provinciis Sveciæ mediis vel interioribus, neque in insula Gottlandia hanc speciem observavi. E Dania a D. *Stæger* missus.

♂♀. S. *cuprario* similis & affinis, magnitudine majori, pedibus totis nigris & alis fuscedine æqualiter tinctis, basi tantum purius hyalinis, distinctus.

4. S. *flavipes:* oculis non lineatis aureo-viridis, abdomine cupreo, ano feminæ violaceo, halteribus in utroque sexu pallidis; alis fusco-hyalinis; antennis nigris; pedibus in ♀ flavis, femoribus tibiarumque apice in ♂ nigricantibus. ♂♀. (Long. 2½—3½ lin.).

Mas: alis subinfuscatis, pedibus nigris, geniculis omnibus late, tarsisque posterioribus basi, tibiisque posticis, flavis;

Fem.: alis hyalinis, pedibus totis flavis, tarsis apice infuscatis; in copula.

Meig. Dipl. 3. 108. 5. t. 5. f. 14 & App. 6. 311. ♂♀. Fall. Dipt. Sv. Suppl. 2. p. 9. 2—3.

Hab. in foliis Coryli aliarumque fruticum, per Scandinaviam, 12 Jul. — 6 Sept., passim; in Scania ad Lund & Räften haud freq.; in Ostrogothia ad Söderköping, Gusum, Wadstena & Omberg, copiose, in copula sæpe captus; in Westrogothia ad Götheborg, D. *Wahlberg*; ad Holmiam, Idem; in Lapponia Suecica meridionali rarius; in Dania & Finlandia quoque occurrit. Individua mascula, quæ sub nomine *S. cæruleicollis* Meig. (quem de cetero non cognovi), mihi misit e Dania D. *Stæger*, ad *S. flavipedem* certe referenda.

5. *S. nigripes:* oculis — — —, aureo-viridis, abdomine cupreo, posterius concolore; alis fusco-hyalinis, halteribus albidis; antennis pedibusque nigris, geniculis omnibus summis metatarsisque posticis, flavescentibus. ♂. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarisssime; in Martebo 1 Aug. 1841 a me semel inventus.

♂. Differt a *S. cuprario* in primis alarum nubecula nulla, & abdomine posterius non violaceo; a *nubeculoso*, cujus magnitudine gaudet, iisdem notis ut & metatarso postico pallido, nec nigro; ab *infuscato* magnitudine minori, abdominis dorso toto cupreo & metatarsi postici colore pallido; & a *flavipede*, cui abdomine & alis simillimus, pedum colore diversus.

6. *S. nitidus:* oculis non lineatis aureo-viridis, abdomine maris cupreo, feminæ violaceo; alis in utroque sexu fusco-hyalinis, stigmate obscuriore, halteribus pallidis; antennis nigris; pedibus brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 108. 4. ♂♀. Macq. Buff. 1. 261. 3.

Hab. in Svecia rarissime; ad Wadstena Ostrogothiæ utrumque sexum inveni.

♂♀. Similis *S. flavipedi*, sed certe distinctus. Præcedentibus minor. Pedes brunnescentes, genubus metatarsisque præprimis in femina dilutioribus. Alæ hyalinæ, parum infuscatæ, stigmate obscuriore. Licet macula stigmaticalis hujus speciei a Clar. *Meigen* l. c. "obsoleta" describatur, at in nostris speciminibus sat. distincta videatur, tamen de identitate specici non dubius sum, nam ceteræ notæ optime quadrant.

---

13. LAPHRIA Fabr.

Corpus magnum, robustum, oblongum, hirsutum. *Color* niger, hirsutie nitente, interdum albescente vel flavescente: *Motu* agilis: volatus brevis, strenuus. *Habitatio* in sylvis, truncis arborum & sæpibus, libenter latere soli exposito, plerumque, foliis raro, insidens; victus e rapina. *Discrimen sexus; mas:* abdomine angustiore, lamellis 2 magnis corneis genitalia supertegentibus; *femina:* abdomine latiore, magis obbtuso, lamellis analibus nullis.

Sect. 1. alarum nervis longitudinalibus 4 & 5 ad marginem interiorem distantibus.

1. *L. gibbosa:* pubescens nigra, hirsutie capitis thoracisque antici pallida; abdominis segmentis tribus dorsalibus posticis albo-villosis; alarum nervis infuscatis. ♂♀. (Long. 8 lin.).

Fabr. Antl. 156. 1 Fall. Asil. 4. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 287. 1. ♂♀. *Asilus* Linn. Fn. 1909. ♂♀. It. Scan. 414.

Hab. in silvis Sveciæ mediæ & borealis, 10 Jul. — 13 Sept., passim; in copula; in Smolandia & Calmariæ ad Berga; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wad-

stena & Godgård freq.; in Nericia ad Kärr &c. pass.; in Wermelandia ad Arås &c.; in Uplandia circa Holmiam, D. *Wahlberg*; & in Helsingia ad Stråtjära; sed in Scania, Ölandia & Gottlandia, neque in aliis provinciis littoralibus hanc speciem, inter nostrates maximam, vidi, nec in Norvegia legi.

2. *L. flava:* hirsuta nigra; thoracis postici abdominisque dorso flavo-hirto; barba epistomatis (mystace Meig.) alba nigro-immixta. ♂♀. (Long. 4—7½ lin.).

Mas: abdominis angustioris hisurtie flava densa; barba albida, pilis paucioribus nigris immixta;

Fem.: abdominis crassioris, subclavati hirsutie flava, minus densa; barba albida, pilis pluribus nigris immixta; in copula.

Fabr. Antl. 156. 2. Meig. Dipt. 2. 288. 2. ♂♀. Fall. Asil. 4. 2. ♂♀. Macq. Buff. 1. 281. 3. ♂♀. Zeller in Isis 1840. p. 74. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 504. 1. ♂♀. *Asilus* Linn. Fn. 1911. ♂. *Asilus Ephippium* Panz. Fn. 39. t. 24. ♀.

Hab. in truncis arborum & sæpibus, per Sveciam, 1 Jul. — 20 Aug., passim freq.; in Scania boreali rar.; in Smolandia, Ostrogothia, Nericia, Uplandia, vulgaris; in Jemtlandia usque ad Faxelfven & Hofverberget; in Gottlandia ad Thorsborg, Fårön & Stenkyrka, freq. — E Finlandia quoque a D. *Sahlberg* missa. — In Lapponiis Svecicis etiam haud infrequenter occurrit. — In Norvegia ad Thynæs & Levanger inveni.

3. *L. Ephippium:* hirsuta nigra; thoracis dorso postice flavo-hirto; barba epistomatis grisea, pilis nigris in ♂ paucioribus, in ♀ pluribus, immixta. ♂♀. (Long. circiter 7 lin.).

Fabr. Antl. 157. 3. Fall. Asilici. 4. 3. ♀. Meig. Dipt. 2. 289. 3. ♂♀. t. 20. f. 20 ♀. Macq. Buff. 1. 281. 4. *Asilus*

Panz. Fn. 39. f. 23. ♂. *Asilus dorsalis* Deg. Ins. 6. 239. t. 13. f. 9. ♂. *Laphr. Ephippium* Zell. in Isis 1840. p. 74. 3. ♂.

Hab. in Svecia meridionali rarissime; In Scania boreali seu sylvestri, ipse; in Blekingia mens. Jul., D. *Aspegren.* — In Dania, D. *Stæger*, Jun. rar. — Individuum masculum, quod sub hoc nomine e Germania misit D. *Sturm*, non nisi *L. flava* est. Alæ hyalinæ in hoc & in specie præcedente juxta nervos infuscatæ.

4. *L. gilva:* pubescens nigra, abdominis dorso fulvo-villoso, limbo anguste atro; barba menti alba, epistomatis nigra; alis juxta nervos infuscatis, basi hyalinis. ♂♀. (Long. $5\frac{1}{2}$—6 lin.).

Fabr. Antl. 159. 15. Fall. Asil. 5. 4. ♂♀. Panz. Fn. 107. 18. ♂. Meig. Dipt. 2. 294. 12. Macq. Buff. 281. 5. Dahlb. Skand. Ins. 308. 207. Zett. Ins. Lapp. 506. 2. ♂♀. *Asilus* Linn. Fn. 1912. *Asilus rufus* Deg. Ins. 6. 281. t. 13. f. 15. ♀.

Hab. in pascuis & sylvis, per totam Sveciam, Gottlandiam & Lapponiam, 21 Jun. — 5 Sept., frequens; in Scania tamen meridionali seu campestri, rarius, & ibi vix nisi in Paradislyckan Lundæ a me visa. — Oculi in viva nigri immaculati.

5. *L. ignea:* pubescens nigra, abdominis dorso toto dense fulvo-villoso; barba epistomatis grisea, mentique alba, mystace nigra; alis juxta nervos infuscatis, basi hyalinis. ♂♀. (Long. 6—$6\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 291. 13. ♀. Macq. Buff. 1. 282. 6. Zell. Asil. in Isis 1840. p. 76. 7. ♂♀. *Laphr. gilva* var. *β.* ♀. major Fall. Asil. 5. 4.

Hab. in Svecia media rarius; in truncis & ligno cæso arborum acerosarum ad Lärketorp Ostrogothiæ, 26

Jul. — 23 Aug., a me inventa; ad Gusum ejusdem provinciæ a D. Prof. *Wahlberg* quoque capta.

6. *L. marginata:* nigra, tenuiter luteo-pubescens; facie fulvo-villosa, barba epistomatis nigra, menti albida; thoracis macula humerali pleurisque, albo-micantibus; alis fuscis, basi hyalinis; incisuris abdominis in ♂ albo-, in ♀, aureo-villosis. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Fabr. Antl. 160. 17. Fall. Asil. 5. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 291. 7. ♀. Macq. Buff. 1. 283. 11. ♂♀. Zell. Asil. in Isis 1840. 75. 5. ♂♀. bene descripta. *Asilus* Linn. Fn. 1913.

Hab. in sæpibus & sylvis foliis arborum frondosarum ex. gr. Tiliæ sæpe insidens, per Sveciam meridionalem & mediam a Scania usque ad Uplandiam (circa Holmiam), Ölandiam & Gottlandiam, 29 Jun. — 15 Aug., frequenter, in copula; versus septentrionem rarescit, & vix supra Helsingiam adscendit, ibi vero ad Glösbo & Stråtjära ad finem Aug. utrumque sexum inveni. E. Dania a D. *Stæger* missa. —

♂♀. Oculi nigro-violacei, æneo-micantes. Halteres flavi. Epistoma & incisuræ abdominis in ♂ sæpe (non semper) pallido- vel albo-villosa, in ♀ vero fere semper aureo-villosa sunt.

7. *L. rufipes:* nigra, tenuiter griseo-pubescens; facie utrinque albo-pilosa, barba epistomatis nigra, menti alba; alis subfuscis; pedibus rufis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. 3½ —4 lin.).

Fall. Asilici 6. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 299. 22. (secundum Fall. transscripta).

Hab. in Svecia media rarissime; e Westrogothia olim a D. *Gyllenhal* communicata, a me viva nunquam visa.

♂♀. Prioribus minor. Habitus *L. marginatæ.* Epistoma nigro-barbatum, utrinque (juxta oculos) fasciculo deflexo pilorum albidorum. Corpus nitidum. Alæ fuscæ, basi vix dilutiores. Halteres flavi. Pedes rufi, coxis, trochanteribus, femorum tibiarumque spinis ut & tarsorum articulis 4 ultimis, nigris. Reliqua ut in diagnosi.

8. *L. lapponica:* nigra, tenuiter griseo-pubescens; facie utrinque niveo-pilosa, barba epistomatis nigra, menti alba; alis fusco-hyalinis; pedibus nigris, posticorum femoribus tibiisque, rufis. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.; ♀ rariss. 5 lin.).

Laphria rufipes var. Zett. Ins. Lapp. 506. 3. ♂♀. & It. Lapp. 1832. p. 77. 103 & 217. (exclus. Syn. Fall. & Meig.).

Hab. in sylvis Lapponiæ Suecicæ meridionalis, arborum truncis insidens, ad Stensele & Lycksele, 27 Jun. — 2 Aug., a me & Clar. *Dahlbom* in copula capta.

♂♀. Simillima præcedenti, sed differt: pilis in fasciculo deflexo ad epistomatis latera purius albis fere argenteis, alis paullo minus infuscatis, & præsertim pedibus anterioribus totis constanter nigris. Pedes tantum postici rufi, coxis, trochanteribus, femorum tibiarumque apice tarsisque totis, nigris. Hæ notæ in individuis saltem 14 lustratis constantes, locus natalis & copulatio tantum inter similia, speciem a priori certe distingvunt & propriam produnt.

Sect. 2. alarum nervis 4 & 5 longitudinalibus paullo ante marginem interiorem conjunctis, nervulo brevi ad marginem continuatis.

9. *L. atra:* hirsuta nigra; barba epistomatis (mystace auctor.) nigra tomento brevi albo immixta, menti alba; abdomine supra chalybeo nitido; alis fuscis, nervis nigredine tinctis. ♀. (Long. 6 lin. mensura Suec.).

Fabr. Antl. 159. 13. Macq. Buff. Wahlb. Act. Reg. Acad. Scient. Holm. 1838. ♀. Zeller Asil. in Isis 1840. p. 76. 8. ♂♀. *Asilus ater* Linn. Fn. 1910.

Hab. in Suecia omnium certe rarissima, a *Linnæo* l. c. primum allata, post Illius tempora ut Sueciæ deperdita incola habita, donec individuum unicum feminеum medio mens. Septembr. 1836 a Cel. Prof. *Wahlberg* prope Holmiam reinventum & in Act. Holm. l. c. optime descriptum fuerit. Speciem hanc vivam lustrare mihi non contigit, sed feminam a Cel. Doct. *Zeller* e Glogavia in Silesia inferiore benigne missam possideo.

♀. *Laphr. gilva* paullo brevior, sed latior. Tota nigra, barba menti alba. Abdomen chalybeum. Halteres nigri. Color & nervorum longitudinalium 4 & 5 directio, qua area angusta formatur, speciem a reliquis Suecanis facillime distingvunt.

---

14. ASILUS Linn.

Corpus majoris aut mediæ magnitudinis, elongatum, hirsutum. *Color* sæpissime niger, hirsutie grisescente; raro lutescens. Oculi unicolores. *Motus & hiabitatio* ut in *Laphria. Victus: imagines* alia insecta, imprimis Diptera, crudeliter infestant eaque sub volatu inter pedes anticos prehensa sæpe secum portant. *Larvæ* sub terra degunt. *Sexus* differt; genitalibus in *masculis* prominulis caudaque forficata cornea; ano in *feminis* stylis 2 corneis acuminato, producto.

Sect. 1. colore corporis lutescente.

1. *A. crabroniformis:* lutescens, alis concoloribus, maculis marginis interioris fuscis; antennarum articulo ultimo abdominisque segmentis 3 basalibus, nigris; tho-

racis vitta media gemina, ventre femoribusque brunneis. ♂♀. (Long. 6—8 lin.).

Linn. Fn. 1908. Fabr. Antl. 151. 6. Fall. Asil. 8. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 309. 1. Macq. Buff. 1. 303. 2. ♂♀. Dahlb. Skand. Ins. 308. 208. Zell. Asil. in Isis 1840. 48. 1. ♂♀.

Hab. in pascuis & campis, juxta terram volans, per Sueciam meridionalem & mediam, 2 Jul. — 1 Sept., vulgaris; scilicet in Scania, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia, frequenter mihi obvius. In Dania, D. *Stæger*, rariss. — Oculi brunnei.

Sect. 2. colore corporis nigricante, hirsutie grisescente.

Subd. A. pedibus ad partem rufis l. testaceis.

2. *A. germanicus:* cinereus, thoracis vittis 4, abdomineque, nigris, incisuris canis; barba epistomatis supra nigra, infra mentique alba l. grisea; pedibus nigris, tibiis fere ad apicem tarsorumque articulis 3 anticis, rufis; alis fuscis, costa ferruginea, macula basali marginis interioris in ♀ hyalina, in ♂ lactea. ♂♀. (Long. 5—7 lin.).

Linn. Syst. Nat. 2. 1008. 12. ♂. Fall. Asil. 8. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 318. 18. ♂♀. Panz. Fn. 107. 19. Macq. Buff. 1. 305. 9. ♂♀. Zell. Asil. in Isis 1840. 52. 6. ♂♀. *Dasypogon* Fabr. Antl. 169. 21. 21 ♂. *Dasyp. tibialis* Fabr. Antl. 168. 20. ♀.

Hab. in Suecia media & meridionali, 2 Jul. — 3 Aug., rarius, ex. gr. in Scania ad Farhult; in Ölandia & Westrogothia; in agris vero cerealibus ad Lärketorp Ostrogothiæ utrumque sexum anno 1833 sat frequentem vidi ipsis culmis & spicis Secalis sæpe insidentem. — In Dania, D. *Stæger* Jul. rar. — Specimina utriusque sexus

ex Hamburgo a D. *Thorey*, e Wienna a D. *Andersch*, & e Glogavia a D. *Zeller*, nobis communicata Suecicis simillima inveni.

3. *A. æstivus:* cinereus, thoracis vittis 4, abdomineque nigris, incisuris griseis; barba epistomatis angusti supra nigra, infra mentique alba; pedibus nigris, tibiis fere ad apicem luteis, femoribus anticis subtus parce albo-villosis & nigro-setulosis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

Mas: abdominis segmentis 2 analibus nitidissimis, cyaneis vel violaceis, forcipe breviuscula, nigra, nitida, pilosa, apice truncata, sub qua genitalia rufa;

Fem.: abdominis segmentis analibus 2 ultimis & oviductu erumpente sublineari, nigris nitidis, sensim ad apicem compressis; in copula.

Var. a. ♂♀. tibiis flavo-luteis, apice tarsisque nigris. Schrank Ins. Austr. p. 487. 996. Meig. Dipt. 2. 316. 15. ♂♀. Macq. Buff. 1. 301. 7. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 505. 2. ♂. Zell. Asil. in Isis. 1840. 51. ♂♀. *Asil. tibialis* Fall. Asil. 9. 4. ♂♀.

Var. b. ♂♀. metatarso fere toto, reliquis articulis summa basi, rufis. Plerumque minor. Zett. & Zell. l. c. var. b. — Affinis videtur *A. varipedi* Meig. Dipt. 2. 328. 33, vix vero idem.

Hab. utraque varietas & invicem sæpe mixta, in sylvaticis, per totam Sueciam a Scania usque ad Kårböle Helsingiæ & Hofverberget Jemtlandiæ, 4 Jul. — 19 Aug., sat vulgaris; in copula captus; deinde rarescit, & in Lapponia meridionali rarissime tantum visus. — In Dania, D. *Stæger*, pass. — Circa Hamburgum a D. *Dahlbom* etiam lectus. — Idem e Glogavia a D. *Zeller* quoque missus.

♂♀. Oculi æneo-virides. Segmenta analia chalybea in mare, & epistoma angustum in utroque sexu speciem a ceteris optime distingvunt. Tuberculum epistomatis etiam paullo longius ab antennis remotum quam in reliquis.

1. *A. atricapillus:* cinereus, thoracis vitta media antice leviter gemina, nigra; incisuris abdominis albidis; barba epistomatis latioris nigra, infra rara, mentique densa, alba; pedibus nigris, a latere supero metatarsisque totis, ferrugineis, femoribus anticis subtus albo-villosis; alis hyalinis, limbo subinfuscatis. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Mas: forcipe anali brevi conica subrecta nitida nigra, sub qua genitalia rufa; in apice segmenti ultimi ventralis appendice laminata elevata subquadrata, apice late subemarginata, obscura, nigro-pilosa;

Fem.: oviductu brevi triangulariter compresso, acuminato, nitido nigro; in copula.

Fall. Asil. 10. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 327. 31. ♂. (secundum specimina e Svecia missa descriptus). Zett. Ins. Lapp. 506. 3. ♂♀. *A. bicornis* Zell. Asil. in Isis 1840. p. 56. 10. ♂♀. verus, ob appendicem maris analem ab Illo primum observatam & ut notam discernentem adhibitam. Specimina feminea sub nom. *A. opacus* Meig., a D. *Stæger* e Dania nobis communicata a nostro *atricapillo* vix differunt.

Hab. in pratis & sylvis acerosis, foliis & sæpibus sæpe insidens, per Sveciam, a Scania & Gottlandia usque ad Sandbacka in Ofvansjö Gestriciæ occidentalis, & Hernösand Ångermanniæ, 10 Jul. 15 Sept., ubique vulgaris, multoties in copula visus; supra hæc loca versus septentrionem rarescit, & intra limitem Lapponiæ meridionalis non nisi rarissime deprehensus. E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Glogavia a D. *Zeller* missus.

♂♀. Barba epistomatis ad maximam partem nigra, vittæ thoracis nigræ, media perspicua antice tantum leviter divisa, laterales obsoletæ, alæ subinfuscatæ disco hyalino, pedum color, femoraque antica subtus sat dense albo-pilosa, in utroque sexu, ut & appendix insignis sub ano in mare, notæ sunt, quæ speciem facile ab affinibus distingvunt. Epistoma latiusculum albidum, tuberculo ab antennis, circiter longitudine earum articuli primi, remoto. Oculi æneï. Halteres sordide albidi, clava basi fusca. Femora antica basi plerumque late, & postica interdum fere tota, nigra. Tarsorum articuli 4 ultimi etiam nigri. Magnitudine & pictura præterea variat. Variat quoque pedibus paullo dilutioribus in primis tibiis & tarsis.

5. *A. variabilis:* obscure cinereus, thoracis vitta media subgemina abdomineque nigricantibus, incisuris albescentibus; barba epistomatis latioris ad maximam partem in ♂ alba, in ♀ nigra, menti nivea; macula sub antennis subquadrata nigra nitidissima; pedibus nigris, tibiis posticis metatarsisque omnibus ferrugineis; femoribus anticis subtus albo-pilosis; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. 4—5½ lin.).

Mas: barba epistomatis alba supra parce nigra; forcipe anali mediocri nitida nigra, tenuiter ferrugineo-pilosula, apice lunatim excisa;

Fem.: barba epistomatis nigra infra parce alba; oviductu subconico, supra subtriangulariter depresso, toto nigro nitido; in copula.

Var. a. ♂♀. metatarso antico ferrugineo.

Zett. Ins. Lapp. 506. 4. ♂♀. var. a. b. & c., quæ tantum sexu differunt.

Var. b. ♂♀. metatarso antico nigro; sæpe paullo minor.

Hab. locis arenosis terræ nudæ insidens ab uno ad alterum volatu strenuo & sat longo perterritus aufugiens, per Scandinaviam mediam & septentrionalem, 22 Jun. — 30 Aug., passim, in copula multoties captus; scilicet var. a. in Ostrogothia ad Gusum, Pr. *Wahlberg*, ad Lärketorp & Wadstena, ipse; in Ölandia ad Borgholm; in Gottlandia ad Thorsborg, Nähr, at præprimis inter cumulos magnos ex arena volatili instar montium excelsos, *Olle Hau* dictos, in insula Fårön, frequens; in Helsingia: ad Glösbo; in Jemtlandia ad Faxelfven; in Lapponiis Suecicis omnibus; in jugo alpino ad Suul; & in Norvegia: ad Thynæs & Levanger freq., usque ad Talvig Finmarkiæ passim; in Gottlandia ova oblonga alba parientem feminam quoque vidi; var. b. non nisi in Helsingia ad Glösbo & Färela, & in Norvegia ad Thynæs, parce inveni.

♂♀. Forma forcipis maris & oviductus feminæ, ut & macula subquadrata inter antennas & tuberculum epistomatis, nigra nitidissima, nec non tibiæ anticæ nigræ, speciem ab affinibus mox distingvunt. Orbita oculorum facialis subargentea. Thoracis vitta media per lineam angustam cineream divisa. Alæ undique cinereo-hyalinæ. Halteres ut in priori. Pedes nigri, tibiis posterioribus fere ad apicem & metatarsis omnibus, rufo-ferrugineis. Species affinibus plerumque obscurior.

6. *A. cingulatus:* griseus, thoracis vitta media subgemina obscura; barba epistomatis cinerei supra parce nigra, infra mentique alba; pedibus fusco-testaceoque annulatis, femoribus anticis subtus albo-pilosis; alis subfuscis, disco longitudinaliter hyalino; abdominis singulo segmento ad latera fasciculo pilorum. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Mas: forcipe anali brevi raro rufa, plerumque ferruginea aut

nigro-picea, ramis æqualibus non dentatis, apice rotundato-deflexis;

Fem.: oviductu compresso nigro nitido, lateraliter anguste triangulari acuto; in copula.

Var. a. ♂♀. Pedes nigro-fusci, femoribus annulo ante apicem, tibiis basi & annulo pone medium, metatarsisque, rufo-testaceis. Forceps maris nigra vel rufo-picea.

Fall. Asil. 10. 6. ♂. Meig. Dipt. 2. 325. 29. ♂♀. Macq. Buff. I. 305. 10. Zell. Asil. in Isis 1840. 59. 12. ♂♀. certe.

Var. b. ♂. Pedes flavo-testacei, femoribus linea lateris anterioris genubusque summis puncto utrinque, nigris; tibiis annulo medio & apicali, tarsisque apice, obsolete fuscis. Forceps analis rufa. Forte junior.

Hab. in pascuis & pratis, foliis fruticum & culmis graminum sæpe insidens, per Sueciam meridionalem & mediam, 21 Jun. — 4 Aug., passim, in copula. Scilicet var. a. in Scania: ad Kjeflinge, Esperöd & Krageholm; Calmariæ ad Berga; in Ölandia: ad Ottenby; & in Gottlandia: ad Ruthe & Lärbro; sed in reliquis provinciis Scandinaviæ a me non visus; var. b. tantum in Ölandia rarissime inventus. — E Glogavia a *D. Zeller* missus.

♂♀. Inter nostrates hujus generis minimus. Epistoma cinerascens, barba alba, pilis aliquot nigris superne. Fasciculi in lateribus segmentorum ex pilis paucis (2—4) albis constant. Halteres ut in *atricapillo.* Femora latere posteriori plerumque dilutiora, antice rufo-fusca; antica subtus albo-villosa & pilis longioribus albis serie obsita.

Obs. Propter hujus speciei magnam affinitatem, magnitudinem æqualem aliasque similitudines cum duabus sequentibus a D. *Zeller* descriptis & nobiscum communicatis, illas hoc loco inserere non ineptum putavi, licet intra limites Scandinaviæ eædem huc usque non inventæ fuerint, quantum novi.

A. setosulus: "minutus, griseus, pedibus ferrugineo-griseis, femoribus anticis subtus serie spinularum, abdominis segmentorum lateribus seta una incrassata instructis." ♂♀. Zell. Asilici in Isis 1840. 58. 11. Glogaviæ in Silesia.

A. pyragra: "minutus, fusco-cinereus, femoribus anticis subtus longius seriato-pilosis, tibiarum basi metatarsisque badiis, mystace nigro, subtus parum albo". ♂♀. Zell. l. c. p. 60. 13. Frankfurt.

S*ubd.* B. pedibus totis nigris vel nigricantibus.

7. *A. albibarbus:* griseo-cinereus, thoracis vittis 3, ano pedibusque obscurioribus; epistomatis cani barba supra paucissime nigra, infra mentique alba; femoribus gracilioribus, anticis subtus una serie parce albo-pilosis; alis subhyalinis, halteribus flavo-albis. ♂♀. (Long. 5—6 lin.).

Mas: forcipe anali in medio supra unidentata, apice attenuata incurva, tota nigra nitida sat dense pallide pilosa; appendice sub ano nulla;

Fem.: oviductu segmento ultimo paullo longiori, compresso, lateraliter sublineari, apice obtuse rotundato, toto atro nitido parum hirto, apice spinulis 4—5 nigris in semiorbem dispositis; in copula.

Zeller Asilici in Isis 1840. p. 66. 18. ♂♀. certissime. An quoque *Asil. albiceps* Meig. 2. 312. 8?

Hab. in ipsa terra arenosa, valde cautus & captu difficilis, per Sueciam mediam & australem loca maris littoralia præsertim amans, 1 Jul. — 16 Aug., pass. freq.; in copula sæpe inventus; scilicet in Scania: ad Abusa, Silfåkra, Lomma, Lindholmen, Sandhammar, Esperöd & Raflunda; in Gottlandia: ad Sanda, Wamblingbo, Nähr, Stenkyrka, sed in arena volatili (Olle Hau) in

Fårön frequentissimus. In insula insigni Helgoland, inter ostia Elbe & Weser in Nordsjön sita, utrumque sexum d. 12 Jul. 1838 invenit Præclar. *Dahlbom*; & e Glogavia unicum par mihi benigne misit D. *Zeller*.

♂♀. *A. atricapillo* paullo major, sed specimina Silesiaca Svecicis & Helgolandicis adhuc paullo majora. Color lætior, barba alba, pedes graciliores &c. speciem distingvunt. Epistoma latum album, tuberculo nasali ab antennis sat longe remoto, parum elevato; barba alba, pilis 4—5 superne nigris; barba menti nivea. Antennæ subtus parum pilosæ, articulo ultimo breviusculo utrinque attenuato, seta elongata. Vittæ thoracis 3 evidentiores, media per lineam angustissimam subduplicata. Abdomen certo situ dilute fuscum, incisuris dilutioribus, pilis 2—3 albis utrinque obsitis. Alæ subcinereo-hyalinæ. Pedes parce albo-spinulosæ, spinis tarsorum nigris, femoribus anticis subtus setis 5—6 albis, & tibiis tarsisque anticis intus brevissime fulvo-tomentosis.

Var. b. ♀. tibiis tarsisque flavis; in ceteris simillimus var. a; forte junior; — rarissimus. Variat quoque ♂ antennis monstrosis, seta scilicet in articulo ultimo (in una tantum antenna) incrassata pilosa seu penicillata. Sandhammar Scaniæ, rariss. —

8. *A. melampodius:* fusco-cinerascens, thoracis vittis subtribus obscurioribus; barba epistomatis supra nigra, infra mentique fulva l. flava; pedibus nigris & totis nigro-spinosis, femoribus anticis subtus albo-villosis; alis cinerascentibus, disco longitudinaliter hyalinis, halteribus flavis. ♂♀. (Long. 6 lin.).

Mas: forcipe anali horizontali, subrecta (parum incurva) sublineari, æquali (nec dentata), apice obtusa, tota nigra subnitida, pallide pilosa; appendice sub ano elevata producta hirsuta, apice longe fulvo-pilosa;

Fem.: oviductu segmento ultimo duplo longiori, compresso, lateraliter triangulari acuto, toto atro nitido subglabro.

Zell. Asil. in Isis 1840. 67. 19. ♂♀. certe. *A. forcipatus* var. major Fall. Asil. 9. 5.

Hab. in Suecia meridionali & media passim, Jul. & Aug. obvius; in Scania sat frequens; sed in superioribus provinciis rarius; in Museo *Falleni* & aliis collectionibus Suecicis ut *As. forcipatus* var. Linn. &c. asservatus. — E Glogavia uterque sexus a D. *Zeller* missus.

♂♀. Magnitudine paullo majori, barba flava, pedum spinis omnibus nigris, villositate inferna alba femorum anticorum, ut & genitalium structura, a ceteris hujus subdivisionis in primis dignoscitur. Ab *A. genuali* Zell., cui alias valde similis, tibiis totis nigris, nec basi rufis, & spinis omnibus nigris statim differt; nec *A. genualis* in Scandinavia inventus, quantum novi. — Antennæ subtus longe nigro-pilosæ, articulo ultimo longiori quam in *albibarbo*. Epistoma latum flavescens. Tuberculum nasale ab antennis remotum fere ad dimidium nigro-, deinde flavo- vel fulvo-barbatum. Frons angusta. Thoracis vitta media ut in priori. Abdomen supra certo situ fuscum, incisuris cinereis, flavescenti ciliatis. Tibiæ & metatarsi antica intus brevissime fulvo-tomentosa. Alæ basi ferruginantes.

Var. b. ♂. barba epistomatis inferna mentique alba, fronteque paullo latiori, in ceteris var. a. simillimus; in Svecia semel captus. Appendix sub ano vix elevata — Similis quoque *A. Gonatisti* Zell., sed tibiis basi nigris nec rufis differt.

9. *A. Forcipula:* obscure cinerascens, thoracis vittis subtribus nigris; barba epistomatis supra nigra, infra mentique albida; pedibus nigris & nigro-alboque spinosis, femoribus anticis subtus albo-nigroque villosis; alis cinereo-hyalinis, halteribus flavis. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 5 lin.).

Mas: forcipe anali longe attenuata arcuatim deflexa, mutica, nigra nitida, tenuiter nigro-hirta, absque appendice sub ano;

Fem.: oviductu abdominis segmento ultimo duplo longiori, compresso, lateraliter subtriangulari, nigro nitido, supra glabro, apice levissime mucronulato; in copula.

Zell. Asil. in Isis 1840. 68. 20. ♂♀. verus. *Asil. forcipatus* Fallén, in cujus museo hujus ipsissimi mas & femina ut: »*Asilus forcipatus Linn. var minor*» manu propria Cel. Descriptoris annotati, asservantur. In multis aliis collectionibus Suecorum hunc sub eodem nomine (*forcipatus* Linn.) vidi. Zett. Ins. Lapp. 505. 1. ♂♀. Forte etiam hic est veterum Auctor. *A. forcipatus.*

Hab. in pratis, pascuis & campis, per totam Scandinaviam ab extrema Scania usque ad limitem Lapponiæ, tota fere æstate, ubique vulgaris, in Scania & Ostrogothia præsertim frequentissimus, in copula multoties captus. Ex Helgolandia, Dania & Fennia (Finlandia) etiam specimina plura obtinui; & uterque sexus sub nomine descripto a D. *Zeller* e Glogavia missus.

♂♀. Duobus proxime præcedentibus minor. Frons latiuscula nigra opaca. Epistoma latiusculum albidum, tuberculo nasali magno ab antennis minus remoto, nigricante, barba ab apice ad ejus medium (saltem in ♀) nigra, deinde albida mentique alba. Antennæ, thorax, abdomen (genitalibus masculis exceptis), alæ & halteres, fere ut in priori. Pedes nigri, spinis & albis & nigris armati. Reliqua ut in diagnosi.

Obs. Parvitudo & frequentia individuorum hujus speciei in Svecia identitatem cum *Linnæi* & reliq. auctorum *As. forcipato* produnt, licet descriptio forcipis maris in Fn. Svecica data minus respondeat. Forte Ill. *Linnè* & certe Cel. *Fallèn* suum *Asilum forcipatum* describentes & *albibarbum, melampodium* & *Forcipulam* forsitan quoque *variabilem* ante oculos habuerunt. Eo statu, cum Celeberrimo *Zeller* nomen *forcipatus* dubium & æqvivocum omnino rejicere

melius putavi, quam uni vel alteri speciei illud instar conjecturæ tribuere.

10. *A. hispidus:* obscure cinerascens, thoracis vitta laterali glaucescente tribusque dorsalibus nigricantibus; barba epistomatis cani alba, margine nigra, mentique alba; pedibus nigris albo-spinosis, femoribus anticis subtus nigro-setosis, abdomine brevi, incisuris albidis longe albo-ciliatis; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Zell. Asil. in Isis 1840. 71. 22. ♂♀. verus. *A. trigonus* Meig. Dipt. 2. 322. 23.? ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; in museo meo adest specimen femineum ut Sueciæ incola ab alio Collectore mihi communicatum, sed locus specialis non indicatus; nec species in Scandinavia mihi ipsi umquam obvia; in arenosis Helgolandiæ mas a D. *Dahlbom* captus, & uterque sexus e Glogavia a D. *Zeller* mihi missus.

♂♀. Abdominis forma brevis subconica, incisurarum ciliæ longæ, epistomatis barba media alba, marginalis nigra, thoracis linea lateralis canescens, spinæ pedum pleræque albæ & hirsuties femorum anticorum infra longa nigra speciem denotant & distingvunt. Antennæ subtus basi nigro-pilosæ. Thorax dorso pilis longis nigris postice albis vestitus. Alæ parum cinerascentes. Halteres flavescentes. Tarsi posteriores pilis ad maximam partem nigris armati. *Mas:* forcipe anali brevi nigra, albo-pilosa, ramis convexis non dentatis, apice rotundato-subinflexo; *femina:* oviductu segmento abdominis ultimo duplo longiori, ensiformi, nigro nitido glabro, apice leviter sursum flexo, subtus breviter ciliato.

---

15 DASYPOGON Meig.

Corpus mediæ aut (in hac Familia) minoris magnitudinis, oblongum, hirsutulum. *Color* niger, abdominis pictura sæpe

albo-maculata l. fasciata. *Habitatio, Motus & victus Asili. Discrimen sexus:* ano *maris* obtuso subgloboso, lamellis scilicet lateralibus brevibus, corneis, convexis genitale obtegentibus; *feminæ* acutiori, mucronulato seu spinulis brevibus 8—12 semi-circulatim positis armato. Typus generis *D. cinctus.*

1. *D. cinctus:* obscure cinereus, epistomatis flavescenti cinerei barba nigra, menti alba; thoracis lineis 3 fusco-brunneis, media abbreviata; abdomine nigro nitido, tenuiter cano-hirsuto, incisuris albis; alis sordide hyalinis, halteribus pallidis; pedibus nigris, femoribus subtus albo-villosis, tibiis tarsisque nigro-spinulosis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Var. a. ♂♀. major; circiter 3 lin. longus; tibiis tarsisque interdum rufo-piceis.

Meig. Klass. 1. 252. 4. Zell. Asil. in Isis 1840. 45. 4. var. b. ♂♀. *D. hirtellus* Meig. Dipt. 2. 273. 23. ♂♀. Fall. Asil. 11. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 298. 19. Zett. Ins. Lapp. 506. 1. var. a. ♂♀.

Var. b. ♀. minor, $2\frac{1}{2}$ lin. long.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in sæpibus & campis arenosis, per totam Sueciam usque ad Helsingiam, 15 Maj — 27 Jul., vulgaris, sæpe in copula; supra Helsingiam rarescit, & in Lapponia meridionali parcissime occurrit. — Var. a. quoque a D. *Stæger* e Dania, & a D. *Zeller* e Glogavia missus. — Var. b. tantum ad Lycksele Lappon. Umensis semel lectus.

2. *D. lateralis:* obscure cinereus, epistomate convexo fere toto nigro-barbato, barba menti nivea; thoracis vitta media duplicata maculaque utrinque didyma, fuscis; abdomine nigro nitido, lineolis lateralibus trans-

versis in utroque sexu, & segmento secundo tertioque in mare totis, albis; alis in utroque sexu infuscatis, halteribus flavis; pedibus nigris nitidis, femoribus subtus albovillosis, tibiis tarsisque nigro-spinulosis. ♂♀. (Long. ♂ 3—4, ♀ 4—4½ lin.).

Mas: thoracis signaturis sæpe distinctis, abdomine angustato, segmentis 2 & 3 dorsalibus totis, reliquis (ultimo excepto) lineolis lateralibus albis, ani lamellis lateralibus parvis, rotundis, convexis, alis abdomine brevioribus fuscis, fascia media obscuriori, basi hyalinis;

Fem.: thoracis signaturis interdum magis confluentibus, abdomine latiore, segmentis omnibus (ultimo excepto) lineola laterali alba, segmento anali obtegente rotundato integro, subtus serie semicirculari spinularum nigrarum, alis longitudine fere abdominis parum fuscis, fascia media obsoleta, basi hyalinis; in copula.

Fall. Asil. 12. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 276. 27. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 509. 2. var. a. ♂♀.

Hab. in provinciis Sueciæ borealibus, 18 Jun. — 29 Jul., frequens, sæpibus ligneis & truncis Pini insidens; scilicet in Lapponiis meridionalibus latere suecico ad Åsele & Lycksele, & norvegico ad Dovre, Garnæs, Næs, Thynæs & Levanger, vulgatissimus; descendit quoque in provincias Sueciæ medias, & in Medelpad ac Wermelandia a me raro visus. Ad Gusum Ostrogothiæ uterque sexus a D. Prof. *Wahlberg* captus. — Venter glaber. — Tibiæ tarsique interdum picea.

3. *D. lapponicus:* obscure cinereus, epistomate fere toto nigro-barbato, barba menti nivea; thoracis vitta media duplicata maculaque utrinque didyma, fusco-brunneis; abdomine nigro nitido, segmentorum 2 & 3 incisuris, 4 & 5 lineola laterali transversa, albis, ventre basi albo-villoso; alis hyalinis; pedibus nigris nitidis, femori-

bus subtus albo-villosis, tibiis tarsisque nigro-spinulosis. ♂♀. (Long. 2½—3¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 509. 3. ♂♀. — Ejusdem *Dasyp. lateralis* var. b. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali rar.; ad Stensele, Åsele, Stöttingsfjellet & Knaften, Lapponiæ Umensis, 26 Jul. — 1 Aug., parce inveni.

♂♀. Priori similis, sed vere distinctus; scilicet paullo minor, venter præsertim in mare albovillosus; abdominis segmenta 2 & 3 margine apicali fere toto, 4 & 5 lineola laterali, in utroque sexu, alba, alæque etiam in mare hyalinæ. — Affinis quoque *D. lanigero* Meig. & Zell., ille vero adhuc paullo minor & magis lanatus, epistomatis barba alba & abdomine supra nigro immaculato mox dignoscitur. Metatarsus in *A. laterali* & *lapponico* oblongus est, longitudine nempe circiter duorum sequentium articulorum iisque parum crassior.

4. *D. brevirostris:* niger, epistomatis parum convexi concoloris barba nigra aut fusca, menti nivea; thoracis postico longe griseo-piloso; alis hyalinis, basi subinfuscatis; tibiis omnibus basi, posterioribus late, rufis. ♂♀. (Long. 3½ fere 4 lin.).

Mas: epistomatis barba nigra, raro albida, thorace postice albido-piloso, abdomine immaculato brevissime argenteo-pubescente, apparatu sexus sub segmento anali fere retracto; metatarso postico longitudine tibiæ ejusdem paris, basi coarctatæ;

Fem.: epistomatis barba fusca aut ferruginea, thorace postice ferrugineo-piloso, abdomine brevissime ferrugineo-pubescente, maculis utrinque 4 albis, oviductu vaginato, compresso, exserto.

Meig. Dipt. 2. 273. 24. ♂♀. Macq. Buff. 2. 298. 20. ♂♀. *Dasyp. longitarsis* Fall. Asil. 13. 4. ♂. *Dasyp. armillatus* Fall. Asil. 12. 3. ♀.

Hab. in pratis & graminosis per Sueciam meridionalem & mediam, 29 Jun. — 15 Jul., haud frequens; nempe in Scania ad Grönby, D. Candidat. *Kinberg*, ad Esperöd & Tranås, ipse; in Smolandia média, D. *Pontén*, & ad Wassmolösa, ipse; in Westrogothia, D. *Dalman*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Ölandia ad Glömminge.

♂♀. Corpus incurvum, thorace gibbo. Facies lata, oculis valde exsertis. Thorax antice nigro (♂), vel fusco (♀), pubescens. Abdomen subtus albo-, in mare sub ano nigro-pilosum. Alæ hyalinæ, nervis basalibus in ♂ anguste, in ♀ late, fuscedine tinctis. Halteres flavi. Femora subtus albo-villosa. Mas rarissime variat tibiis anticis totis nigris.

5. *D. vitripennis:* niger: epistomatis plani cinerascentis barba grisea, supra brevi, subtus longiori, menti albida; thoracis postico longe griseo-piloso; abdomine utrinque maculis 5 albis; alis hyalinis, basi subinfuscatis; tibiis tarsisque rufis. ♂♀. (Long. 3—$3\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: minor, abdomine brevissime argenteo-pubescente, apparatu sexuali ut in *D. brevirosri*, metatarso postico ut in *D. lapponico & laterali;*

Fem.: thorace obscure cinerascente, dorso brevissime griseo-pubescente, lineis 2 mediis maculaque laterali denudatis nigris, abdomine brevissime ferrugineo-pubescente, oviductu subtriangulariter depresso, subexserto.

Meig. Dipt. 2. 274. 25. exclus. forte syn. *Asil. Hottentotta* Fabr. Entom. Syst. 4. 388. 57. ubi thorax "postice parum hirtus & pedes nigri" dicuntur, quæ notæ nostro non competunt.

Hab. in Succia media rarissime; mas ad Gusum Ostrogothiæ a D. Prof. *Wahlberg* captus, & uterque sexus ad Glömminge Ölandiæ d. 3 Jul. 1817 a me in-

ventus. In ligno populneo, nuper secato, libenter versatur hæc species, observante D. *Wahlberg.*

♂♀. Statura corporis & structura capitis omnino præcedentis. Epistoma magis depressum, & barba superne brevior quam in illo. Alæ basi leviter ferrugineo-tinctæ. Halteres flavi. Femora nigra, subtus albo-hirta; tibiæ anticæ nigræ, basi angustæ rufæ, posteriores rufo-testaceæ, apice nigræ; tarsi omnes rufo-testacei, apice nigri. Pedes in specimine nostro masculo dilutiores, femoribus piceis, & thorax dorso detritus.

6. *D. luteicornis:* niger: epistomatis subconvexi cinerascentis barba albida, supra & infra parce nigra, menti alba; antennarum articulo ultimo luteo; thorace obscure cinerascente, lineis 2 mediis maculisque lateralibus nigricantibus; abdomine utrinque lineis 4 transversis albis; alis infuscatis, basi hyalinis; tibiis tarsisque rufo-ferrugineis. ♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$).

Hab. in Suecia media rarissime; e Smolandia pauca specimina obtinui.

♀. Statura corporis & affinitas magna præcedentis, sed paullo major & distinctus. Similis quoque videtur *D. fulvicorni* Macq. Buff. 1. 296. 15, & *D. elato* Meig. Dipt. 2. 275. 26; sed epistomatis barba alba, nec nigra, & tibiis tarsisque rufis, nec nigris, a *fulvicorni*; & thorace cinerascente, nec rufo, postice non longe piloso, & tarsorum articulis plerisque, nec tantum primo, ab *elato*, satis superque distinctus. Frons lata, nigro-villosa. Epistomatis barba albida, supra & margine laterali parcissime, infra paullo uberius, nigra. Antennarum articulus ultimus totus luteus. Thorax dorso nigro-pubescens, pleuris cinerascentibus, callo humerali atro nitido nudo. Abdomen incurvum nigrum nitidum, tenuiter cinereo-pubescens, incisuris 4 mediis ad latera sat late albis. Anus serie semicirculari spinularum rufarum. Alæ basi hyalinæ, dimidietate posteriori fuscæ præsertim regione

stigmatis. Femora nigra imprimis subtus albo-villosa; tibiæ rufæ, apice anguste nigræ, totæ nigro-pilosæ & spinulosæ; tarsi rufi, spinulis & summo apice nigris; metatarso postico cylindrico, modice elongato.

---

16. DIOCTRIA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, angustatum, sublineare, glabriusculum. *Color* niger, obscurus, *pictura* nulla. *Motu* haud agilis, nisi pro præda capienda. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum; æstivalis; per Sveciam inferiorem. *Metamorphosis* ignota. *Discrimen sexus* ægre investigatur in partibus copulationis satis implicitis; *mas* tamen abdominis medio graciliori magis coarctato, a *femina* abdomine paullo crassiori sublineari, plerumque cito distingvitur, præsertim in feminis gravidis. Per epistomatis alarumque colorem diversum interdum etiam dignoscitur sexus. Oculi in viva unicolores, non lineati.

1. *D. œlandica:* atra, alis concoloribus, epistomatis ad latera flavescentis barba albida, menti nigra; thoracis lineis 2 dorsalibus maculisque pectoralibus, obsoletis, griseo-micantibus; pedibus flavo-rufis, tibiis apice tarsisque nigris. ♂♀. (Long. 5—5½ lin.).

Fabr. Antl. 149. 1. Meig. Dipt. 2. 241. 1. Macq. Buff. 1. 289. 1. ♂♀. Fall. Asil. 6. 1. ♂♀. Zell. Asil. in Isis 1840. 35. 1. *Asilus* Linn. Fn. 1916.

Hab. in foliis fruticum in hortis & lucis Sueciæ meridionalis & mediæ, 1 Jun. — 10 Jul., haud raro; in Scania ubique vulgaris; in Blekingia, Ostrogothia, Westrogothia & Oelandia, passim; supra has provincias rarius occurrit, ex. gr. ad Holmiam, D. *Wahlberg*.

♂♀. Inter nostrates maxima. Oculi œnei. Halteres ut in reliquis flavi. Alæ plerumque atræ cæruleo-nitentes, sed variant nigræ l. brunnescentes.

2. *D. rufipes:* nigra, alis hyalinis, epistomatis pallide flavidi barba alba, menti nivea; thoracis medio lineatim griseo-pubescente, pleuris maculis cano-micantibus; pedibus anterioribus flavo-rufis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 2. 212. 3. Macq. Buff. 1. 290. 3. Zell. Asil. in Isis 1840. 38. 4. v. b. certe. *Asilus* Deg Ins. 6. 243 t. 14. f. 2. *Asilus frontalis* Fabr. Ent. Syst. 4. 388. 55. teste Meig. Dipt. 6. Add. p. 330. *Dioctr. flavipes* var. *β.* ♂♀. Fall. Asil. 7. 2.

Hab. in graminosis & pratis, & humidis & siccis, per Sueciam meridionalem freq., foliis fruticum sæpe etiam insidens, 10 Jun. — 10 Jul. obvia; in Scania circa Lund & alibi vulgatissima; in Blekingia passim; in Ostrog. ad Sudercopiam, D. *Stenhammar;* & Oelandia pass.; ad Holmiam, D. *Wahlberg.* — Femina e Glogavia a D. *Zeller* missa. — Dania, *Stæger.*

♂♀. Thoracis dorsum totum pube brevi grisescente in medio in lineas digesta tectum. Abdominis incisuræ anguste flavæ. Alæ hyalinæ, ima basi ferrugineæ. Pedes anteriores flavo-rufi, tibiarum apice tarsisque fuscis; postici nigricantes, femorum tibiarumque basi genubusque summis rufis. Varietatem femineam alis basi latius ferrugineo-fuscis semel inveni in Scania; & aliam etiam sexus feminei epistomate subargenteo, ad Fogelsång Scaniæ Jul. 1840 legit D. *Kinberg.*

3. *D. flavipes:* nigra, alis hyalinis, epistomatis argentei barba paucissima alba, menti nivea; thoracis medio lineatim griseo-pubescente, pleuris maculis canomicantibus; pedibus anterioribus totis, posticisque femoribus ad maximam partem; tibiisque basi, flavo-rufis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fall. Asil. 7. 2. var. *α.* & *γ.* genuina. (exclus. Syn. Meig. & forte etiam *hyalipennis* Fabr.). *D. rufipes* Zell.

Asil. in Isis 1840. 38. 4. var. d. vera. *D. varipes* Meig. Dipt. 2. 245. 8. ♂♀. certe. Macq. Buff. 1. 290. 5.

Hab. in foliis fruticum in Sueciæ inferioris nemoribus, 24 Jun. — 28 Aug., vulgaris, longius versus septentrionem quam antecedentes procedens; nempe per totam Scaniam copiose; in Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia & Uplandia etiam ubique frequens; In Helsingia ad Löfvik & Jerfsö haud raro quoque inveni; ad Thynæs & Levanger Norvegiæ etiam plura exempla utriusque sexus legi. — Tandem simillima specimina e Selandia a D. *Stæger*, & ex Hamburgo a D. *Dahlbom* obtinui.

♂♀. Priori semper minor & notis allatis constantibus distincta, nec varietates medias l. transientes unquam inveni. Barba epistomatis parcissima. Macula nigra nitida sub antennis. Thorax dorso griseo-pubescens, lineis 2 denudatis nigris. Collum glaberrimum nitidum. Abdominis incisuræ tenuissime pallidæ (♀). Alæ hyalinæ, basi vix infuscatæ. Pedes anteriores ut in priori; postici: femora rufa, annulo medio lato & linea superna longius vel brevius utrinque extensa, interdum fere usque ad apicem producta, nigris; tibiæ nigræ, apice subincrassatæ, summa basi rufæ; tarsi toti nigri, metatarso cylindrico modice crasso, quam articulo sequente triplo longiori. Oculi æenei. — In centum & ultra individuis, quæ examinavi epistoma semper argenteum, colorem picturamque pedum ut supra descripta ceterasque notas allatas constantes inveni, nec *flavipedem* cum *rufipede* cohabitantem observavi, quare ambas ut distinctas species indubius affero, invito Cel. D. *Zeller.*

4. *D. fuscipennis:* nigra, pedibus totis concoloribus, halteribus flavis; *mas:* barba epistomatis nigricantis opaci, mentique, atra, alis dimidiato-nigris; *femina:* barba epistomatis nitidi argentei l. flavidi alba, menti fusca, alis fusco-hyalinis, basi obscurioribus. ♂♀. (Long. ♂ 2½—3½, ♀ 3—4 lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine pedibusque nigris, epistomate feminæ pallide flavo.

Fallén Asil. 7. 3. ♀. Zell. Asil. in Isis 1840. 35. 2. ♂♀. *Dioctr. atricapilla* Fall. l. c. 4. ♂. Meig. Dipt. 2. 253. 25. ♂. *D. atrata:* l. c. 254. 26. ♂. (specimina illæsa), & 6. p. 330. *D. nigripes* Meig. 2. 246. 10. ♀. Macq. Buff. 291. 7. ♀. *D. atricapilla* Arhens. Fn. Europ. fasc. 2. f. 23. ♂.

Var. b. ♀. epistomate argenteo.

Dioctr. Falleni Meig. 2. 246. 11. *D. fuscipennis* var. feminea Zell. l. c. Fall. l. c. var.

Var. c. ♀. abdomine pedibusque lividis aut rufo-ferrugineis; individua forte nuper exclusa.

Hab. in hortis & pratis, locis aridis & apricis, in zicksack volans (uti recte observavit oculatissimus D. *Zeller)*, l. culmis insidens, per Sueciam meridionalem & mediam (sed vix supra Ostrogothiam versus septentrionem procedens), 5 Jun. — 26 Jul., passim freq. & in societate; nempe var. a. in Scania, Ölandia & Gottlandia, ubique vulgaris; in Blekingia passim; in Smolandia & Ostrogothia rarissime; & ad Holmiam, D. *Wahlberg.* — E Dania a D. *Stæger*, e Finlandia a D. Prof. *Sahlberg*, & uterque sexus e Glogavia a D. *Zeller*, missus. — Var. b. cum var. a. in Suecia sæpe occurrit, etiam in Hamburgo a D. *Dahlbom* lecta; sed var. c. non nisi rarissime circa Lund Scaniæ a me inventa, & semel etiam a D. *Marklin* communicata ut Sueciæ incola.

♂♀. Barba ex pilis paucis constat. Macula atra nitida obcordata sub antennis. Alæ breviusculæ. Incisuræ abdominis tenuissime albæ. Pedes postici intus brevissime sed dense cinereo-pubescentes. Spinulæ tarsorum in ♂ nigræ l. rufæ, in ♀ semper rufæ. Thoracis dorsum in ♀ breviter

griseo-pubescens, lineis 2 denudatis nigris. — Observationem magni momenti, *D. atricapillam & fuscipennem* Falleni non ut specie sed sexu tantum differe, meritissimo D. *Zellero* primo debemus. Copulatione visa adhuc quidem non. nititur, sed structura ani affirmatur.

---

17. LEPTOGASTER Meig.

Corpus medium aut minus, glabriusculum, angustum, abdomine fragili elongato, sublineari, alis brevibus. *Color* cinereo-griseus, opacus, absque pictura. *Motu* non agilis. *Habitatio* in graminosis pratorum. *Sexus* secundum structuram ani etiam externe dignoscitur. Oculi in utroque sexu æneí, unicolores.

1. *L. cylindricus:* cinerascens, thoracis dorso vittis 3, abdominisque media, brunnescentibus; pedibus flavis, nigro-lineatis; alis hyalinis, abdomine dimidio brevioribus. ♂♀. (Long. 2—4 lin.).

Mas: ano nigro, breviter exserto, griseo-pubescente, forcipe apice inflexa;

Fem.: genitali sub abdominis segmento ultimo paullo elevato, scutiformi, retracto; in copula.

Meig. Dipt. 2. 313. 1? ♂♀. Zell. Asil. in Isis 1840. 42. 2. ♂♀. *Asilus* Deg. Ins. 6. 219. 10. t. 14. f. 13. *Gonypes* Latr. gen. 1. 301. Macq. Buff. 1. 315. 1. *Dasypog. tipuloides* Fabr. Antl. 172. 37. *Leptogaster tipuloides* Fall. Asil. 13. 1. ♂♀. (exclus. Syn. *Asilus tipuloides* Linn. Fn. Sv. 1915, qui *Empis tessellata* var. nobis est).

Hab. in lucis & pratis, libenter in graminosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 22 Jun. — 6 Aug., vulgaris; nempe in Scania tota frequentissimus; in Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia etiam haud raro inventus;

in copula sæpissime captus; in Wermelandia rarissime; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in terris magis borealibus vix obvius. — E Finlandia & Dania specimina quoque obtinui; sed in Norvegia a me frustra quæsitus.

♂♀. Epistoma angustum, album l. flavidum, barba tenui alba. Antennæ nigræ, articulo 2:do ferrugineo. Thorax postice utrinque setis 2. Abdomen alis hyalinis fere duplo longius. Halteres flavi, clava dilute brunnea. Pedes flavi, femoribus basi dilutioribus. Femora & tibiæ anteriora apice puncto nigro; femora postica in parte posteriori utrinque linea nigra; tibiæ posticæ fere ad totam longitudinem utrinque nigro-lineatæ, & apice late indeterminate nigræ; tarsi cum ungvibus toti atri, metatarso basi latissime flavo. Magnitudine valde variat. In individuis Gottlandicis pedes magis rufescentes & tibiis etiam anterioribus nigrolineatis.

2. *L. guttiventris:* cinerascens, thoracis dorso vittis 3 brunneis, abdomine supra brunnescente, incisuris glaucis; pedibus flavis, tibiis intus, femorum posticorum annulo apicali, tarsorumque omnium articulis 4 ultimis, nigro-brunneis; alis hyalinis abdomine paullo brevioribus. ♀ (Long. 3 lin.).

Stæger in litteris; forte etiam *L. cylindricus* Meig. Dipt. 2. 343. 1. (exclus. Synon. plerisque).

Hab. in Succia rarissime; in Scania semel captus; specimen simillimum sub nomine allato etiam a D. *Stæger* e Dania communicatum.

♀. Similis priori, sed in multis differt. Epistoma album. Abdomen dorso fusco-brunneum, incisuris glaucis, unde abdomen e superno inspectum maculis oblongo-quadratis brunneis cum transverso-quadratis glaucis alternantibus ornatum videtur. Alæ longitudine tertiæ partis abdominis. Pedes luteo-flavi, femorum posticorum annulo ante apicem, tibiis omnibus latere interiori, metatarsis apice, ceterisque

articulis tarsorum totis, nigro-brunneis. Reliqua ut in specie priori.

---

18. BOMBYLIUS Linn.

Corpus majoris aut mediæ magnitudinis, breviter ovatum, tomento denso, tactu facile delebili, tectum. ***Color*** corporis niger, vestitu (in nostris) flavescente. ***Motus*** velocissimus, meteoricus: in aëre momento quasi suspensus hæret, mox citissime avolans. ***Habitatio*** vernalis & æstivalis. ***Larvæ*** plantarum radicibus victitant. ***Imagines*** campos, loca arida arenosa & hortos quærunt, e floribus Salicum aliarumque mel sedulo colligunt, ante florem, more Sphingidum, volitando, pendentes; terræ interdum insidentes. ***Differt sexus; mas:*** oculis in fronte connexis, ***femina:*** contiguis. Oculi utriusque sexus in vivo ænei, unicolores.

Sect. 1. Alarum nervuli transversi ordinarii discoidales non oppositi, h. e. anticus paullo longius quam posticus a basi alæ remotus. Majores.

1. *B. major:* flavo-hirtus, barba epistomatis conici fusca longa, menti nivea; antennis sublinearibus; fascia ventrali, in latera assurgente, nigra; alis hyalinis, ad costam sinuato-fuscis, fuscedine maculam ad apicem nervi longitudinalis 2:di formante; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. 3—4½ lin.).

Fabr. Antl. 128. 1. Linn. Fn. 1918. Fall. Bombyliar. 9. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 190. 5. Macq. Buff. 1. 377. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 510 1. ♂♀. Zell. Bombyl. in Isis 1840. 21. 6. ♂♀. *B. sinuatus* Mikan. Mon. 35. t. 2. f. 4.

Hab. in floribus Salicis cinereæ &c., per Sueciam, 13 April. — 7 Jun., rarius; in Scania ad Lund, Abusa & Fogelsång; in Ostrogothia ad Rismarken prope Wad-

stena; in Uplandia ad Holmiam', D. D. *Wahlberg* & *Stenhammar*; in Jemtlandia, D. *Boheman*; ad Torneå & Kengis Lapponiæ, rarissime, ipse. — In sylvis Daniæ mens. Maj. non freq., teste D. *Stæger*.

♂♀. Antennæ articulis basalibus longe nigro-pilosis, ultimo longissimo, præsertim in ♂ lineari. Epistomatis barba fusca, media lutescens. Thoracis macula lateralis nigra. Tarsi 4 ultimi nigricantes.

2. *B. medius:* rufescenti hirtus, hirsutie ani pallida, barba epistomatis conici longa fusca, menti nivea; antennis sublinearibus, ventre nigro-piloso; alis hyalinis, punctis 10—12 margineque costali, fuscis; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. 4—4¾ lin.).

Linn. Fn. Sv. 1919. certe (nam nullus alius alis punctatis in Suecia occurrit cum quo confundi potest). Fabr. Antl. 129. 5. Deg. Ins. 6. 269. t. 15. f. 12. Meig. Dipt. 2. 196. 13? Fall. Bombyl. 10. 2. verus. *B. discolor* Macq. Buff. 1. 378. 8. ♂, videtur. Meig. Dipt. 7. 66. 55. *B. concolor* Meig. Dipt. 2. 197. 14. Zell. Bombyl. in Isis 1840. 20. 5. ♂♀. verus (secundum specimina communicata Suecicis in omnibus simillima).

Hab. in floribus, libenter Lychnidis Viscariæ, per Sueciam meridionalem & mediam, Jul., rarius; in Scania ad Lund; in Ostrogothia ad Egebylund prope Lärketorp, ipse, ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Uplandia ad Upsalam, D. *Fallén*. — ♀ e Silesia sub nom. "*concolor*" a D. *Zeller* missa, & ♂ sub eodem nomine a D. v. *Winthem* in Gallia meridionali captus nobis communicatus, nostro *B. medio* omnino convenientes.

♂♀. Præcedenti in omnibus simillimus, nec differt nisi magnitudine paullo majori, alis margine costali minus intense fuscis & parte inferiori hyalina, punctis 9—12, plerisque in

nervis transversis vel longitudinalium apice sitis, ut & hirsutie ani dilutiori.

3. *B. albibarbis:* rufescenti hirtus, hirsutie subtus anique albida, barba epistomatis parum conici breviuscula alba, menti nivea; antennis longioribus sublinearibus; alis hyalinis, margine costali basi infuscato; halteribus pallidis; pedibus testaceis, genubus puncto articulisque tarsorum 4 ultimis nigricantibus. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: antennarum articulo ultimo longissimo, lineari, alis margine costali & disco late & intense bruneo-fusco;

Fem.: antennarum articulo ultimo longo, sublineari, alis margine costali basi anguste & langvide fusco.

Hab. in Scania rarissime; in littore arenoso maris baltici ad Sandhammar utrumque sexum d. 14 Aug. 1838 invenit D. *Dahlbom.*

♂♀. *B. medio* duplo minor, sed *B minore*, cui proxime accedit, duplo major. Antennæ longæ, lineares, barba alba & punctum femorum apicale speciem distingvunt. Barba epistomatis alba, serie utrinque pilorum nigrorum. Frons alba. Pleuræ, pectus, venter totus & anus, albo-tomentosa. Pili nigri, in incisuris abdominis dorsi seriatim positi, ut in plerisque adsunt. Antennæ subtus longe albo-pilosæ. Nervi alarum longitudinales 2 & 3 non exacte paralleliter curvati, sed ad angulum areæ discoidalis ultimæ paullo magis distantes, omnino ut in *Bomb. postico* Auctor. Haustellum elongatum etiam ut in illo. Pedes testacei, puncto antico in genubus, & tarsis, nigris, metatarso fusco l. testaceo. Alarum costa basi depressim albo-pilosa & nigro-pectinata.

4. *B. pumilus:* rufescenti hirtus, hirsutie subtus anique pallida, barba epistomatis parum conici breviuscula flava, menti nivea; antennis longioribus sublinearibus; alis hyalinis, margine costali basi infuscato; halteribus flavis; pedibus testaceis, articulis tarsorum 3 ultimis nigricantibus. ♂♀. (Long. 3—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 209 33. ♂♀. Macq. Buff. 1. 381. 15. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media passim, 13 Jul. — 12 Aug. obvius; nempe in Scania ad Lund & Krageholm; in Ostrogothia ad montem insignem Omberg; & in Gottlandia ad Martebo. — Etiam specimen femineum in Jutlandia boreali Daniæ captum & sub synon. allatis a D. *Stæger* missum lustravi, nostris ut ovum ovo simillimum.

♂♀. Magnitudo & antenarum sructura etiam secundum sexum ut in *B. postico.* Similis priori. Barba tota flava. Alæ etiam quoad nervorum directionem ut in præcedente, sed fuscedine minus lata & distincta. Venter totus pallido-tomentosus. Antennæ in femina lanceolato-elongatæ. Punctum nigrum in genubus nullum.

5. *B. minor:* rufescenti hirtus, hirsutie subtus anique pallida; barba epistomatis parum conici breviuscula flavida, menti nivea; antennis breviusculis sublinearibus; alis hyalinis, margine costali basi ferrugineo, halteribus flavis; pedibus flavo-testaceis, tarsorum articulis 2 ultimis fuscis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Linn. Fn. Sv. 1920 genuinus. Fabr. Antl. 132. 18. Fall. Bomb. 10. 3. ♂♀. certissime; synonym. reliquorum auctorum dubia.

Hab. in campis arenosis, flores Thymi Serpylli aliarumque plantarum humiliorum visitans, per Sveciam meridionalem & mediam, 8 Jul. — 2 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa &c.; in Smolandia ad Berga; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp & in Wadstena-löt freq.; in Gottlandia ad Kjellunge; & in Wermelandia in horto prædii Bråte, D. *Fallén.*

♂♀. Priori iterum paullo minor, illi affinis & similis. Antennæ breviores quam in illo, articulo secundo brevissimo, ultimo breviusculo, in ♀ lanceolato. Pili aliquot nigri in vertice & in incisuris abdominis. Corpus de cetero totum supra rufescenti, infra pallido- vel albido-tomentosum. Alæ hyalinæ, margine costali usque ad stigma, in ♂ paullo latius & intensius, in ♀ anguste (vix nisi nervo subcostali) & dilutius rufo. Ima basis depressim albo-hirta, sed ciliæ nigræ nullæ. Reliqua ut in diagnosi vel in priori.

Obs. Specimina (4 mares & 2 feminæ), quæ sub nomine *B. minor* e Silesia mihi misit D. *Zeller*, nostro *B. minori* dimidio majora sunt & ab illo aperte differunt: antennis longioribus, basi nigro-pilosis, haustello longiori & validiori, epistomate magis exserto, barba longiori, laterali nigra, alis costa basali subinfuscata, nec ferruginea, halterum clava nigra, & pedibus præter tibiarum basin testaceam fuscis; hæc ad *Bomb. minorem* Meig. sine dubio referenda, sed minime ad speciem Linneanam. Nec talia in Svecia occurrunt.

Sect. 2. Alarum nervuli transv. ordin. discoidales ante medium alæ oppositi, h. e. æqualiter longe a basi remoti. Minores.

6. *B. aurulentus:* aureo-hirtus; barba epistomatis exserti longiori nigricante, menti alba; antennis brevibus, articulo ultimo conico; alis hyalinis, magine costali basi anguste infuscato; halteribus flavis; pedibus fuscis, tibiis testaceis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 201. 19. ♂.

Hab. in arenosis juxta silvas per Sueciam mediam, 20 Jun. — 15 Jul., rar.; scilicet in insulis Ölandia ad Glömminge, & Gottlandia ad Wamblingbo utrumque sexum inveni.

♂♀. Magnitudo fere *B. minoris* Linn. Affinis & similis sequenti. Totus dense aureo-tomentosus, nitidus, subtus parum pallidior; pilis aliquot nigris in incisuris posticis abdominis. Barba epistomatis media quidem flava, sed a barba laterali nigra fere undique tecta, & inde ægra visu. Antennæ basi elongatæ, nigro-pilosæ, articulo ultimo antecedentibus simul sumtis fere breviori, conico Frons (♀) nigro-pilosa. Alæ hyalinæ, costa usque ad stigma anguste & langvide infuscata, ima basi nigro-pectinata. Nervi longitudinales 2 & 3 ad apicem exacte paralleliter curvati. Pedes fusci, tibiis jam basi jam totis fere rufo-testaceis.

7. *B. minimus:* pallide flavo-hirtus; barba epistomatis exserti longiori, nigricante, menti alba; antennis brevibus, articulo ultimo conico; alis hyalinis, margine costali basi anguste infuscato; halteribus flavo-albis; pedibus fuscis, tibiis basi testaceis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Fabr. Antl. 133. 19. Meig. Dipt. 6. 325. Fall. Bomb. 10. 4. ♂♀. certe. Zell. Bomb. in Isis 1840. 15. 2. ♂♀. verus. *B. fulvus* Meig. Dipt. 2. 205. 25. Sub nom. "*B. sulphureus* Mikan" a D. *Sturm* missus in Museo Falleni hic asservatur; & sub nom. *B. sulphureus* Fabr. ut Germaniæ incola a D. *Drewsen* idem communicatus.

Hab. in arvis & campis arenosis, per Sueciam meridionalem & mediam, mense Julio, passim; scilicet in Scania ad Kjeflinge, Sandby, Esperöd &c. freq; in Ölandia ad Glömminge, & in Gottlandia ad Gothem, Storugns & Kappelshamn. — E. Silesia utrumque sexum, nostro in omnibus simillimum, a D. *Zeller* obtinui.

♂♀. Minimus nostratum. A priori, cui alias similis, differt, magnitudine fere duplo minori, tomento totius corporis pallidiori & in abdomine transverse seriatim disposito, pilis nigris in incisuris abdominis paullo frequentioribus, & pedi-

bus magis obscuris, tibiis scilicet vix nisi basi testaceis. Barba epistomatis forte etiam minus densa, fere tota nigra, pilis tantum paucis flavis in medio mixta. Reliqua ut in antecedente.

---

19. PHTHIRIA Meig.

Corpus parvum, oblongum, pubescens. *Color* obscure cinereus. *Motu* agilis. *Habitatio* in arenosis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte connexis; *femina:* oculis in fronte distantibus.

1. *P. pulicaria:* obscure cinerea, pedibus concoloribus; alis albo-hyalinis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Mas: nigro-cinerascens immaculatus, pubescentia corporis erecta, albida, barba epistomatis valde exserti supra nigra, infra mentique nivea, halteribus albis, clava supra macula nigra;

Fem.: cinerea, parce flavo-maculata, pubescentia corporis depressa, nitida, flavida, barba epistomatis exserti tenui albida, halteribus niveis; in copula.

Meig. Dipt. 2. 219. 3. ♂♀. Zell. Bomb. in Isis 1840. 23. 3. ♀. *Bombylius* Mikan Mon. 58. f. 14. *Volucella campestris* Fall. Bomb. 11. 1. ♂♀.

Hab. in campis arenosis prope terram volans, Thymum, Jasionem montanam &c. frequentans, per Sueciam meridionalem & mediam, pass., 8 Jul. — 16 Aug.; scilicet in Scania ad Kjeflinge, Abusa, Esperöd, Östra Torp &c., freq., sæpe in copula capta; in Ostrogothia in Wadstena-Löt rar.; in Ölandia, D. *Wahlberg*; In Gottlandia ad Stenkyrka & Wamblingbo, passim.

♂♀. Parva. ♂: thorace & scutello immaculatis; ♀: epistomate utrinque, orbita oculorum faciali, thoracis linea laterali ab humeris ad radicem alarum ducta, scutellique ma-

cula media apicem totum tegente, flavo-albidis. Sed variat hæc pictura distinctior vel obsoletior. — Inter specimina 50 & ultra mascula, quæ examinavi, 2 inveni epistomate seu frontis parte antica parum prominente & tenuiter albo-pilosa, sed in omnibus aliis simillima genuinæ, cum qua mixta deprehendi; an specie distincta?

20. ANTHRAX Scop.

Corpus magnum, obtuse ovatum, subdepressum, hirsutum. *Color* niger, hirsutie nigra l. flava. *Pictura* punctis l. sæpe fasciis nivea. *Motu* celerrima: volatu velocissimo, a loco, ubi sedem habuit, perterrita aufugit; captu inde dificillima. *Habitatio* in campis, pascuis, ad vias, locis aridis; in sæpibus, parietibus, soli expositis, etiam in terra, rarissime in floribus, sedens, mens. Jun. & Jul. viget. *Larvæ* aut in terra degunt, ovis a matre (corpore fere perpendiculariter erecto & oviductu in arena emisso) depositis, exclusis; aut parasitæ in larvis Lepidopterorum vivunt. *Differentia sexus* ægre observatur; oculi vero in fronte *feminæ* paullo latius distant, hujusque anus sæpe paullo magis acuminatus, quam *maris* deprehenditur.

Sect. 1. Corpus flavescenti tomentosum. Alæ hyalinæ, interstitio inter nervum costalem & primum longitudinalem ferrugineo-brunneo; costa ima basi atro-pectinata. Habitatio sæpe ad margines silvarum. Ova in Lepidopterorum larvis deponuntur.

1. *A. flava:* supra dense æqualiter flavo-tomentosa, ano maculis tribus nigris duabusque pallide flavis; squama antealari squamulis nigris, ad marginem interiorem flavidis, tecta. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 143. 1. Macq. Buff. 1. 403. 8. *A. hottentotta* Latr. Gen. 4. 310. Fall Anthracides. 9. 6.

var. magna. *Musca.* Linn. Fn. 1787 vix hujus. Qvoad Metamorphosin conferatur observatio Cel. *Wahlbergi* in Actis Holmiensibus 1838 allata.

Hab. locis apricis per Sueciam meridionalem & mediam passim, 24 Jun. — 30 Jul.; in Scania, Ostrogothia & Ölandia haud raro; in Gottlandia ad Kjellunge, Storugns & Cappelshamn, pass., die 27 Jul. e nympha declarata; ad Marstrand & Holmiam, D. *Wahlberg*, *) sed vix supra Uplandiam procedens. — Ex Aboa a D. Prof. *Sahlberg* missa.

♂♀. Maxima nostratum. Oculi in fronte feminæ paullo latius distant, quam in mare, alias uterque sexus similis. Fasciculi abdominis nigrorum pilorum tres maculas ad anum formant, unam ad singulum latus & tertiam in medio.

2. *A. circumdata:* supra flavo-tomentosa, abdomine flavo-cingulato, ano maculis tribus nigris duabusque albis; squama antealari in mare argentea. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Meig. Dipt. 2. 143. 2. ♂♀. Macq. Buff. 1. 403. 9. ♂♀. *Musca hottentotta* Linn. Fn. 1787? *Anthrax* Fall. Anthr. 9. 6. var. β ♂♀. certe. — Forte etiam Fabr. Antl. 260. 16, *Anthr. cingulatus* Ahrens. Fn. Eur. fasc. 3. f. 19.

Hab. in arenosis & sabulosis, per Sueciam mediam & meridionalem, 2 Jul. — 17 Aug., passim, ocissime volitans; in Scania ad Lund, Sandhammar, Östra Torp &c. haud freq.; in Ostregothia, vulgaris; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; & ad Öfver-Hogdal in Härjedalia (supra quam provinciam vix procedit) rarius.

---

*) qui pupam e pupa *Mamestræ Brassicæ* obtinuit.

♂♀. Similis priori, a qua vero differt: magnitudine minori, tomento corporis tenuiori, segmentorum fasciolis flavis per tomentum tenue evidentius translucentibus, maculis ani 2 albidis, nec pallide flavis, ut & squama antealari in mare nivea seu squamulis argenteis, nec nigris, tecta. Abdomen supra, in ♂ postice cingulis duobus, antico interupto, omnino ut in figura Meigeni *A. cingulati*, tenacius adhærentibus, flavis; in ♀ cingulis 4 flavis, alternatim angustioribus.

3. *A. cingulata:* supra flavo-tomentosa, abdomine flavo-cingulato, ano maculis tribus nigris duabusque flavis; squama antealari in mare pallide flava. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ raro 4 lin.).

Meig. Dipt. 2. 145. 3. ♂♀. t. 17. f. 9. ♂. Macq. Buff. 404. 12. ♂♀. Zell. Anthr. in Isis 1840. 26. 1. ♂♀. vera. — Sub variet. *β. A. hottentottæ* Fall. hæc etiam latet secundum Ejus Museum. — An hæc aut præcedens sit genuina Linnæi *M. hottentotta* difficile est dictu. — Sub nomine *A. sabæus* feminam cum pupa e Finlandia a D. *Sahlberg* obtinui.

Hab. cum præcedente fere iisdem locis & temporibus; in Scania & Ölandia rar; in Ostrogothia frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. — E Silesia ♂♀ a D. Zeller missi.

♂♀. Priori similis & valde affinis, plerumque tamen paullo minor. — Differt in primis squama antealari in ♂ pallide flava, nec nivea, & maculis 2 analibus in utroque sexu flavis, nec albis. Ab *A. flava* magnitudine semper fere duplo minori, tomento tenuiori, fasciis abdominis magis perspicuis & squama antealari in ♀ flavida, nec nigra. Tomento facile delebili detrito, observantur in abdomine maris postice cinguli (in illæsis 3) 2 flavi ut in *circumdata*, & in feminæ, cinguli 6 alternatim angustiores, medius fere latissimus.

Sect. 2. Corpus nigrum & nigro-pubescens. Alæ variegatæ. Ova in arenosis deponuntur.

4. *A. morio:* atra, collari regioneque hallerum obscure fulvo-villosis, alis dimidiato-hyalinis, halteribus albidis. ♂♀. (Long. 2—4 lin.).

Panz. Fn. 32. f. 18. Fall. Anthr. 7. 2. ♂♀. certe. Latr. Gen. 4. 208. Zett. Ins. Lapp. 521. 2. ♂♀. (excl. syn. *A. afra* Fabr.). Zell. Anthr. in Isis 1840. 31. 5. ♂♀. *A. semiatra* Meig. Dipt. 2. 157. 25. (excl. syn. *Musca morio* Linn.). Macq. Buff. 1. 405. 18.

Hab. locis aridis apricis, per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jun. — 24 Jul., pass.; in Scania ad Esperöd rar; in Blekingia circa Carlscrona, freq., D. *Aspegren;* in Ostrogoth. ad Wadstena &c., passim; in Ölandia ad rudera arcis Borgholm, copiose; in Gottlandia ad Wamblingbo, Slitö, Ahlskog, freq.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

5. *A. maura:* atra, collari regioneque hallerum flavo-villosis, thoracis vitta laterali abdominisque segmenti primi & qvarti margine, niveo-pilosis; alis nigris, margine interiori hyalino bisinuato, halteribus albidis. ♂♀. (Long. 1½—4 lin.).

Fabr. Antl. 121. 12. Fall. Anthr. 7. 3. ♂♀. Panz. Fn. 32. f. 19. Zett. Ins. Lapp. 521. 3. ♂♀. Zell. Anthr. in Isis 1840. 30. 4. *Musca* Linn. Fn. 1785. *A. bifasciata* Meig. Dipt. 2. 156. 24. Macq. Buff. 405. 17.

Hab. in campis arenosis, ad vias, margines silvarum &c., 21 Jun. — 1 Aug., per totam Sueciam usque ad limitem Lapponiæ, ubique frequens; in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia, præsertim frequenter a me visa; in Uplandia ad Holmiam a D. *Wahlberg*

capta; in provinciis magis borealibus tamen rarius occurit. — E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* missa.

Obs. *Anthr. afra* Fabr. (*A. fimbriata* Meig) huic valde similis, sed alis hyalinis costa basi anguste nigra mox dignota, in Scandinavia non occurrit quantum novi.

6. *A. sinuata:* atra, abdomine fasciis interruptis niveis subobsoletis, alis halteribusque fusco-nigris, illis apice & dimidio margine interiori oblique sinuatimque, hyalinis, curvatura nervi tertii longitudinalis ad apicem nigro-maculata. ♂♀. (Long. 2—4¼ lin.).

Fall. Anthr. 6. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 159. 28. (in t. 17. f. 18 alæ sinus-non rite delineati). Macq. Buff. 406. 20. Zett. Ins Lapp. 520. 1. ♂♀. Zell. Anthr. in Isis 1840. p. 31. 6. ♂. *Musca morio* Linn. Fn. 1781. *Anthrax* Fabr. Antl. 120. 9.

Hab. in hortis, pratis, sæpibus & parietibus ligneis, soli expositis, sæpe etiam in terra arida ad margines silvarum, 24 Jun. — 2 Aug., a Scania, usque ad Lapponiam septentrionalem, passim; in Ostrogothia, Gottlandia, Uplandia & Gestricia, vulgaris; in Lapponiis meridionalibus Lycksele & Stensele etiam frequens; sed in provinciis Sueciæ meridionalibus rarius occurrit, & in Scania non nisi rarissime lecta. Conferatur præterea quod de hujus speciei metamorphosi in Ins. Lapp. l. c. observatum attuli.

7. *A. fenestrata:* nigricans, supra parce aureopubescens, scutello rufescente, collari fulvo-villoso, alarum radice antice posticeque macula, abdominis medio fasciis 2 interruptis anique puncto duplicato, e pilis niveis; alis dimidiato-fuscis, maculis 2 ternatis & 2 geminatis, hyalinis, halteribus albidis. ♂♀. (Long. 3—4¼ lin.).

Fall. Anthr. 8. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 169. 43. Macq. Buff. 1. 408. 27. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 5. 21. 4. ♂♀. Zell. Anthr. in Isis 1840. 32. 8. *Asilus morio* Linn. Fn. 1917. Sub. nom. *Anthr. Pandora* Fabr. eandem ut Germaniæ incolam a D. *Drewsen* oblinui.

Hab. in campis arenosis Scandinaviæ, 2 Jul. — 30 Aug., passim; femina ova in arena deponens circa medium mens. Julii pluries visa; in Scania & Lapponia rarius; in interjacentibus provinciis ex. gr. in Smolandia ad Berga, in Ostrogothia ad Lärketorp, Godgård, Wadstena, Gusum &c.; in Ölandia ad Borgholm, et in Gottlandia ad Westö, Lummelund, Stenkyrka, Wamblingbo &c., frequens.

Obs. Appendix l. nervulus inchoans in nervo curvo apicali, de quo mentionem facit Cel. *Zeller* l. c. in speciminibus 28, quæ ante oculos habeo, ne in rudemento quidem deprehenditur.

8. *A. æthiops:* nigra, abdominis basi utrinque albo-pilosa, incisuris segmentisque 3 ultimis argenteo-squamosis; alis hyalinis, punctis 2 basique sinuata nigris; halteribus nigris, clava subtus nivea. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Fabr. Antl. 125. 19. Ent. Syst. 4. 259. 11. Fall. Anthr. 8. 5. certe. (An *A. punctata* Meig. Dipt. 2. 161. 31. aut ejusdem *A. leucogaster* p. 163. 34.?)

Hab. locis aridis ad vias &c., in sæpibus, soli expositis, in Suecia media, 3—27 Jul., pass.; scilicet in Ostrogothia in Häradshammar, D. *Stenhammar*, ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, Wadstena & Omberg, freq., ipse; in Ölandia rar.; in ceteris Sueciæ provinciis a me non visa.

♂♀. Nigra & nigro-hirta. Antennæ apice pilosulæ. Thorax ad latera & pectus pilis nigris & albis mixtis. Abdomen basi utrinque fasciculo pilorum alborum. Segmenta margine argenteo-ciliata, & tria ultima fere tota argenteo-squamosa, in singulo macula media trigona nigra parum distincta. Alæ hyalinæ, basi & costa fere usque ad stigma inæqualiter nigræ, nigredine ad costam confluente, vix nisi sinu unico hyalino mox ante apicem nigredinis intrante, fere ut in fig. 21 (*A. leucogast.*) Meigeni. In parte hyalina & quidem in furcatura nervorum adsunt puncta 2 nigra, posterius majusculum. Nervi 2 apicales non exacte paralleliter curvantur. Feminea individua, oculis paullo magis distantibus a masculis facile dignota, nunquam nisi abdomine detrito inveni.

9. *A. varia:* nigra, abdominis basi utrinque albo-pilosa, incisuris segmentisque 3 ultimis argenteo-squamosis, alis hyalinis, basi maculisque 3 costalibus aut discretis (♂), aut cohærentibus (♀), totidemque punctis in parte hyalina, nigris; halteribus nigris, clava subtus nivea. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Fabr. Antl. 122. 18. ♂. Ent. Syst. 259. 10. ♂. Meig. 2. 163. 33. t. 17. f. 10. ♂. Macq. Buff. 407. 23. *A. æthiops* var. Falléni Museum.

Hab. in arenosis locis apricis, in Suecia media, 11 Jun. — 17 Jul, passim rarius; scilicet in Smolandiæ Calmaria ad Berga; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp, ipse; in Gottlandia ad Sanda & Wamblingbo. — E Silesia ♀ a D. *Zeller* mihi communicata.

♂♀. Priori simillima, nec differt nisi pictura alarum. Alæ hyalinæ, in mare basi macula magna dilatata, & ad costam maculis 2 discretis, punctisque 3 in parte hyalina & qui-

dem in furcatura nervorum, nigris; in femina punctis 3 ut in mare, & nigredine costali ut in *A. æthiope.* — Tantum ut varietates unius ejusdemque species *A. æthiopem & variam* considerarem, sed cum ex ambabus uterque obvenit sexus, illas ut distinctas existimandas esse credo.

---

21. LOMATIA Meig.

Corpus (in nostra) minoris magnitudinis, oblongum, sublineare, parum pubescens. *Color* niger, *pictura* abdominis flavo-fasciata. *Motu* agilis. *Habitatio* in aridis. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* oculis in fronte connexis, a *femina:* oculis discretis facile dignoscitur.

1. *L. lateralis:* nigra subnitida, thoracis dorso ferrugineo-hirto; abdominis incisuris flavis; ventre rufescente; alis hyalinis, costa infuscata. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Mas: abdominis basi lateribus non maculatis; alarum costa a basi ultra medium cuneatim fusca;

Fem.: abdominis segmentis 2 & 3 ad latera rufo-maculatis, alarum costa a basi ultra medium indeterminate fusco-brunnea.

Meig. Dipt. 6. Add. p. 321. Macq. Buff. 1. 411. 2. ♂♀. Zell. Anthr. in Isis 1840. 24. 1. ♂♀. *Stygia lateralis* Meig. Dipt. 2. 140. 3. ♂♀. *Anthrax Belzebul* Panz. Fn. 45. f. 16.

Hab. in Suecia rarissime; in insula Ölandia a me ad Borgholm lecta, & a D. *Boheman* specimina plura mascula ad Isgärde & Skogsby inventa.

♂♀. Habitus *Anthracis cingulatæ*, sed minor, angustior. Hirsuties thoracis in dorso flava, ad latera magis albida. Venter rufescens, postice nigricans, incisuris flavis. — Parisiæ in floribus vulgaris, teste D. *Macquart.*

---

22. THEREVA Latr.

Corpus majoris aut mediæ magnitudinis, cylindrico-conicum, villosum. *Color* cinerascens, obscurus, *pictura* abdominis fasciata. Oculi nudi, in viva virescentes, unicolores. *Motu* celerrima, volatu scilicet acri, brevi. Choreas in aëre interdum etiam instituunt mares. *Habitatio* in foliis fruticum, truncis arborum, & floribus, ubi nutrimentum quærunt imagines, interdum prædatores. Locis arenosis ipsi terræ sæpe insidens. *Larvæ* serpentiformes, 20-annulatæ, in terra degunt. *Pupæ* nudæ, subcylindricæ, multi-annulatæ, vix setis vestitæ, pallidæ, antice corniculis 2 subulatis instructæ, sub lapidibus in campis arenosis a me unius alteriusve speciei initio mens. jul. inventæ. *Differentia sexus* colore pubescentiæ, oculorumque connectione in *mare*, vel eorum distantia in *femina*, ut in descriptione specierum indicata, facile detegitur.

1. *Th. nobilitata:* nigricans, ferrugineo-hirta, abdomine livido, segmentis basi atris, ventre fusco, flavo-fasciato, tibiis testaceis; alis subflavescentibus, impictis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Mas: oculis in fronte arcte contiguis; hirsutie corporis longiori, obscure ferruginea;

Fem.: oculis distantibus, macula frontali supra antennas transversa, didyma, atra, nitidissima; hirsutie corporis breviori & dilutiori, quam in mare sæpe aureo; in copula.

Meig. Dipt. 2. 116. 1. ♂♀. Latr. Gen. 4. 296. Macq. Buff. 118. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 522. 1. ♂♀. *Bibio nobilitata* Fabr. Antl. 67. 6. ♀. *Bib. plebeja* Fall. Anthr. 4. 1 (excl. syn. Linn. Fn.).

Hab. in foliis fruticum per totam Sueciam & Norvegiam (Lapponiis Suecicis forsitan exceptis), a Scania usque ad Nordcap, 27 Jun. — 17 Aug., frequens, sæpe in copula capta. — In Scania, Blekingia & Gottlandia

præsertim vulgaris. — E Finlandia & Dania specimina mihi quoque communicata. — Ad Hamburgum legit D. *Dahlbom.* — In individuis Gottlandicis alæ præsertim maris sæpe puncta 2 l. 3 in disco nigra habent.

2. *Th. plebeia:* nigricans, obscure hirta, abdomine nigro, incisuris albidis; tibiis testaceis; alis subhyalinis, nervis subinfuscatis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Mas: obscurior, hirsutie longiori, nigriori, oculis in fronte connexis;

Fem.: magis cinerascens, hirsutie breviori, flavida l. albida, oculis distantibus, macula frontali magna, obcordata, atra, nitidissima; thorace cinereo-bivittato; in copula.

Meig. Dipt. 2. 117. 3. ♂♀. Macq. Buff. 418. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 522. 2. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1779. *Bibio* Fabr. Antl. 66. 3. ♀. *Bib. strigata* Fabr. Antl. 67. 8 ♂. *Bib. rustica* Fall. Anthr. 4. 2 (excl. syn. Panz.). ♂♀.

Hab. cum priori iisdem locis & tempore, etiam in Lapponiis Suecicis interioribus, fere ad radices alpium procedens, frequens.

♂♀. Præcedenti similis, sed differt ab illa, *mas:* hirsutie nigriore, fasciis abdominis albidioribus, interdum glaucis, nervis alarum magis fuscis stigmatisque linea distincta; & *femina:* macula frontali atra majori, obcordata, & alis cinereo-hyalinis. — *Mas:* pilositas capitis supra antennas sat densa nigra, utrinque infra illas paullo descendit. Barba epistomatis alba l. pallide flava a menti nivea per fasciculum pilorum nigrorum separatur. Tibiæ apice tarsique fere toti plerumque nigra sunt. *Femina:* barba epistomatis mentique nivea fasciculo pilorum nigrorum separatur. Frons plerumque pallide flava. — Tibiæ summo apice nigræ. Metatarsi fere toti testacei. Pleuræ & pectus albo-pilosa. Scutellum cinerascens.

3. *Th. lugubris:* nigricans, obscure hirta; abdomine nigro, incisuris albidis, maculis lateralibus cinereis;

tibiis metatarsisque testaceis; alis cinerascentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: obscurior, hirsutie supra longiori, nigra, infra cinerea; oculis connexis; pilositate capitis & barba epistomatis mentique omnino ut in *plebeia;* scutello cinereo; abdominis dorso incisuris flavis, supra quas fascia cinerea l. glauca ad latera dilatata, ibique maculam triangularem cum incisura cohærentem formans; incisuris ventralibus simplicibus albis; alis hyalino-cinereis, nervis præsertim ad costam fusco-rufescentibus; halteribus nigris; tibiis & metatarsis testaceis, ambobus summo apice nigris;

Fem.: obscure cinerascens, parum pilosa; oculis distantibus, fronte grisea, macula magna obcordata, atra, nitidissima; barba epistomatis mentique omnino ut in *plebeia;* scutello, abdomine, alis, halteribus & pedibus ut in mare.

Meig. Dipt. 2. 118. 4. ♂. *Bibio* Fabr. Antl. 67. 7. ♂.

Hab. in Scandinavia cum prioribus passim mense Jul.; in Scania ad Esperöd; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Ölandia; in Gottlandia ad Lummelund, Ahlskog, Hoburg & Wamblingbo; & in Lapponia Umensi; specimina circiter 20 collegi. — Mas femina frequentior.

♂♀. *T. plebeiæ* valde affinis & similis, sed semper paullo minor, & abdominis fasciis cinereis (quarum in *plebeia* tantum rudimentum), supra incisuras flavas ad latera magis dilatatis maculas triangulares evidentiores quam in *plebeia* formantibus distincta. — In museo *Falleni* cum ejus *Bib. rustica* (nostra *plebeia*) confusa exstat, & sub nomine *Th. cincta* Meig. a Collectoribus mihi aliquando communicata.

4. *Th. bipunctata:* nigricans, griseo-hirta; abdomine griseo, incisuris flavidis; tibiis metatarsisque testaceis; alis albo-hyalinis; antennarum articulo primo cylindrico; fronte feminæ punctis duobus atris. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 2. 129. 9. ♀. certe.

Hab. in aridis, littora maris arenosa præsertim amans, per Sueciam meridionalem & mediam, 8 Jul. — 10 Sept., passim, in copula sæpe capta; scilicet in Scania ad Silfåkra, Kjeflinge, Lomma, Trelleborg, Sandhammar, Esperöd & Raflunda, copiose; in Ostrogothia rarissime; in Ölandia, D. *Boheman;* in Gottlandia ad Ahlskog, Wamblingbo, Stenkyrka & Lummelund, uterque sexus a me frequenter lectus. — ♂ in copula cum ♀ *Th. annulatæ* ad Sandhammar die 14 Aug. semel a me inventus.

♂♀. Species vere distincta, *Th. plebeia* duplo minor. Barba epistomatis & menti nivea l. albida. Series pilorum nigrorum supra antennas in mare, descendit & epistomatis latera cingit. Oculi in ♀ distant per frontem flavam, punctis 2 majusculis, ovatis, transversis, discretis, atris, nitidis, ornatam. Thorax in utroque sexu fuscus, cinereo-bilineatus, in ♂ griseo-hirtus utrinque parce nigro-pilosus, in ♀ subnudus, pilis aliquot nigris ad latera. Scutellum & pleuræ obscure cinerea. Abdomen griseo-hirtum, aut totum grisescens, incisuris pallidis, aut (ut in descriptione Meigeni) grisescens l. cinerascens, segmentis basi nigro-brunneis, incisuris flavidis. Alæ albicantes, nervis fuscis ad costam ferrugineis, stigmate fusco-ferrugineo. Halteres albidi, clava obscura. Pedes testacei, femoribus griseo-nigris, tibiis metatarsisque summo apice, tarsorumque articulis qvatuor ultimis, nigris. — Venter nigricans, incisuris pallidis. — Pubescentiam corporis cineream l. griseam attente observes, ut speciem a priori obscurius hirtam, distingvas. Metatarsi quoque antici in specie præcedente interdum fere toti, in hac tantum apice, nigri. Femina *Th. bipunctatæ:* maculis frontalibus nigris discretis, facile ab aliis dignoscitur.

Var. b. ♀. fronte alba, nec flava, punctis nigris, in ceteris var. a simillima; in Scania rar.

5. *Th. albipennis:* nigricans, undique albido-hirta; abdominis incisuris albidis; tibiis metatarsisque testaceis; alis albis, nervis late, indeterminate fuscedine cinctis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipt. 2. 119. 5. ♂♀. Macq. Buff. 1. 418. 4. ♂♀.

Var. b. ♂. antennarum articulis 2 basalibus totis, tertio basi, femoribusque, obscure rufo-testaceis — forte specimen juvenile.

Hab. in locis arenosis Sueciæ meridionalis, 6 Jun. — 28 Aug., passim; in Scania ad Silfåkra; Räften, Lomma, Östratorp, Esperöd &c., sat frequenter legi, var. b. ad Lomma rarissime.

♂♀. *Th. bipunctatæ* valde affinis & similis, sed differt: pubescentia albidiore, maculis frontalibus nigris in ♀ connatis, alisque in utroque sexu magis albis, fuscedineque nervorum præsertim in parte posteriore alæ magis dilatata interdum interstitia tota versus apicem implente, ut & stigmate nigro-fusco magis obscuriori.

6. *Th. fuscinervis:* nigricans, griseo-hirta, thorace cinereo-bivittato; abdominis nigri incisuris albidis; tibiis metatarsisque testaceis; alis albidis, nervis fuscedine determinate cinctis; antennarum articulo ultimo rufescente. ♂♀. (Long. ♂ 3½, — ♀ 4 lin.).

Mas: oculis in fronte connexis, abdominis segmentorum margine albo-ciliatis;

Fem.: paullo major, oculis distantibus, macula magna subtriangulari interstitium frontale in medio fere totum occupante, atra nitidissima; thoracis vittis cinereis latioribus; in copula.

Zett. Ins. Lappon. 524. 6. ♂♀.

Hab. in Finmarkiæ Norvegicæ inferalpinis, passim; ad Alten, in silva ad Bossekop atque in monte subalpino Skaaddavaara, 4—7 Aug., inveni in copula. — Etiam

ad Karesuando Lapponiæ Tornensis Suecicæ, & in alpe Dovre ad Fogstuen Norvegiæ 26 Jul. rarissime lecta.

♂♀. Magnitudo *Th. plebeiæ.* A *Th. albipenni*, cui proxime accedit, apperte differt: magnitudine majori, antennarum articulo ultimo rufo-testaceo, summo acumine tantum nigro, thoracis vittis cinereis distinctioribus, fuscedine alarum magis rufescente & nervos minus late sed magis æqualiter cingente, ut & ano in ♀ nigro, & macula frontali atra multo majori; loco natali etiam valde distant hæ species. — Variat tarsis rufescentibus.

7. *Th. lanata:* nigricans, cinereo-hirta, thorace cinereo-bivittato; abdomine atro, incisuris albidis; tibiis metatarsisque testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervis fusco-rufis, stigmate obscuriore. ♂ (Long. 3½ fere 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp 523. 3. ♂.

Hab. in Lapponia minus frequens, 3 Jul. — 1 Aug.; scilicet in Lapponia Umensi ad Stensele & in monte subalpino Stöttingsfjellet, etiam in inferalpinis Nordlandiæ ad Björkvik & Evenäs; descendit quoque in Jemtlandiam Sueciæ & ad diversorium Forsa prope radicem Mullfjellet 28 Jul. 1840 rariss. inveni.

♂. Valde affinis & similis *Th. bipunctatæ*, sed major & abdomine nigro, nec griseo, ut & loco natali ab illa distincta videtur. Fascia glauca ad latera dilatata incisuris albidis interdum adjacet fere ut in *Th. lugubri*, a qua hirsutie thoracis albida, nec nigra, mox dignoscitur. Femina ignota speciem dubius propono.

8. *Th. vetula:* nigra, subtus cinereo-hirsuta, thorace cinereo-bivittato; abdomine atro nitido, incisuris albidis; tibiis metatarsisque testaceis; alis hyalinis, nervis rufescenti fuscis, stigmate distincto. ♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 523. 4. ♀.

Hab. in Lapponiis Suecicis meridionalibus rarius; scilicet in Lapponiis Stensele & Åsele, 4 Jun. — 27 Jul., capta.

♀. Simillima *Th. lanatæ*, cujus feminam crederem, nisi in *Th. vetula* hirsuties parcior, abdomen nitidius, alæ magis hyalinæ, & magnitudo major prohiberent. Nec copulatio observata. Antennæ atræ. Barba epistomatis & menti nivea. Macula frontalis atra nitidissima obcordata maxima interstitium fere totum occupat. — Pedes ut in *Th. lugubri & bipunctata*. Reliqua ut in diagnosi vel in *Th. lanata*.

9. *Th. anilis:* obscure grisea, antennarum articulo primo incrassato, nigro-piloso; thorace pallide bivittato; alis cinereo-albidis, nervis subfuscis; abdomine maris argenteo-villoso; pedibus totis in femina, tibiisque in mare, testaceis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Mas: oculis connexis, thorace griseo-tomentoso; abdomine argenteo-villoso, incisuris 2—6 anguste albis; femoribus nigricantibus;

Fem.: oculis late distantibus, interstitio frontali transversim & interrupte crenulato, flavescenti griseo, absque macula nigra; thorace subnudo; abdomine fusco-griseo, incisuris 4—7 anguste, pedibusque totis, testaceis; in copula.

Meig, Dipt. 2. 125. 16. ♂♀. Macq. Buff. 420. 10. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 521. 7. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1791. ♂. *Bibio* Panz. Fn. t. 25. f. 5. ♂. Fabr. Antl. 68. 13. ♂. Fall. Anthr. 5. 3. var. æ. ♂., var. β. ♀. *Bibio flavipes* Fabr. Antl. 67. 4. ♀. *Bib. sordida* Panz. Fn. t. 98. f. 19. ♀.

Hab. per totam Sueciam & Lapponiam, vulgaris, 9 Jun. — 14 Aug.; specimina quoque e Finlandia a D. *Sahlberg*, & ex Hamburgo a D. *Dahlbom*, communicata.

10. *Th. annulata:* nigro-cinerea, cano-tomentosa; alis hyalino-albis, nervis rufescenti fuscis, subcostali stigmateque rufo-flavis, halteribus albis; tibiis metatarsisque testaceis. ♂♀. (Long. 3¼—4 lin.).

Mas: oculis connexis; totus dense cano-tomentosus;

Fem.: oculis distatibus, fronte inter oculos dimidiatim & determinate brunneo-flava, sæpe fascia transversa fusca (absque macula nigra); corpore tenuius tomentoso, abdominis segmentis mediis macula brunnea; in copula.

Hab. in pascuis & campis, locis aridis, per Sueciam meridionalem & mediam, 29 Maj — 14 Aug., passim frequens, non tam longe ac *Th. anilis* versus septentrionem procedens; prope terram celeriter volitans, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scaniæ, Ostrogothiæ, Ölandiæ & Gottlandiæ campis arenosis ubique vulgaris; feminam ova deponentem in arena ad littus lacus Wettern Ostrogothiæ d. 25 Jul. 1825 inveni; pupa flavo-virescens, segmentis una serie transversim setulosis dentibusque thoracis 6, sub lapide in pascuo a D. *Fallén* detecta. Femina in copula cum mare *Th. bipunctatæ* d. 14 Aug. ad Sandhammar Scaniæ semel a me lecta.

♂♀. Priori paullo major. Caput niveo-hirtum. Antennarum articulus primus cylindricus, mediocriter crassus. Thorax obsoletissime cinereo-bivittatus. Abdominis incisuræ tenuissime albæ. Segmenta 2—4 ad basin macula late triangulari nigro-brunnea in femina perspicua, in mare vix observanda. In illæsis individuis femineis segmenta ultima cana, immaculata, oviductu brevi, nigro, nitido, apice, mucronulis circiter 10 atris. Alæ in utroque sexu albo-hyalinæ, nervis ferrugineo-fuscis, stigmate & nervo subcostali magis flavescentibus. Halteres (ut in priori) albi, clāva basi nigra. Femora cano-pubescentia; tibiæ testaceæ, apice tarsisque nigris; metatarso basi late testaceo. Femina in detritis sæpe ano late nigro, nitido.

11. *Th. lunulata:* nigro-cinerea, cano-tomentosa, alis hyalinis, nervis, stigmate halteribusque fuscis; tibiis metatarsisque testaceis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Mas: oculis connexis, totus dense cano-tomentosus, alis hyalinis;

Fem.: paullo major, crassior, oculis distantibus, fronte inter oculos dimidiatim & determinate nigro-brunnea (absque macula atra); corpore tenuius tomentoso; abdominis segmentis mediis macula brunneo-atra; alis purius hyalinis s. limpidis; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 523. 5. ♀.

Hab. in Norvegia mense Julio ad terram volans, passim; in alpe Dovre primum a D. *Boheman* 1832 femina inventa; deinde in Östre-Næs in Værdalen atque ad Thynæs & Levanger 1840 uterque sexus a D. *Dahlbom* & me haud infrequenter visus & captus.

♂♀. Magnitudo, structura partium & summa præcedentis etiam quoad discrimen sexus similitudo, sed differt: alis magis hyalinis, nervis & stigmate magis obscuris, nunquam rufo-mixtis, halterum clava fere tota nigricante, certo tantum situ ad latera cinerascente, ut & in femina frontis dimidietate postica obscurius brunnea, abdominisque segmentorum macula basali evidentiori brunneo-atra quoque in segmento 5:to (licet ibi minori) præsente, tandemque loco natali. Cum enim in Svecia *Th. lunulata* nunquam legitur, in Norvegia alpestri *Th. annulata* vicissim frustra quæritur.

---

23. PSILOCEPHALA Zett.

Corpus majoris magnitudinis, elongatum, cylindricum; maris sericeum, feminæ glabriusculum, nitidum. *Color* niger, abdomine ♂ cano-tomentoso, ♀ niveo-fasciato. Oculi nudi, (in viva) obscure brunnei, æneo-submicantes, unicolores.

Motus & habitatio Thereva. Metamorphosis ignota. *Differentia sexus* manifesta; *mas* scilicet thorace cinereo-hirto, abdomine albo-tomentoso, oculis in fronte connexis l. saltem approximatis, & ano rotundato, apice sublunatim exciso l. forcipulato, a *femina:* thorace & abdomine magis denudatis, oculis in fronte semper disjunctis, & ano subconico, nigro, nitido, apice subtruncato, mucronulis (interdum retractis) 10—12 coronato, mox dignoscitur. — Nomen *Psilocephala* glabritiem capitis spectat.

Sect. 1. Alarum area marginali media ad marginem occlusa.

1. *Ps. imberbis:* nigricans, thoracis lineis 2, abdominisque incisuris, albis; alis hyalinis, nervo subcostali stigmateque fusco-ferrugineis, halteribus albidis, clava basi nigra; tibiis rufis; antennarum articulo ultimo oblongo-conico. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: oculis arcte connexis; capite argenteo; thorace albo-hirto, pilis ad latera 4—5 nigris; abdomine albo-tomentoso; ano rotundato, convexo, atro, nitidissimo, glabro, subtus nigro-piloso, apice utrinque lunatim exciso; tibiis plerumque totis nigris;

Fem.: oculis distantibus, interstitio atro, nitido, punctulato; epistomate brevissimo & fronte supra antennas argenteis; thorace abdomineque nudis, pilis 4—5 ante alas nigris; fasciis ante segmentorum marginem ad latera dilatatis, argenteis (sæpe plus minus detritis); ano breviter conico, atro, nitido, apice truncato mucronulato; plerumque major, longior; in copula.

Bibio Fall. Anthr. 5. 5. ♀. — Platypezinæ 11. 5. ♂♀. *Thereva* Meig. Dipt. 2. 128. 20. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 524. 8. ♂♀. (*Psilocephala* Zett. l. c. 525. Not.)

Hab. in Suecia media & boreali ut & in Lapponia Suecica & Finmarkia Norvegica, 29 Jun. — 13 Aug.,

haud frequens, in copula deprehensa; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, locis deustis, D. *Wahlberg*, & in parietibus ad Wadstena, ipse; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in foliis fruticum Ribis rubri in horto Årås Wermelandiæ, frequentius; in Lapponia Umensi ad Umenäs, & in Finmarkia occidentali inter Alten & Kautokeino.

2. *Ps. confinis:* nigricans, thoracis lineis 2, abdominisque incisuris, albidis; alis hyalinis, nervo subcostali stigmateque flavo-ferrugineis, halteribus flavo-albis, clava basi nigra; geniculis, tibiis metatarsisque testaceis; antennarum articulo ultimo oblongo-conico. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Mas: oculis arcte connexis; capite argenteo; thorace albo-hirto; abdomine albo-tomentoso; ano subconico, rufescente, albo-pubescente, apice bidentato;

Fem.: oculis anguste distantibus, interstitio obscure brunneo, opaco; epistomate brevi & fronte supra antennas argenteis; thorace opaco, nudo, cinereo, vitta media & maculis dorsalibus utrinque 2, nigricantibus; abdomine parum nitido, nudo, argenteo, in singulo segmento ad basin macula magna nigra triangulari, apice sequens segmentum (incisura demta) late attingente; ano parum elongato, cylindrico, atro, nitido, apice nigro mucronulato.

Zett. Ins. Lapp. 525. 9. not. — *Bibio* Fall. Anthr. add. ad Platyp. p. 12. ♂♀. *Thereva* Meig. Dipt. 2. 127. 19. ♂♀. Macq. Buff. 1. 420. 12. ♂♀. *Bibio rustica* Panz. Fn. 19. f. 21. ♀. certe (alis justo obscurioribus). *Leptis ardea* Fabr. Antl. 70. 6. ♀. teste Meig. 6. p. 322.

Hab. in Suecia rarissime; in frutice loco arido in parœcia Sanda Gottlandiæ d. 1 Jul. 1811 manu propria legi; paullo minor, alias simillima speciminibus, quæ e

Borussia a D. *Andersch* missa in Museo D. *Fallèn* asservantur. In horto prædii Nygårds, parœc. Westerheida Gottlandiæ feminas in terra l. in foliis Cerasi sedentes, & mares in pseudochoreis vespertinis circumvolitantes, 1839 invenit D. *Wahlberg*.

♂♀. Similis priori, sed paullo longior & vere distincta. Antennæ ut in ceteris atræ. Epistoma quoque ut in reliquis brevissimum. Pili thoracis utrinque nigri ut in priori & sequentibus. Alæ sublucidæ. Abdomen in ♀ nigrum, vix nisi postice nitidum; incisuræ mediæ albæ; segmenta omnia ad latera maculis triangularibus argenteis. Cetera ut in diagnosi.

Sect. 2. Alarum area marginali media ad marginem aperta.

3. *Ps. lapponica:* nigricans, thoracis lineis 2, abdominisque incisuris, albidis; alis hyalinis, nervis subinfuscatis, stigmate obscuro, halteribus nigricantibus; pedibus nigris; antennarum articulo ultimo breviter conico. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: oculis in fronte approximatis, interstitio angusto nigro disjunctis; thorace albo-hirto, abdomine argenteo-tomentoso, incisuris mediis undique & continue albis: alarum nervis parum infuscatis, halteribus nigro-cinerascentibus; ano brevi, ovato, subpubescenti, apice leviter exciso;

Fem.: oculis mediocriter distantibus, interstitio nigro, nitido, impresso, subpunctulato disjunctis; corpore nudo, nitido, nigro; pectore cinerascente; abdomine elongato, segmentis 2—5 (in illæsis quoque 6) macula laterali prope incisuram triangulariter transversa argenteo-pubescente, in segmentis anticis majori, in posticis decrescenti; incisuris mediis (2, 3) undique tenuissime albis; ano brevi, nigro-pilosulo, apice nigro-mucronulato; alarum nervis in dimidietate postica infuscatis; halteribus nigris.

Zett. Ins. Lapp. 525. 9. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Åsele Lapponiæ Umensis Suecicæ utrumque sexum 27 Jul., & in trunco Pini sylvestris ad Bossekop prope Alten Finmarkiæ Norvegicæ feminam 5 Aug., inveni.

♂♀. Statura & affinitas præcedentis, sed facile dignoscitur ab illa: oculis maris magis distantibus, corpore feminæ magis nitido, signaturis abdominis albis minus perspicuis, & fronte supra antennas parum alba, interstitio toto nigro, nitido, nec opaco brunneo, ut & antennis in utroque sexu articulo ultimo breviori ovato, acuminato, alis magis infuscatis, halteribus obsurioribus, & pedibus totis nigris. Barba menti nivea. Antennarum basis & occiput nigro-pilosa. Alæ lucidulæ, certo luminis situ metallice splendent. Epistoma argenteo-micans. Maculæ 2 albæ supra antennas obsoletæ. Tibiæ posticæ interdum piceæ. Abdomen ut in *Ps. confini*, elongatum; in ♀ sæpe detritum nigrum.

1. *Ps. eximia:* nigra, thoracis lineis 2, abdominisque segmentis mediis macula laterali, albis; alis hyalinis, nervis basi testaceis, apice infuscatis; halteribus testaceis; pedibus rufo-testaceis, femoribus nigris; antennis breviter ovatis. ♀. (Long. 4½ lin.).

Thereva Meig. Dipt. 121. 15. ♀. Macq. Buff. 1. 119. 8. ♀. Wahlb. Act. Reg. Soc, Scient. Holm. 1838. ♀.

Hab. in Suecia media rarissime; a Cel. Prof. *Wahlberg* duo specimina feminea mens. Jun. inventa, unum in Ostrogothia ad Gusum, & alterum in Ölandia in frutice Alni ad Rälla. Mas hactenus ignotus.

♀. *Ps. lapponicæ* proxima. Interstitium oculorum frontale angustum, parum nitidum, Antennarum articulus ultimus ovatus, acuminatus. Abdomen ut in priori. Tibiæ & metatarsi, testacea, apice & articulis tarsorum 3 ultimis, nigro-

fuscis. Alæ valde lucentes. Frons nigra, juxta antennas utrinque macula albo-micante ut in priori. Color testaceus nervorum, halterum, tibiarum metatarsorumque, speciem a præcedente præcipue distinguere videtur.

---

24. LEPTIS Fabr.

Corpus mediæ magnitudinis, parum pubescens, elongatum, posterius attenuatum. *Color* obscurus, ferrugineus l. cinereus. Abdomen plerumque flavescens, subpellucidum, fasciis l. punctis obscuris. Oculi æneі aut virescentes, unicolores. *Motu* volatu agilis: a loco, ubi sedem habuit, acriter at breviter avolans, mox ad eundem revertit. *Habitatio* in sylvis & pratis, sæpibus, arborum truncis capite prono, & foliis fruticum sæpe insidens, flores rarius visitans, insecta minora sæpius sugens. *Larvæ* 11-12-annulatæ, in terra, fimo, sabulo, ligno putrido, degunt. *Pupam* (*Lept. scolopaceæ*) cylindricam, 11-annulatam, brunneam, nudam, segmentis 5 posticis serie denticulorum coronatis, sæpe inveni. *Discrimen sexus; mas:* oculis conniventibus, ano obtuso; *femina:* oculis distantibus, ano acuminato.

1. *L. scolopacea:* cinerea, thorace obscure vittato; antennis fuscis; abdomine testaceo, trifariam nigro-maculato; alis fusco-nebulosis; palpis pedibusque flavescentibus, femorum posticorum ante apicem annulo obsoleto tarsisque omnibus, obscuris. ♂♀. (Long. 3—4¼ lin.).

Fabr. Antl. 69. 1. Fall. Anthr. 10. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 89. 2. ♂♀. Macq. Buff. 1. 426. 1.

Zett. Ins. Lapp. 526. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1788. *Rhagio* Panz. Fn. 11. 19. ♂.

Hab. in truncis arborum viventium & in foliis fruticum, per totam Sueciam, Lapponiam & Norvegiam a Scania usque ad NordCap, 28 Maj — 15 Aug., ubique

vulgaris in copula capta; in truncorum latere soli exposito sæpe plura individua congregantur.

2. *L. tringaria:* flavescens, thorace cinerascenti vittato; antennis fuscis, apice testaceis; palpis, abdomine trifariam nigro-maculato, pedibusque flavo-testaceis, tarsis nigris; alis cinereo-hyalinis, costa flavescenti. ♂♀. (Long. 3—4¼ lin.).

Fabr. Antl. 69. 2. Fall. Anthr. 10. 2. (exclus. syn. Panz. quod ad *L. vitripennem* Meig. pertinet) ♂♀. Meig. Dipt. 2. 91. 4. ♂♀. (excl. syn. *L. vanellus* Fall.). Macq. Buff. 1. 427. 5.

Zett. Ins. Lapp. 526. 2. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1789. ♂.

Hab. in hortis & pratis, truncis arborum & foliis fruticum insidens, per Sueciam, 15 Jul. — 16 Sept., frequens, in provinciis meridionalibus & mediis præsertim vulgaris, versns septentrionem rarescens, & intra limitem Lapponiæ vix nisi rarissime obvia; in copula sæpe deprehensa. Ex hac & priori specie plura quoque exempla ex Hamburgo & Hafnia nostris simillima obtinui.

3. *L. Vanellus:* flavo-ferruginea, thorace disco vittis 4 subconfluentibus obscure cinereis, pleuris antennisque testaceis, his basi fuscis; ano tarsisque nigris; alis cinereo-hyalinis, costa flavescenti ♂♀. (Long, 3½—4 lin.).

Fabr. Antl. 70. 3. Fallén Anthr. 11. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 60. 25. ♀.

Hab. in hortis & fruticibus per Sueciam meridionalem & mediam, 4 Jul. — 10 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Östared rarius, & in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena paullo frequentius, legi; ad Gusum, D. *Wahlberg.*

♂♀. Simillima priori, sed differt abdomine præter anum nigrum toto immaculato, & id in utroque sexu. Thoracis vittæ in ♀ testaceæ & pallidiores, quam in ♂.

1. *L. stigmatica:* ferrugineo-testacea, thoracis dorso nigro, cinereo-bilineato; epistomate verticeque cinerascentibus; tibiis tarsisque posticis infuscatis; alis flavicantibus, stigmate apice nigro-fusco. ♂♀. (Long. circiter 4 lin.).

Wahlberg in litt. d. 4 Febr. 1842.

Hab. locis umbrosis in foliis Angelicæ sylvestris & floribus Pastinacæ, per Sueciam occidentalem, initio mensis Augusti, rarissime; scilicet ad urbem Gothoburgum a Dom. *N. Westring* detecta, deindeque ad Quiberget in Gammelstaden $\frac{1}{2}$ milliar. ab urbe distantem, a Cel. Prof. *Wahlberg* inventa. Mares feminis multo frequentiores obvii.

♂♀. Cum speciem ipsam non vidi, descriptionem a D. *Wahlberg* datam afferre lubet. "*L. tringariæ* proxima & magnitudine & statura æqvalis, colore tamen magis ferrugineo-testaceo, thoracis dorso nigro, cinereo-bilineato & stigmatis apice nigro-fusco, abunde distincta. Caput clypeo cinereo; oculis maris medio conniventibus; feminæ haud longe remotis, vertice nigro-cinerascente, sulcis 3 tenuibus, longitudinalibus inferne abbreviatis. Palpi pilosi, testacei. Antennæ articulis æqvalibus, rotundatis, testaceæ, seta apicali nigro-fusca, antennis paullo longiori. Barba grisescens. Haustellum fuscum palpis longius. Thorax dorso niger, glabriculus, nitidus, cinereo-bilineatus, lineis posticis subabbreviatis, humeris prominentibus ferrugineo-testaceis, lateribus quoque plus minus similiter coloratis. Pectus nigrum, cinereo-micans. Linea interdum thoracis cinerea, tenuissima, intermedia quoque adest. Scutellum thoracisque anguli postici, ferrugineo-testacea. Abdomen conicum, tenuiter nigro-pilosum, ferrugineo-testaceum, maris obtusiusculum, a-

num versus infuscatum; feminæ acuminatum, segmentis macula media basali semicirculari, fusca. Pedes testacei, trochanteribus omnibus & coxis intermediis nigro-cinereis vel testaceo-maculatis, tibiis posticis & tarsis, posticis præsertim, infuscatis. Halteres testacei. Alæ amplæ, vitreo-nitentes, flavicantes, apicem versus dilute infuscatæ, versus costam flavo-testaceæ, nervis fuscis, ad basin flavicantibus, stigmatis apice distincte nigro-fusco. In femina majore thorax ferrugineo-testaceus, dorso lineis 3 latioribus, nigris, & coxæ intermediæ quoque testaceæ". *Wahlberg.*

5. *L. annulata:* obscure cinerea, abdomine flavo, segmentis 1, 5, 6 & 7 totis, reliquis (mediis) punctis trifariam dispositis, nigris; pedibus flavis, tarsis obscuris; alis cinereo-hyalinis, costa subflavicante. ♂♀. (Long. 3½ — 4½ lin.).

Fall. Anthr. 11. 4. Meig. Dipt. 92. 6. ♂♀. (secundum Fall. descript.). *Nemotelus* Deg. Ins. 6. 164. 2.

Hab. in fruticibus Sueciæ meridionalis & mediæ passim, 27 Maj — 10 Jul.; in Scania ad Abusa, Lindholmen, Esperöd &c.; in parœcia Häradshammar Ostrogothiæ, minus freq., D. *Stenhammar;* in Gottlandia rar. — In Dania rar., teste D. *Stæger.* In Norvegia ad Næs, Thynæs & Levanger, 2—4 Jul. 1840 frequenter legi.

♂♀. Tota cinerascens, thorace vittis 4 obscurioribus parum perspicuis. Antennæ & palpi nigra l. nigro-fusca. Halteres, femora, tibiæ & metatarsi, pallide flava. Abdomen præsertim in ♂ pubescens, segmentis 2—4, vel 2—5, flavis, punctis dorsalibus & lineis lateralibus nigris; aut in ♀ subpubescens, segmentis 2—7 flavis, punctis dorsalibus majoribus sæpe cum lateralibus minoribus cohærentibus, nigris.

6. *L. ephippium:* flavescens, thorace vittis 4 dorsalibus pleurisque dilute cinereis, antennis testaceis, palpis pedibusque flavis, tarsis obscuris; abdomine fusco-

brunneo, incisuris flavis; alis cinereo-hyalinis, costa flavescente. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Ostrogothia, ad Lärketorp semel capta.

♀. Similis *L. tringariæ*, sed paullo minor & abdomine ut in sequenti picto distincta. *L. stigmatica* (n:o 4), quam non vidi, huic etiam affinis videtur.

7. *L. maculata:* cinerea, thorace obscure vittato; antennis fuscis, apice testaceis; palpis pedibusque flavis; femoribus anticis posticisque annulo medio lato, tarsisque omnibus, brunneis, alis cinereo-hyalinis, stigmate pallido, apicibus fusco; abdomine flavo, in ♂ trifariam nigro-maculato, in ♀ nigro-fasciato. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: abdominis segmentis 1—4 vel 1—5 punctis sive discretis & trifariam dispositis, sive cohærentibus, nigro-brunneis, segmentisque reliquis (5—7 vel 6—7) nigris, incisuris latitudine decrescenti flavis;

Fem.: abdomine nigro-brunneo, incisuris omnibus flavis.

Fall. Anthr. 11. 5, ♂. *Nemotelus* Deg. Ins. 6. 165. 3. ♂. *Leptis* Meig. Dipt. 2. 95. 10. ♂. *Leptis distigma* Meig. Dipt. 2. 93. 8. t. 15. f. 19. ♂. 20. ♀. Macq. Buff. 1. 427. 7. ♂♀. (var. speciminis masculi abdominis segmento primo flavo, immaculato).

Hab. in Succia media mens. Julio rar.; in Ostrogothia ad Häradshammar, Gusum & Lärketorp, D. D. *Stenhammar*, *Wahlberg* & nos; in Uplandia D. *Degeer;* in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & in Norvegia ad Næs Verdaliæ pauca specimina inveni.

♂♀. *L. annulata* minor. Ab affinibus mox distingvitur alarum stigmate flavo-albo, utrinque macula oblonga nigro-brunnea. Thorax cinereus, vittis dorsalibus 3 obscurioribus. Scutellum & coxæ, cinera. Palpi & halteres albo-flavi. Frons in ♀ cinerea.

8. *L. lineola:* obscure cinerea, antennis palpisque nigris; abdomine flavo, maculis dorsalibus alarumque hyalinarum linea stigmaticali, nigris; pedibus pallidis, femoribus anticis posticisque annulo apicali, tibiarum omnium apice, tarsisque, nigro-fuscis. ♂♀. (2½ lin.).

Fall. Anthr. 12. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 91. 9. Zett. Ins. Lapp. 5. 26. 3. ♂♀. Macq. Buff. 1. 427. 8. *Atherix* Fabr. Antl. 74. 6.

Hab. in pratis & sylvis, sæpibus sæpe insidens, per totam Sueciam, Lapponiam & Norvegiam, a Scania usque ad NordCap, 1 Jul. — 28 Aug., ubique vulgaris. — Circa Hafniam pass., D. *Stæger*. (Ex Hamburgo communicata a D. *Dahlbom*).

♂♀. Inter nostrates in hoc genere parva. Scutellum testaceum, basi sæpe cinereum. Anus niger. Alarum linea stigmaticalis oblonga, determinata, atra. Halteres flavi. Coxæ cinereæ. Frons in ♀ cana. Reliqua ut in diagnosi.

Var. b. ♀. abdomine nigro, incisuris flavis. In Nericia ad Kärr 13 Sept. 1832 semel lecta.

9. *L. cinerea:* obscure cinerea, pleuris glaucis, antennis palpisque nigris; abdominis segmentis basi fuscis; alis hyalinis, stigmate oblongo, nigricante; pedibus pallidis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. vix 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime: in graminosis ad Högestad Scaniæ orientalis d. 25 Jul. uterque sexus a D. *Eb. Rosenschöld* inventus.

♂♀. Mollis & tenera, inter nostras minima. Magnitudo *Ptiolinæ obscuræ,* sed angustior, gracilior. Cinerea, opaca, nudiuscula (an detrita?). Proboscis flava. Alæ hyalinæ, macula stigmaticali oblonga, determinata, nigro-fusca. Halteres flavi, clava apice fusca. Pedes flavi, coxis concoloribus. Tarsi obscuri, metatarso testaceo. *Mas:* oculis in fronte

cohærentibus, thorace dorso fusco; *femina:* fronte lata læte cinerea, thoracis dorso lineis 2 fuscis.

25. CHRYSOPILA Macq.

Corpus mediæ magnitudinis, tenuiter flavo- l. aureo-tomentosum, elongatum, posterius attenuatum. Pedes graciles. *Color* niger, cinereus, flavescens; stigmate eximio. Oculi (in viva) æneï, unicolores. *Motus Leptidis;* sed vix tam strenue volans. *Habitatio* in pratis humidis, in graminosis & foliis fruticum, plerumque in vicinitate paludum. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* partim ut in *Leptide*, partimque e colore corporis aut tomenti diverso facile cognoscitur.

1. *C. atrata:* atra aut cinerascens, aureo-, aut atrotomentosa, antennis, palpis proboscideque nigris; alis hyalinis, macula stigmaticali halteribusque brunneo-nigris; geniculis tibiisque testaceis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: ater opacus, parce nigro-hirtus, pilis aliqvot aureis immixtis;

Fem.: nigricans, aureo-tomentosa, capite thoraceque cinerascentibus, hoc dorso fusco-trivittato; in copula.

Leptis Fall. Anthr. 13. 8. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 526. 4. *Atherix* Fabr. Antl. 72. 1. ♂. *Musca* Gmel. Syst. Nat. 5. 2866. 323. *Atherix aurata* Fabr. Antl. 73. 4. ♀. *Leptis* Meig. Dipt. 2 99. 16. ♀; forte quoque ♂. — *Chrysopila* Macq. Buff. 1. 429. 1. ♂♀. *Atherix tomentosa* Fabr. Antl. 73. 5.

Hab. in graminosis & foliis fruticum in pratis paludosis, per Succiam meridionalem & mediam, 10 Jun. — 15 Jul., vulgaris; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia, freq.; in copula sæpe capta; versus septentrionem rarescit, & intra limitem

Lapponiæ meridionalis rarissime tantum visa. — In Dania freq., D. *Stæger.* (Circa Hamburgum fr., D. *Dahlbom).*

2. *C. nubecula:* livida, capite cinerascente, antennarum articulo ultimo, palpis, thoracis dorso, abdominis cingulis, tarsorum apice, halterum clava, alarumque macula costali repanda, nigro-fuscis, stigmate nigro; antennis basi epistomatisque tuberculo testaceis; proboscide, scutello pedibusque flavis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Mas: obscurior, pectore fusco, thoracis dorso, abdominis cingulis latis, alarumque macula costali, nigrofuscis;

Fem.: pectore testaceo, thoracis dorso, abdominis cingulis ad basin segmentorum angustis, alarumque macula costali obsoleta, dilute brunneis l. fuscis.

Leptis Fall. Anthr. 13. 9. ♂♀. certe. — Meig. Dipt. 6. add. 321. 23. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 527. 5. ♂♀. (excl. forte syn. Fabr. *Leptis bicolor & Atherix oculata*).

Hab. in plantis paludosis & foliis fruticum in Suecia, 10 Jul. — 18 Aug., passim; in Scania multis locis ex. gr. ad Esperöd, Lindholmen, Abusa, Grönby &c., sat vulgaris; in Sueciæ provinciis mediis & borealibus non nisi rarissime visa, sed e Torneå a D. *Deutsch* mihi communicata.

3. *C. luteola:* lutescens, parce fulvo-tomentosa, antennis, palpis proboscideque concoloribus; halteribus anique apice, brunneis; thoracis dorso in femina fusco, in mare obscuriore, alis in utroque sexu cinereo-hyalinis, macula costali dilatata stigmateque, obsoletis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Leptis Fall. Anthr. 14. 10. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 527. 6. ♂♀. *Atherix* Meig. Dipt. 2. 110. 10. (secundum Fall. transscripta.).

Hab. semper in foliis Alni, per Sueciam & Norvegiam, 20 Jun. — 28 Aug., pass.; scilicet in Scania ad Abusa, Silfåkra, Tranås, Esperöd &c., freq.; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp, ipse; in Ölandia rar.; in Norrlandia, D. *Deutsch.*; in Jemtlandia ad Skalstugan & ad radicem alpium Mullfjellen, passim; & in Norvegia ad Suul Værdaliæ atque Thynæs & Levanger uterque sexus, frequens.

♂♀. Affinis & similis *C. nubeculæ*, sed ab illa colore magis lutescente, tomento nitido, abdomine præter segmentum ultimum toto luteo, & alarum macula magis dilatata, sæpe cum stigmate, valde obsoleta. Frons ♀ griseo-cinerea.

Var. b. ♀. Simillima var. a, sed antennarum articulo ultimo & abdominis segmentis basi, fuscis. Forte hæc est *Lept. bicolor* Fabr. Antl. 71. 8. Specimina quædam cum var. a. ad Thynæs inveni. — Interdum quoque variat ♂ abdominis lateribus linea longitudinali fusca, & stigmate magis distincto.

4. *C. læta:* lutescens, parce fulvo-tomentosa, antennarum articulo ultimo, palpis apice, abdominisque cingulo anali, fusco-nigris; capite cinereo, epistomatis tuberculo, proboscide, halteribus pedibusque, flavis; alis cinereo-hyalinis, macula costali dilatata stigmateque obsoletis. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Scania rarissime; in frutice ad Esperöd die 13 Aug. 1818 specimen unicum inveni.

♀. Duabus proxime antecedentibus valde affinis & similis, sed ab ambabus thorace toto luteo flavo, in dorso tantum vestigio linearum 2 ferruginearum, & halteribus totis flavis. Caput cum antennis, palpis, epistomate & proboscide ut in *C. nubecula*. Abdomen & alæ ut in *Chr. luteola*. Tarsi apice fusci.

26. ATHERIX Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, subpubescens, elongatum, posterius attenuatum. *Color* obscurus. *Habitatio* in pratis & sylvis. *Motu* sat tarda, sole urente vivacior. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* externa in *mare* oculorum connectione, inque *femina* eorum separatione, mox invenienda. Oculi in viva rufo brunnei, parum æneo-micantes, unicolores.

1. *A. crassicornis:* antennarum articulo primo ovato crassissimo, nigra aut grisea; alis hyalinis, area angulari apice subconclusa, basi geniculisque summis subflavicantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Mas: niger, thorace griseo-bivittato, hirsutus, antennarum articulo primo valde crasso, longe piloso;

Fem.: glauca l. cinerascens l. nigro-fusca, thorace vitta media duplicata obscura, breviter pubescens, antennarum articulo primo incrassato, piloso, tibiis basi testaceis; in copula.

Panz. Fn. 105. 10. ♀. Meig. Dipt. 2. 108. 5. f. 23. 29. 30. ♂♀. Latr. Gen. 4. 289. Macq. Buff. 1. 433. 7. Zett. Ins. Lapp. 528. 1. ♂♀. var. a & b. — *Lept. griseola* Fall. Anthr. 12 7. ♂♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum, sylvis acerosis & sæpibus, per totam Sueciam, Lapponiam (alpibus exceptis) & Norvegiam a Scania usque ad Nordcap, 30 Jun. — 10 Aug., sat freq., in copula capta. — Etiam e Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Dania a D. *Stæger* missa.

2. *A. marginata:* antennarum articulo primo secundo parum majori, atra l. cinerea; alis fusco-fasciatis, area angulari apice arcte conclusa; abdominis incisuris glaucis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: totus ater, pilosus, oculis in fronte non intime connexis, abdomine subl neari, incisuris glauco-albis; alis fasciis tribus, 1:a basali a costa ad medium extensa, latissima, intense brunnea, 2:da pone medium, fusca, & 3:tia apicali, fusca, obsoleta, omnibus per fasciolas duas maculares albas distinctis; ano subclavato;

Fem.: cinerascens; oculis non late distantibus; thorace vittis 3 subconfluentibus nigris; abdomine lineari, nigro-cingulato; alarum basi absque macula brunnea.

Meig. Dipt. 2. 106. 2. ♂♀. t. 15. f. 27. 28. Macq. Buff. 1. 432. 2. *Bibio* Fabr. Antl. 67. 5.

Hab. in Suecia rarissime; in Blekingia a D. *Aspegren* detecta & mecum communicata. — Ad ripas fluminum quærenda.

3. *A. nebulosa:* "nigra, abdomine flavescente, nigro-cingulato; alis nebulosis: macula costali atra" Fallén.

Fabr. Antl. 74. 8. *Leptis* Fall. Anthr. 14 (inter species dubias); *Nemotelus rufus* Deg. Ins. 6. 166. t. 9. f. 14. 15.

Hab. in Uplandia D. *DeGeer*. Ut Scaniæ incola dubia etiam a D. *Fallén* l. c. allata, mihi omnino ignota.

Obs. *Atherix Ibis* Meg. *Leptis* eadem Fabr. in Danorum Jutlandia boreali 1839 inventa, teste D. *Stæger*.

---

27. PTIOLINA Stæg.

Corpus minoris magnitudinis, subpubescens, oblongum, posterius parum attenuatum. Alæ abdomine paullo longiores. *Color* niger, cinerascens. *Habitatio* in pratis & sylvis, truncis & foliis sæpe insidens. *Motu* tarda. *Metamorphosis* ignota. *Discrimen sexus; mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis sat late distantibus. Oculi (in viva) brunnei, parum æneo-micantes.

1. *P. obscura:* nigra aut fusco-cinerea, pedibus lividis; alis hyalinis, stigmate fusco; halteribus albis, clava obscura. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: thorace abdomineque atris, nigro-hirtis;

Fem.: thorace abdomineque griseis s. fusco-cinereis, parum pubescentibus.

Var. a. ♂♀. halterum clava nigricante.

Leptis Fall. Dipt. Anthr. 14. 11. ♀. Zett. Ins. Lapp. 527. 7. ♂♀. *Atherix* Meig. Dipt. 2. 111. 11. ♀.

Var. b. ♀. halterum clava alba; paullo major. Zett. l. c. var. b.

Hab. in foliis fruticum Betulæ albæ & Fraxini, ut & in truncis Abietis, 1 Jun. — 8 Aug., per Sueciam, Lapponiam & Norvegiam, rarius; scilicet var. a. in Scania ad Abusa, Tranås & Esperöd; in Lapponia ad Almsele Lapponiæ Umensis, ad Pello & Wittangi Lapponiæ Tornensis; & in Finmarkia ad Bossekop prope NordCap; var. b. ad Lycksele Lapponiæ Umensis; & in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman.* — In Scania rarissime.

♂♀. Antennæ nigræ, articulo ultimo ovali, compresso, seta longitudine hujus articuli. Palpi nigri, pilosuli. Alæ cinereo-hyalinæ, stigmate obscuriore. Area discoidalis tres nervulos basi separatos ad marginem interiorem emittit. Pedes obscure rufescentes l. ferrugineo-lividi, l. picei. Femina tota, etiam fronte lata, obscure cinerea, thorace subvittato.

2. *P. nigra:* nigra aut cinerascens, pedibus nigris, alis hyalinis, stigmate fusco; halteribus nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: totus ater nigro-hirtus, alis cinereo-hyalinis; area angulari nervulos subtres (duos scilicet superiores basi connatos) ad marginem interiorem emittente;

Fem.: "nigro-cinerascens opaca, palpis dilatatis, tenuiter pilosis, thorace atro-lineato & maculato, alis hyalinis, basi concoloribus, antennis articulo ultimo ovato anterioribus longe majori; seta crassiori". Wahlb.

Ptiolina nigra Stæger in litt. 1838. ♂. *Leptis nigrina* n. sp. ♀. Wahlb. Observationes Dipterologicæ in Manuscr. — *Leptis obscura* var. specimina Darlecarlica Zett. Ins. Lapp. 527. 7. — *Spania atra* Stæg. in litt. recentioribus Hafniæ 6 Nov. 1841.

Hab. in Suecia rarissime; marem unicum in Jemtlandia inveni, & alterum a D. *Stæger* in Dania lectum obtinui; tandemque specimen unicum femineum sine dubio hujus speciei in fine mens. Maji loco sabuloso a *Dasypogone cincto* captum, ad Nacka prope Holmiam legit D. *Wahlberg*.

Cum feminam ipse non vidi descriptionem ejus a Cel. *Wahlberg* l. c. datam affero. "Femina: *Lept.* (*Ptiolinæ*) *obscuræ* proxima, paullo tamen major & notis sequentibus distincta; seta antennarum crassiori articuli 3:tii longitudine, linea frontis transversa interoculari albo-cinerea ad basin antennarum velut maculis 4 formata, palpis subclavatis, tenuiter tantum pilosis, thorace obscure cinereo, lineis 2 subapproximatis, postice abbreviatis in medio dorsi, maculis utrinque 2 in lineam longitudinalem dispositis latioribus atris & umbra nigrina lateri macularum exteriori adjecta (si maculæ nigræ lineis conjunctæ essent quadratum videres); abdomine nigricante, pedibus totis nigris, tarsis posticis tibia duplo fere brevioribus."

Var. b. ♂. Similis var. a, sed differt: alis hyalinis, nervis crassioribus & manifeste infuscatis. In frutice ad radicem alp. Mullfjellet Jemtlandiæ 28 Jun. 1840 individuum unicum inveni.

28. ACROCERA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, subglobosum, gibbum, breviter pubescens. Oculi nudi, obscure brunnei, unicolores. *Color* nigricans. *Motu* tarda: in truncis & ramis arborum exsiccatis sæpe immobiles sedentes gregatim, tempestate calida & sole lucente truncos & ramos sat velociter circumvolantes vidi imagines. *Habitatio* in truncis & ramis exsiccatis pendulis arborum viventium Qvercus &c., etiam in sæpibus & graminosis; in floribus a me nunquam observata. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* externa nulla, nisi in colore corporis diverso rarius quærenda.

1. *A. Globulus:* thorace nigro, albo-maculato; abdomine flavo, basi, punctis dosalibus lateralibusque nigris; pedibus pallidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine flavo, nigro-punctato l. fasciato.

Mas: scutello albo, abdomine flavo, segmento primo fere toto, reliquis punctis lateralibus, nigris, maculisque dorsalibus brunescentibus obsoletis; ventre nigro, incisuris tenuiter albis;

Fem.: scutello nigro, abdomine flavo, segmento primo fere toto, reliquis basi fascia tridentata, brunneis; ventre nigro, incisuris tenuissime albis; in copula.

Meig. Dipt. 3. 95. 3. ♀. Macq. Buff. 1. 369. 2. ♀. *Syrphus* Panz. Fn. 86. 20. ♀. *Henops* Fall. Stratiom. 4. 3 var. *α*, *β*. ♀. *δ*. ♂. *Acrocera albipes* Meig. Dipt. 3. 96. 4. ♂.

Var. b. ♀. abdomine nigro, cingulis aut omnibus angustis, aut versus anum latis, albidis, scutello ventreque nigris, incisuris tenuiter albis.

Hab. in graminosis humidis, in sæpibus, at plerumque in ramis exsiccatis inferioribus pendulis arborum viventium Alni, Fraxini, Populi Tremulæ &c., per Succiam meridionalem & mediam, passim freq., 6—30 Jul.

obvia, in copula multoties capta; scilicet in Scania ad Esperöd; in Blekingia; in Ostrogothia ad Wadstena certis annis copiose; in Ölandia ad Ottenby rar.; in Gottlandia in insula Furillen, ad Gothem & Kyrkbinge-Näs &c.; in Uplandia, D. *Thunberg*; — in Finlandia D. *Sahlberg*.

♂♀. Variat magnitudine, sed mas femina plerumque minor. Thorax maculis 4 albis, quarum 2 humeralibus & 2 juxta scutellum. Abdominis puncta & fasciæ obscura, magnitudine & extensione variant; maculæ brunneæ: in ♂ laterales plerumque anticæ transversæ, posterius sensim decrescentes, rotundatæ, & dorsales anticæ trigonæ parvæ, versus anum minutæ obsoletæ; in ♀ fasciæformes. Alæ hyalinæ. Tarsi apice fusci l. nigri.

Var. c. ♂. thorace abdominisque dorso ferrugineis, maculis nigris vix ullis, ventre nigro, incisuris albidis, alias var. *α*. similis, forte juvenilis; est *Henops globulus* var. *γ*. Fall. l. c. sed non *Acrocera sangrinea* Meig. Dipt. 3. 94. 1., quæ pedes nigros, nec ut in nostra flavos, habet. In Ölandia ad Ottenby cum var. a. rarissime capta.

2. *A. borealis:* nigra, thorace subimmaculato, abdominis segmento tertio utrinque macula rotundata, pedibusque pallidis. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 573. 1.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali rarissime; in trunco Betulæ albæ ad Åsele Lapponiæ Umensis d. 26 Jul. 1832 a me inventa.

♂? Similis priori, obscurior. Thorax macula humerali parva & alia juxta scutellum utrinque valde obsoleta, albidis. Alæ hyalinæ Pedes pallidi, tarsis apice fuscis.

29. HENOPS Meig.

Corpus minoris magnitudinis, subglobosum, gibbum, breviter pubescens. Oculi ut in priori genere. *Color* nigricans. *Motus*, *mores*, *habitatio* & *differentia sexus* ut in genere præcedente, a quo nota essentiali, ex antennarum situ sumta, tamen dignoscitur.

1. *H. gibbosus:* niger, abdominis incisuris squamaque sub alis, albis, femorum apice, tibiis tarsisque albo-rufescentibus. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{1}{2}$—2lin).

Var. a. ♂♀. abdomine nigro, incisuris anguste albis.

Fabr. Antl. 333. 1. *Musca* Linn. Fn. 1815. *Syrphus* Panz. Fn. 44. f. 21.

Var. b. ♂♀. abdomine nigro, incisuris late & inæqualiter albis.

Meig. Dipt. 3. 99. 1. t. 21. f. 15. *Ogcodes* Macq. Buff. 1. 368. 1. *Henops leucomelas* Fall. Stratiomyd. 3. 1. ♂♀.

Hab. in pratis sylvaticis, mares plerumque gregatim in ramis exsiccatis Alni, per Sueciam mediam & meridionalem, 29 Jun. — 6 Jul., passim; scilicet var. a. in Scania ad Esperöd & Tranås rar.; in Ölandia ad Glömminge freq.; in Gottlandia ad Garde pass.; var. b. in Scania ad Tranås & Fogelsång a D. *Dahlbom* capta.

Thorax griseo-pubescens niger, callo sub-ferrugineo inter alas & scutellum. Venter disco albus. Alæ hyalinæ, costa alba. Tarsi apice interdum ungulæque semper, nigra. Reliqua ut in diagnosi.

2. *H. marginatus:* niger, abdominis incisuris squamaque sub alis, albis, hac nigro-marginata, pedibus totis flavis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 100. 2. t. 21. f. 12. *Ogcodes* Macq. Buff. 1. 368. 2. *Henops gibbosus* Fall. Stratiom. 3. 2.

♂♀. (exlus. syn. Fabr.). *H. limbatus* Meig. l. c. 100. 3. var.

Hab. gregatim in ramis exsiccatis pendulis arborum viventium Quercus, Populi &c., 15--20 Jul., per Sueciam mediam passim; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* ad Lärketorp & Egebylund certis annis freq. etiam ad Godegård, & in Koängen prope Wadstena, ipse; in Uplandia, D. Prof. *Thunberg.*

Similis priori, sed plerumque paullo minor, & differt præcipue pedibus totis luteo-flavis & squama sub alis anguste nigro-maculata. Thorax, griseo-pubescens, immaculatus. Venter disco albo, segmentis basi piceis. Coxæ, trochanteres & ungulæ, nigra. — Variat interdum abdomine ferrugineo, segmentis basi inæqualiter piceis, incisuris summis albis, & hic sine dubio est *H. limbatus* Meig. l. c.

3. *H. nigripes:* niger, pedibus concoloribus, abdominis incisuris squamaque sub alis, albis, hac nigromarginata. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 574. 1.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali rarissime; in silva Pinetorum prope Långseleberget ad Stensele Lapponiæ Umensis d. 4 Jul. 1832 pauca specimina inveni.

Similis priori, ejusque individuis minoribus æqualis. Thorax griseo-pubescens, immaculatus. Ab *H. gibboso* alarum squama sub alis margine summo nigro, ab *H. marginato* nervo costali forte paullo obscuriori, & ab utroque pedibus totis nigris l. nigro-piceis, facile dignoscitur.

---

30. SPHÆROGASTER Zett.

Corpus nudum, minutum, ovatum, empidiforme, crassum, abdomine suborbiculari, depresso. *Color* niger. *Habitatio* in paludosis. *Metamorphosis & differentia sexus* ignotæ.

1. *S. arcticus:* glaber, subnitidus, ater, alis hyalinis, thoracis linea humerali halteribusque albis, pedibus nigris, geniculis tarsisque fuscis. (Long. vix ½ lin.).

Platygaster Zett. Ins. Lapp. 571. 1. (De ratione mutationis nominis cfr. præsentis operis Dispositio).

Hab. in graminosis paludosis Lapponiæ Norvegicæ borealis rarissime; scilicet in monte subalpino Skaadavaara juxta Alten Finmarkiæ occidentalis haud longe a Nord-Cap d. 17 Aug. 1821 unicum individuum inveni.

Tachydromiæ nigræ aut *geniculatæ* habitu, primo intuitu, non absimilis, sed haustello porrecto, abdominis forma & directione nervorum abunde diversus. Quoad antennas & haustellum exsertum, *Cyrto*, quoad nervorum directionem, *Henopi*, affinis. Oculi rotundi, magni, interstitio frontali triangulari disjuncti. Epistoma angustum, ad os subgibbum seu subelevatum. Alæ abdomine paullo longiores, modice latæ, hyalinæ, nervis costalibus distinctis, fuscis, reliquis albidis, tenuibus, obsoletis. Area angularis ad basin alæ quidem adest apice aperta, sed obsoleta & nervo altero valde obliterato. Halteres nivei, clava rotunda, basi nigra. Pedes breves, toti omnino nudi, femoribus validis

---

31. HYBOS Meig.

Corpus parvum, subpilosum, incurvum, nitidum, firmum. *Color* corporis niger, pedum sæpe flavus. Oculi in utroque sexu conjuncti, in vivo obscure ferruginei. *Motu* segnis; *volatus* gravis, laborans. *Habitatio* in nemoribus, lucis & pratis; in foliis fruticum, floribus & graminosis occurrit. *Victus* e rapina Dipterorum minorum. *Differentia sexus; mas:* femoribus posticis valde incrassatis, & ano subclavato; *femina:* femoribus posticis modice incrassatis, & ano acutiori.

1. *H. funebris:* niger, pedibus concoloribus pilosis, alis fuscis, stigmate obscuro; halteribus flavicantibus. ♂♀. (Long. 1¾ lin.).

Fabr. Antl. 145. 1. Fall. Empid. 5. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 347. 1. Macq. Buff. 1. 318. 1.

Zett. Ins. Lapp. 525. 1. ♂♀. *Empis clavipes* Fabr. Antl. 138. 4. ♂.

Hab. in nemoribus per totam Scandinaviam, 21 Jun. — 17 Sept., vulgaris, sæpe in copula deprehensa, in Lapponia meridionali etiam obvia. — E Dania quoque missa.

2. *H. infuscatus:* niger, pedibus concoloribus pilosis, tarsis flavis, alis subfuscis, apice indeterminate hyalinis, stigmate obsoleto, halteribus albicantibus. ♂. (Long. 1¾ lin.).

Stæg. in litt.

Hab. in Scania rarissime, ibique ad Lund semel a me inventus.

Simillimus *H. funebri*, alarum apice hyalino & stigmate fusco magis obsoleto anoque magis tumido præcipue distinctus. — Specimen Danicum a nostro differt: tarsis nigris, nec ferrugineis, & halteribus flavicantibus; forte vero ejusdem speciei.

3. *H. vitripennis:* niger, pedibus concoloribus pilosis; alis hyalinis, stigmate obscuro; halteribus albis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 2. 318. 2. Zett. Ins. Lapp. 535. 2. ♂♀. *Hyb. funebris* var. alis minus fuscis. Fall. Empid. 5. 1. (descriptio). *Dasypogon culiciformis* Fabr. Antl. 172. 10.

Hab. in foliis fruticum Alni, Pini &c., per totam Scandinaviam, 1 Jul. — 2 Sept., ubique præsertim in provinciis borealibus & Gottlandia vulgaris, & priori fre-

quentior; in Lapponiis Suecicis meridionalibus quoque haud raro occurrit; in copula captus; in Scania vix nisi ad Höör, Silfåkra & Lindholmen mihi obvius, at in Norvegiæ littoribus marinis ex. gr. in Værdalen, Thynæs & Levanger iterum frequentissime visus. — E Finlandia & Dania etiam missus.

Ab *H. funebre*, cui affinis & similis, differt: magnitudine sæpe paullo minori, alis magis pure hyalinis & halteribus magis albidis. Nec nisi similis cum simili copulatur.

4. *H. flavipes:* niger, thorace vitta cinerascente, pedibus pilosis, anterioribus totis, posticorumque tarsis, flavis; alis hyalinis, stigmate obsoletissimo, halteribus albidis ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{2}$ lin.).

Fabr. Antl. 115. 2. Fall. Empid. 5. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 318. 3. Macq. Buff. 319. 3. Zett. Ins. Lapp. 535. 3. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum præsertim per Sueciam meridionalem & mediam, 1 Jul. — 7 Sept., passim, sæpe in copula; scilicet in Scania ad Abusa, Silfåkra, Esperöd &c. freq.; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Ölandia, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Gothem, Kräcklingbo &c.; in Helsingia ad Harfåsberget parœciæ Arbrå, rarius; deinde valde rarescit & intra limitem Lapponiæ meridionalis vix nisi rarissime obvius. — Feminam oviparam, ovaque oblonga albida vidi. — Anus maris hamis vel stylis 2 recurvatis intra duas lamellas parvas convexas.

5. *H. fumipennis:* niger, thorace vitta cinerascente; pedibus pilosis, anterioribus totis, posticorumque tarsis, flavis; alis dilute infumatis, stigmate obsoleto. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 319. 4. — Germar in Ahrensii Fn. Europ. 12. tab. 25: "pedibus anterioribus croceis."

Hab. in Suecia meridionali & media rar.; in Scania ad Lund; in Ostrogothia: in parœcia Häradshammar in unico specimine 1811 captus a D. *Stenhammar*, ad Lärketorp rarissime lectus a me, & ad Gusum a D. *Wahlberg*, qui eundem quoque in Bahusia ad Marstrand invenit.

♀. Simillimus priori, a quo non differt nisi alis magis cinerascentibus seu dilute fumatis, stigmate pallide fusco, minus obsoleto, & halteribus luteo-flavis, nec flavo-albis. Alarum nervi quoque paullo obscuriores videntur. Præterea corpus nitidum, pleuræ cinerascentes, alarum costa ciliata & pedes omnes sat longe griseo-pilosi sunt omnino ut in præcedente. Variat uti prior pedibus posticis rufo-piceis, forte juvenilis.

---

32. OCYDROMIA Hoffmgg.

Corpus parvum, glabriculum, nitidum, subincurvum, molliculum. *Color* niger aut rufo-testaceus. Oculi in viva rufo-brunnei, parum æneo-micantes. *Motu* agilis; volatus non velox, sed reptatus celer. *Habitatio* in pratis, locis umbrosis; foliis fruticum & plantarum floribusque sæpe insidens; æstivalis. *Differentia sexus; mas:* corpore obscuriore, graciliore & ano obtuso, a *femina*: corpore pallidiore, robustiore & ano acutiori, mox dignoscitur. *Copulatio* in aëre forsitan peragitur; hinc individua licet utriusque sexus quarundam specierum sæpe frequentissima, rarissime in copula juncta deprehenduntur. Oculi in utroque sexu in fronte connexi.

1. *O. glabricula:* corpore maris nigro, feminæ rufo-testaceo, maculis thoracis abdominisque dorso nigris;

pedibus in utroque sexu pallidis; alarum stigmate obscuro. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Mas: subænescenti niger, lucidus, ventre pallidiore, alis halteribusque nigricantibus; pedibus testaceis, coxis flavis, tibiis præsertim anticis tarsisque omnibus obscuris; metatarsis posticis subincrassatis; oculis in vivo rufis;

Fem.: rufo-testacea, alis hyalinis; capite thoracisque disco abdominisque maculis dorsalibus, nigris; coxis, femoribusque basi, flavis, tibiis anticis tarsisque omnibns fuscis; oculis in viva rufo-brunneis, parum æneo-micantibus.

Meig. Dipt. 2. 352. 1. t. 21. f. 23. ♀. Macq. Buff. 1. 320. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 536. 1. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 33. 12. ♂♀. vera. *Tachydromia nigripennis* Fabr. Antl. 144. 7. ♂.

Var. b. ♂. pedibus nigris, coxis femoribusque fusco-testaceis, oculis in vivo ferrugineis; in ceteris var. a. simillimus. Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♂.

Hab. in hortis & nemoribus locis umbrosis; var. a. per totam Sueciam, Lapponiam infra alpes, Norvegiam & Nordlandiam, 29 Maj 13 Sept., ubique vulgaris, præsertim masculi frequentes; var. b. magis borealis videtur, & in Westrogothia, ad radicem Mullfjellet Jemtlandiæ, ad Suul in Jugo alpino Norvegiæ, ad Næs in Værdalen atque ad Barrsele Lapponiæ Umensis, mensib. Jul. & Aug. inventa.

Mas gracilis; femina robustior. Abdomen maris post mortem compressum, a latere inspectum seriem macularum rufescentium subpellucidarum ad marginem ventralem sæpe ostendit. Area discoidalis 2 nervos ad marginem interiorem emittit, sed interdum etiam rudimentum nervuli tertii ut in *Leptopeza*. Thorax in ♀ rufo-testaceus, in dorsi antico macula rotundata determinata atra.

2. *O. scutellata:* nigra, scutello in mare, pectore-

que in utroque sexu piceis; alis fusco-hyalinis; tibiis anticis tarsisque omnibus fuscis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Mas: ater, pleuris scutelloque rufo-testaceis; abdominis lateribus maculis subflavicantibus; alis fumatis, stigmate fusco; halterum clava subfusca; pedibus flavo-testaceis, coxis pallidis, tibiis anticis fere totis tarsisque omnibus nigro-fuscis;

Fem.: an hujus? atra, thoracis limbo inferiori, scutello, pleuris, abdominisque margine laterali, rufo-ferrugineis; alis hyalinis, stigmate obscuro; halteribus testaceis, clava apice fusco-maculata; pedibus cum coxis testaceis, tibiis anticis tarsisque omnibus nigricantibus.

Meig. Dipt. 2. 351. 5. ♂. Stæger in litt. ♀.

Var. b. ♀. vera; atra, scutello piceo, pleuris, abdominis strigis lateralibus ventreque rufo-ferrugineis; alis hyalinis, stigmate obscuro; area discoidali ad marginem interiorem nervos 2 integros & tertium inchoantem emittente; halteribus testaceis, clava fusca; pedibus testaceis, tibiis anticis tarsisque omnibus obscuris.

Zett. Ins. Lapp. 537. 4. (♂ immerito).

Var. c. ♀. similis var. b., obscurior, scilicet scutello pleurisque nigro-piceis, abdomine toto nigro, ventre solo dilutiore; area discoidali absque rudimento nervi tertii. Zett. l. c. ♀.

Var. d. ♀. similis var. c. sed paullo minor, thorace toto cum scutello & pleuris atro, abdominis dorso atro, lateribus maculis triangularibus ventreque rufo-ferrugineis.

Hab. in Scandinavia passim; scilicet varietatis a. marem ad Lund Scaniæ, & feminam in Ostrogothia atque ad Faxelfven Jemtlandiæ, 1—9 Aug., inveni, eandemque quoque e Dania sub eodem nomine a D. *Stæger* obtinui; var. b. ad Wilhelmina Lapponiæ Umensis rarissime legi; var. c. ad Johannis Ro prope Tornoam detegi; & var. d.

ad Lärketorp Ostrogothiæ, nec non ad Gothem Gottlandiæ d. 10—17 Jul. invenive mihi contigit.

Obs. Marem descriptum tantum esse varietatem *O. rufipedis* autumat D. *Stæger.*

3. *O. rufipes:* corpore maris nigro, pleuris rufis, feminæ rufo, thoracis vitta dorsali abdominisque fasciis, nigris; alarum stigmate fusco; pedibus flavis, tibiis apice tarsisque nigricantibus. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Mas: forte hujus? subæneseenti niger, lucidus, alis halteribusque nigricantibus, pleuris rufo-ferrugineis; pedibus nigris, coxis pallidis, femoribus tibiarumque ima basi, flavis;

Fem.: rufo-testacea, capite, thoracis vitta dorsali, abdominisque fasciis dorsalibus, nigris; alis cinerascenti hyalinis, halteribus testaceis, clava supra fusco-maculata; pedibus flavis, tarsis fuscis.

Var. a. ♀. (cum qua marem descriptum in societate inveni) thoracis vitta dorsali nigra unica.

Meig. Dipt. 2. 353. 2. Zett. Ins. Lapp. 536. 2. var. a. ♀.

Var. b. ♀. thoracis vittis 3 discretis nigris, media postice, lateralibus utrinque abbreviatis, his interdum tantum maculiformibus, raro omnibus dilatatis subconfluentibus.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. & c. ♀.

Var. c. ♀. thorace rufo subimmaculato.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. d. ♀. *Empis glabricula* var. *β.* Fall. Empid. 33. 42. ♀.

Hab. in pratis sylvaticis in foliis fruticum, per Scandinaviam, 27 Maj — 20 Aug., passim; var. a. in Scania & Ostrogothia præsertim frequens; var. b. longius procedit, & non solum in Scania & Ostrogothia, verum etiam in Gottlandia, Helsingia & Lapponia usque ad

Tårneå, vulgaris; var. c. in primis in Scania, Ostrogothia & Ölandia legitur. — Feminam var. a. in eodem folio ac marem descriptum sedentem ad Allerum Scaniæ 25 Jul. deprehendi; & feminam var. b. viviparam, larvis albis apice nigricantibus, d. 20 Maj. observavi.

♂♀. Similis *O. glabriculæ*, a qua *mas:* pleuris rufo-ferrugineis, nec nigris, & tibiis etiam posterioribus nigris, nec testaceis; & *femina:* thoracis signaturis nigris, non maculam magnam rotundatam, sed vittam unam vel plures in dorso formantibus, præcipue differunt.

4. *O. nigripes:* nigra, halteribus pedibusque concoloribus, alis cinereo-hyalinis, stigmate obscuro, area discoidali parallelogramma; tibiis posticis apice, metatarsisque, incrassatis. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; in Ölandia Jul. 1819 specimen unicum inveni.

♂. Prioribus minor. Affinis *Hyboti*, sed femoribus posticis simplicibus distincta. Tota nigra, subnitida, griseo-pilosula. Antennarum articulus ultimus oblongus, angustus, seta apicali elongata. Haustellum horizontaliter exsertum, capite transverso duplo breviori. Alæ cinerascentes, stigmate distincto, fusco, nervis ut in *Hybote* directis, parallelis, area discoidali parallelogramma formante, cujus nervus apicalis recta (nec oblique) ducitur, unde anguli 2 recti exstant. Pedes pilosuli, posticorum femoribus simplicibus, subtus rigide pilosis, sed non spinulosis l. serratis, tibiis ejusdem paris versus apicem distincte, metatarsisque modice, incrassatis.

33. LEPTOPEZA Macq.

Corpus parvum, glabriculum, nitidum, subincurvum, molliculum. *Color* niger, aut rufo testaceus. Oculi in viva

rufo-brunnei. *Motus & Habitatio* ut in *Ocydromia. Differentia sexus; mas:* plerumque longior, magis pilosus, abdomine lineari, ano parum clavato, sed varie appendiculato, a *femina:* glabricula, oviductu exserto, compresso, gladiiformi, arcuatim recurvato, facile dignoscitur. Ab *Ocydromia* distingvitur genus *Leptopeza:* antennarum articulo ultimo oblongo-conico, seta apicali, haustello brevi subperpendiculari seu obliquo, palpis crassis subcylindricis porrectis, & oviductu feminæ ensiformi. Directio nervorum in alis fere similis in ambobus generibus, area vero discoidalis in *Leptopeza* sæpius emittit 2 nervulos cum rudimenti tertii, quam in *Ocydromia*, ubi rarius nervus tertius inchoans observatur.

1. *L. ruficollis:* rufo-testacea, capite, metathorace, abdominis fasciis dorsalibus segmentoque ultimo, nigris; palpis, halteribus pedibusque pallide flavis, tarsis fuscis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Ocydromia Meig. Dipt. 2. 353. 3. t. 21. f. 24. ♀. Zett. Ins. Lapp. 536. 3. Sub *Emp. glabricula* v. *β.* Fall. quoque latet.

Hab. in foliis fruticum, in hortis, pratis & silvis, per Scandinaviam, 7 Jul. — 8 Sept; passim; scilicet in Scania ad Fogelsång, Tranås & Esperöd, minus freq.; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Egebylund & Wadstena, plerumque in foliis Coryli, frequenter; in Bahusia rarius; & in provinciis magis septentrionalibus rarissime.

♀. Colore *Ocydr. rufipedi* var. c. similis. Abdomen ferrugineo-flavum, dorso fasciis vel maculis dilatatis nigris; segmentum ultimum nigrum. Oviductus basi pallidus, apice subulato nigro. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis & stigmate dilute fuscis. Pedes cum coxis pallide flavi, tarsis præsertim posticis nigro-fuscis.

Var. b. ♀. Paullo major, abdominis maculis dorsalibus triangularibus atris majoribus magis dilatatis, fere

totum dorsum obtegentibus, relictis tantum maculis ad latera triangularibus rufis; tibiis posticis fere totis tarsisque omnibus nigris. — Vix distincta species, nam in ceteris var. a. similis. — Area discoidalis in var. a. nervos 2 sæpe emittit cum initio tertii; in var. b. vero area semper absque rudimento tertii. — Hab. in pratis Gottlandiæ ad Ahlskog & Rohne d. 9—12 Jul. 1841 capta.

2. *L. flavipes:* nigra, palpis halteribusque pallidis; pedibus flavis, tarsis fuscis, coxis posticis nigro-maculatis, tibiis posticis apice incrassato brunneo; alis hyalinis, nervis pallidis, stigmate obsoleto. ♂. (Long. 1½ lin.).

Macq. Buff. 1. 321. 1. ♂. *Ocydromia* Meig. Dipt. 2. 353. 4. ♂. Zett. Ins. Lapp. 537. 5. ♂. (exclus. forte ♀).

Hab. in foliis fruticum Populi Tremulæ &c., etiam in graminosis, per Sueciam mediam & Norvegiam, 14 Jul. — 20 Aug., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Hagalund prope Wadstena & ad Gusum; in Nericia ad Kärr; & in Lapponia Norvegica ex. gr. ad Björkvik Nordlandiæ. In Suecia meridionali a me non observata.

♂. Gracilis, nigra, griseo-pilosa. Palpi & halteres albido-flavi. Alarum nervi pallescentes, præsertim basi. Ex area discoidali 2 nervuli ad marginem excurrunt integri, & raro rudimentum tertii. Pedes cum coxis pallide flavi. Coxæ tantum posticæ nigro-maculatæ. Tibiæ posticæ versus apicem sensim incrassatæ, subclavatæ, pilosæ, dilute brunneæ; metatarsi postici etiam modice incrassati, brunnei. Femora postica testacea. Tarsi omnes dilutius l. obscurius fusci.

3. *L. tibialis:* nigra, palpis halteribusque pallidis; ventre pedibusque flavis, coxis concoloribus, tarsis nigris, tibiis posticis nigricantibus, apice incrassato; alis hyalinis,

nervis obscuris, stigmate obsoleto. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin. oviductu demto).

Ocydromia flavipes Zett. Ins. Lapp. 537. 5. ♀. specimina Trondheimensia.

Hab. in Scandinavia boreali, 28 Jun. — 9 Aug. pass.; nempe in Jemtlandia Succiæ ad diversorium Faxelfven & ad radicem Mullfjellet; atque in Norvegia, in districtu boreali Trondheimensi pluribus locis, D. *Boheman*, nec non in Værdalia ad Östre-Næs, & ad littora maris prope Thynæs & Levanger freq., ipse.

♀. Similis priori, sed vix ejus femina ut olim credidi. Differt ab illa: tarsis obscurioribus, tibiis posticis fere totis nigro-brunneis, alarum nervis paullo obscurioribus, coxis posticis flavis immaculatis, & ventre pallescente. Alæ basi pallidæ. Femora postica extus in primis testacea. Oviductus niger, basi pallidus.

♂. Simillimus feminæ descriptæ, abdomine magis piloso & ano mutico diversus. Specimen paullo corrugatum, sed ni valde fallor masculum est, nec femina mutilata. Exsiccatum examinavi, ad Thynæs cum feminis captum.

4. *L. borealis:* nigra, palpis, ventre, tibiis posticis tarsisque omnibus, concoloribus; pedibus flavo-testaceis, tibiis posticis tarsisque omnibus, concoloribus; pedibus flavo-testaceis, tibiis posticis apice incrassatis; alis cinereo-hyalinis, nervis parum fuscis, stigmate obsoleto. ♀. (Long. 1 lin.).

Ocydrom. flavipes Zett. Ins. Lapp. 537. 5. ♀. specimen Lapponicum ad Wilhelmina.

Hab. in Scandinavia septentrionali cum priori, 4 Jul. — 2 Aug., passim; scilicet in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & Mullfjellen freq; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ, & in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rar. —

♀. *Leptop. tibiali* iterum similis, sed paullo minor, & palpis nigris, nec flavis, ventre obscuriori, oviductu feminæ toto nigro, nec basi pallido, ut & tibiis posticis fere totis tarsisque omnibus intensius nigris, præcipue diversa. Habitus *Tachydromiæ*. Femora omnia simplicia flavo-testacea.

5. *L. flavimana:* nigra, pedibus posticis totis, tarsisque omnibus concoloribus, palpis halteribusque pallidis, alis hyalinis, nervis stigmateque subobscuris; pedibus anterioribus flavis. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norvegia rarius; in foliis fruticum ad Östre-Næs Værdaliæ, atque ad Thynæs & Levanger, 2—9 Jul. 1840, tria specimina inveni.

♀. Magnitudo, statura & similitudo *Leptop. flavipedis*, a qua vero alarum nervis & stigmate obscurioribus, nec non pedibus posticis totis nigris statim dignoscitur. Palpi & halteres albo-flavi. Area discoidalis nervulos 2 integros & tertium inchoantem ad marginem tendit. Pedes antici cum coxis pallide flavi; intermedii flavi, coxis tibiarumque apice dilute brunneis; postici cum coxis toti atri, tibiis apice metatarsoque paullo incrassatis.

6. *L. nigripes:* nigra, pedibus concoloribus, anteriorum geniculis albidis; palpis obscuris, halteribus testaceis; alis hyalinis, stigmate fusco. ♂. (Long. 1 lin.).

Var. a. ♂. pedibus omnibus & totis nigris, anteriorum tantum geniculis albidis.

Var. b. ♂. pedibus omnibus & totis dilute fuscis, anteriorum geniculis paullo dilutioribus.

Hab. in Værdalia Norvegiæ rarissime; var. a. in jugo alpino 20 Jul., & var. b., quæ forte tantum individuum nuper declaratum præbet, ad Garnæs 30 Jun., a me lectæ.

♂. Similis *Tachydromiæ*, sed nervorum directione & femorum simplicitate distincta. Affinis quoque & similis *Leptop. borealis*, cujus marem putarem, nisi color palporum pedumque obstaret. Haustellum breve crassum, subperpendiculare, palpis parvis porrectis, nec incumbentibus, nigrofuscis. Alæ ima basi pallescentes; area discoidalis nervulos 2 ad marginem emittit, at vix rudimentum tertii. Tibiæ posticæ apice, metatarsique ejusdem paris, paullo incrassata. Color pedum ut in diagnosi. In var. a, quæ typica est, pedes anteriores nigro-fusci, trochanteribus & geniculis sat late sordide albidis.

---

34. OEDALEA Meig.

Corpus minutum, subelongatum, glabriculum, nitidum, alis abdomine multo longioribus. *Color* corporis niger, pedum pallidus. *Motu* haud agilis. *Volatui* parum propensa. *Habitatio* in foliis fruticum. *Metamorphosis* non rite cognita, sed feminas ova in truncis putridis deponere aliquoties observavi. *Differentia sexus; mas:* oculis connexis, ano obtuso; *femina:* oculis paullo distantibus, ano acuminato. Typus generis *Oedal. hybotina.* — Valde affinis generi *Microphoræ*, sed antennarum longiorum stylus terminalis in *Oedalea* multo brevior, subæqvaliter crassus & non perspicue biarticulatus.

1. *Oed. hybotina:* nigra, halteribus pedibusque pallide flavis, posticorum femoribus apice, tibiisque fere totis nigro-brunneis, tarsis omnibus apice fuscis; alis hyalinis ad costam fusco-bimaculatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 2. 356. 1. ♂. (nervulo medio ex area discoidali versus marginem emisso nimis abbreviato). Macq. Buff. 1. 321. 2. Zett. Ins. Lapp. 538. 1. ♂♀. *Empis hybotina* var. 'alis maculatis' Fall. Empid. 31. 39. ♂♀. vera.

Hab. in foliis fruticum Coryli, Alni &c., per Sueciam, 15 Jun. — 30 Jul., passim; in Scania ad Abusa, Björnstorp & Esperöd; in Ostrogothia ad Lärketorp rar., ad Gusum, D. *Wahlberg*; ad Gothoburgum, Idem; in Jemtlandia ad radicem alpium Mullfjellen rariss.; feminam oviparam 20 Jun. & 20 Jul. vidi in Scania.

♂♀. Antennæ in nostris speciminibus totæ semper nigræ. Alæ hyalinæ, maculis ad costam 2, una fere in medio, altera versus apicem, fuscis, sæpe obsoletis, raro in fasciam brevem dilatatis. Coxæ omnes, uti pedes, pallide flava. Femora postica annulo lato ab apice fere ad medium extenso, brunneo; tibiæ posticæ etiam nigro-brunneæ, basi flavæ. Tarsi omnes l. saltem posteriores fusci, metatarsis pallidis. Oviductus feminæ ut in *Leptopeza* exsertus, compressus, ensiformis, subrecurvus, niger, basi l. medio pallidus.

2. *Oed. stigmatella*: nigra, halteribus pedibusque pallide flavis, posticorum femoribus apice, tibiisque fere totis, tarsisque omnibus, nigris; alis hyalinis, macula stigmaticali unica, fusca. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. thorace pleurisque nigris.

Var. b. ♂♀. thorace nigro, macula humerali pleurisque aut piceis aut rufo-ferrugineis.

Hab. in Suecia, 22 Jul. — 10 Aug., passim, præsertim in provinciis borealibus; in Scania ad Esperöd rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp minus freq.; in Dalecarlia, D. *Boheman*; in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, nec non in jugo alpino ad Skalstugan, haud raro; in copula d. 27 Jul. deprehensa; var. a. & b. promiscue habitant & diversas species minime constituunt. — Sub nomine *Oed. fulvipes* specimina olim divulgavi.

♂♀. Simillima *Oed. hybotinæ*, sed aperte differt macula stigmaticali fusca elongata integerrima, minime divisa, & id in

utroque sexu simile. Pedes femorum posticorum annulo apicali, tibiis posticis tarsisque omnibus quoque intensius nigri sunt & rarius his signaturis brunneis. Oviductus ♀ niger. Sed variat interdum corpore toto ferrugineo & omnibus partibus dilutioribus in speciminibus nuper exclusis; manet tamen nota constans e stigmate desumta, qua ab *hybotina* facile dignoscitur.

3. *Oed. flavipes:* nigra, halteribus pedibusque pallide flavis, tibiis posticis fere totis, tarsisque omnibus apice, nigricantibus; alis hyalinis, macula stigmaticali unica fusca. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Stæger in litt. die 24 Aug. 1839. — An *Oed. tibialis* Macq. Buff. I. 321. 1.?

Hab. in Suecia, 20 Jul. — 1 Aug., rarius; in Scania ad Esperöd, & in Jemtlandia ad radicem Åreskutan specimina pauca inveni. — Circa Hafniam Danorum utrumque sexum legit D. *Stæger*, nempe ♂. 12 Jun. & ♀. 16 Jul.

♂♀. Similis iterum *Oed. hybotinæ* & *stigmatellæ*, sed a priori dignoscitur alarum stigmate non diviso & ab utroque femoribus posticis flavis immaculatis. Alæ ut in *stigmatella*, silicet hyalinæ, leviter infuscatæ, stigmate fusco, distinctiore. Coxæ omnes albo-flavæ. Pedes anteriores pallide flavi, tarsis fuscis, metatarso antico sæpe pallido. Pedes postici: femoribus flavis, summo apice interdum subfusco, tibiis nigris, basi albidis, tarsis nigris. ♂ brevissime griseo-pubescens, ♀ glabricula oviductu nigro. Variat tibiis anticis fere totis nigricantibus, basi flavis.

4. *Oed. minuta:* nigra, halteribus (♂) brunneis, pedibus flavis, tibiarum posticarum apice incrassato fusco, tarsorum articulis ultimis brunneis; alis hyalinis, stigmate obscuro. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 538. 2. ♂ (exclus. ♀, quæ ad *Microphoram clavipedem* pertinet).

Vix Meig. Dipt. 2. 356. 2.?? *Empis minuta* Fall. Empid. 32. 10. (unum vel alterum specimen in Musæo; reliqua ad *Microphor. clavipedem* referenda).

Hab. in Suecia rarissime mens. Julio; in Scania ad Esperöd; in Gottlandia ad Öja, & in Dalekarlia. — Etiam in parœc. Häradshammar Ostrogothiæ lecta erit, teste D. *Stenhammar.*

♂. Minuta nigra. Antennæ capite transverso fere duplo longiores, seta apicali brevissima, vix ulla. Haustellum occultum. Alæ hyalinæ, nervis omnibus integris, macula stigmaticali minus elongata, quam in prioribus, fusca, distincta. Halteres nigricantes (in ♀ forte flavi). Pedes cum coxis pallide flavi pilosuli, tibiis posticis apice distincte incrassato brunneo. Tarsi omnes apice fusci. Femora postica in medio vestigium annuli brunnei habent. — Cave ne hanc cum *Microphora clavipede* simillima confundas; ad antennarum structuram diversam probe attendas.

5. *Oed. pallipes:* nigra, halteribus pedibusque pallide flavis, tibiarum posticarum apice subincrassato, dilute fusco, alis hyalinis, stigmate obsoleto. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 538. 3. ♀. (exclus. ♂, qui ad *Microphor. flavipedem* pertinet).

Hab. in Scandinavia rarissime; in Lapponia, & ad Garde atque Öja Gottlandiæ in pratis 6—8 Jul. pauca individua inveni.

♀. Feminam prioris crederem, nisi structura tibiarum posticarum &c. aliter svaderet. Ab *Oed. minuta* differt: halteribus flavis, nec nigricantibus, alarum nervis pallidioribus, stigmate obsoletissimo, tibiis posticis apice parum infuscatis, parumque brunneis, & tarsis totis flavis, apice vix in-

fuscatis, in reliquis similes, sunt. Oviductus non longe exsertus. Affinis quoque *Microphoræ flavipedi*, a qua antennarum forma præcipue dignoscitur.

Obs. *Microphora fuscipes*, antennis longis, stylo apicali brevi, huic generi forsitan haud inepte subjicienda esset, sed ut species transiens, me judice melius & facilius in *Microphoræ* genere invenienda.

---

35. ANTHALIA Zett.

Corpus minutum l. minutissimum, elongatum, parum pubescens, sæpissime nitidum, thorace gibbo. *Color* corporis niger aut flavus, pedum sæpe pallidus. *Motu* haud celer. *Habitatio* in floribus & foliis fruticum. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuminato. Nervi longitudinales omnes simplices, sed in *A. furcata* nervus tertius apice furcatus.

1. *A. Gyllenhali:* atra, nitida, pedibus flavis, halteribus pallidis; alis albidis, fascia media nigra. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 538. 1. ♀.

Hab. in foliis fruticum Betulæ albæ & nanæ &c., locis plerumque paludosis, 8 Jul. — 2 Aug., per Sueciam borealem & Lapponias Suecicas meridionales, passim; in Jemtlandia ad radices alpium Åreskutan & Mullfjellen, & in Lapponia Umensi ad Umenäs & Wilhelmina inveni.

♂♀. Species pulcherrima & distincta. Atra, glabra, nitidissima, capitis partibus concoloribus. Antennarum stylus brevissimus. Alæ albæ, fascia media nigra dimidiata. Halteres albi. Thorax gibbus. Pedes cum coxis flavi, in ♀ immaculati, in ♂ postici femoribus tibiisque in medio fusco-brunneis. Abdomen in ♂ pilosulum; oviductus ♀ acumina-

tus. Haustellum in utroque sexu vix longitudine capitis, oblique porrectum crassum.

2. *A. rostrata:* atra, nitida, pedibus flavescenti fuscis, halteribus albidis; alis hyalinis, stigmate obsoleto, nervis inferioribus tenuissimis; haustello longissimo. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Rhamphomyia consobrina Zett. Ins. Lapp. 511. 70. ♂♀.

Hab. in amentis Salicum, per Scandinaviam borealem occidentalem, 24 Jun. — 5 Aug. rar.; scilicet in Jemtlandia ad radices Åreskutan & Mullfjellen, nec non in fenestris ad Skalstugan uterque sexus haud infrequenter; in jugo alpino Norvegiæ ad Suul Værdaliæ & ad Åsele Lapponiæ Umensis specimina quoque invenit D, *Dahlbom.* — Ad Thynæs & Giebostad ac Bossekop rar.; in Ostrogothia feminam etiam semel legi; & alia vice specimen quoque ad Gusum invenerit D. *Wahlberg.*

♂♀. Atra, glabra. Antennæ longitudine capitis transversi, ovales compressæ, seta vel stylo apicalibus nullis. Haustellum capite saltem duplo longius, oblique porectum, nigrum, filiforme, apice subcrassius & interdum fissum; palpis incumbentibus, perspicuis, ad basin haustelli sitis, nigris, pilosulis. Oculi maris conniventes, feminæ interstitio frontali nitido disjuncti. Alæ hyalinæ, nervis omnibus tenuibus, integris, costalibus tamen perspicuis; reliquis valde obsoletis; stigmate obsoletissimo. Halteres l. albi l. sordide albi. Pedes simplices, aut fusci, aut flavescentes, raro pure flavi, coxis concoloribus, tarsorum articulis 4 ultimis plerumque obscuris. Abdomen maris subpilosum, ano brevi recurvo; feminæ glabriculum, ano vaginato longe acuminato. Forte cum sequentibus duabus proprii generis ob haustellum eximium.

3. *A. albipennis:* atra, nitida, pedibus flavescenti fuscis, halteribus albis; alis albo-hyalinis, stigmate nullo,

nervis tenuissimis; haustello longitudine capitis. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Hab. in floribus cum priori, 30 Jun. — 27 Jul., rarius; in Jemtlandia ad Mullfjellen & Skalstugan &c. a D. *Boheman* & me inventa; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ individua quædam quoque legi.

♂♀. Magnitudo & summa præcedentis similitudo, sed ab illa vere differt; alis, præsertim in ♂, fere lacteis, halteribus purius albis, nervis alarum omnibus tenuioribus, albis, nervorum, qui ex area discoidali excurrunt, medio non ad summum marginem extenso, stigmatis maculæ vix vestigio, & haustello capite paullo, sed non duplo, longiore. In ceteris priori similis.

4. *A. nigra:* nigra, subnitida, pilosula, pedibus nigricantibus, halteribus aut nigris (♂), aut flavis (♀); alis cinereo-hyalinis, stigmate fusco, distincto; haustello capite paullo longiore. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. cum priori rarius; in Jemtlandia ad Forsa prope Mullfjellet, & ad Skalstugan, atque in Norvegia in jugo alpino ad diversorium Suulstuen Værdaliæ, 27 Jun. — 16 Jul. 1840 utrumque sexum detegi.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus iterum similis & affinis, sed paullo major, magis pilosa, alis cinerascentibus, nervis stigmateque distinctioribus &c. abunde distincta. Atra, capite, thorace & scutello non dense, sed distincte pilosis. Caput ut in *A. rostrata* etiam quoad differentiam sexus. Haustellum capite perpendiculari paullo longius, crassum, plerumque horizontaliter, interdum oblique porrectum, nunquam perpendiculare aut sub pectore inflexum (ut in *Empide & Rhamphomyia*). Pedes simplices, nudi, nigri (in ♂), aut nigro-picei (in ♀), geniculis summo apice puncto pallido. Halteres in ♂ nigri, in ♀ flavi. Reliqua ut in diagnosi; vel in *A. rostrata*. Oviductus feminæ sæpe fissus seu valvis divergentibus.

5. *A. furcata*; nigra, subnitida, pilosula, pedibus fusco-flavescentibus, halteribus nigricantibus; alis fusco-hyalinis, stigmate obscuriore, nervo tertio longitudinali apice furcato; haustello longitudine capitis. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad diversorium Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino d. 12 Jul. duo specimina inveni.

♀. Valde similis præcedenti, sed pedibus dilutioribus, halteribus magis obscuris, & haustello paullo breviori satis superque diversa; & ab omnibus conspeciebus nervo 3:tio longitudinali apice furcato distincta. — Affinis quoque videtur *Spaniæ* Meig., sed antennarum forma, & area angulari ad basin alæ nulla, aperte dignota. Nec *Empidis* generi hæc anomala species propter antennarum structuram, proboscidem subhorizontaliter porjectam &c. subjecta esse potest. Atra, nitida, puberula, abdomine pedibusque glabris. Antennæ longitudine capitis, oblongo-ovales, compressæ, apice absque rudimento styli l. setæ. Oculi distantes. Haustellum longitudine capitis perpendicularis, crassum, filiforme, horizontaliter exsertum, apice puberulum. — In specimine uno alæ fumatæ sunt & pedes fusci, femoribus basi geniculisque flavescentibus; & in altero (forte juvenili) alæ hyalinæ & pedes fere toti flavescentes, femoribus posticis in medio & tarsis omnibns fuscescentibus. Simul vero habitabant & vix specie distincta.

6. *A. Schönherri:* nigra, subnitida, pedibus halteribusque fuscis; alis fusco-hyalinis, immaculatis; haustello capite duplo breviori. ♂♀. (Long. vix ½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 539. 2. ♂♀.

Hab. in floribus Sorbi Aucupariæ &c. per Lapponiam Suecicam Umensem seu meridionalem, 25 Jun. — 8 Jul. rarius; scilicet ad Umenäs juxta radicem alp. Brattiksfjellet, nec non ad Gransele & Lycksele inventa.

♂♀. Minuta, priorum minore fere adhuc duplo minor. Fusco-nigra, parum nitida. Antennarum articulus ultimus magnus, sublenticulatus, absque seta terminali. Haustellum breve horizontaliter porrectum. Oculi in viva brunnei. Alarum nervi tenues. Area discoidalis 3 nervulos ad marginem emittit, intermedium distincte abbreviatum. Halteres obscuri. Pedes simplices, sordide testacei, aut nigro-fusci, tibiis anticis in ♀ subincrassatis. Oviductus sat longe acuminatus. — Variat ♂ alarum macula stigmat. nigricante.

7. *A. pallida:* testacea, parum nitida, oculis, thoracis vitta dorsali antica abdominisque dorso, nigricantibus, halteribus pedibusque flavis. ♂. (Long. ½ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 539. 3. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica Umensi rarissime, ad Lycksele semel inventa.

♂. Minuta; magnitudo prioris. Testacea, subglabra. Oculi nigri, distantes. Antennæ capite breviores, compressæ, absque seta terminali. Thorax gibbus, tenuissime pubescens, vitta dorsali abbreviata nigra. Abdomen breve, dorso fuscum, ano elevato. Alæ flavo-hyalinæ, basi pallidiores, nervis omnibus tenuibus. Area discoidalis oblonga tres nervulos integros ad marginem emittit. Halteres magni, pallidi. Pedes breves, validi, pallide flavi, immaculati; postici paullo longiores & tenuiores. — Forte hujus generis?

---

36. MICROPHORA Macq.

Corpus minutum l. minutissimum, glabriculum, nitidum, thorace gibbo. *Color* niger. *Motus* sat celer. *Habitatio* in foliis fruticum. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. Genus hoc inter *Oedaleam* & *Anthaliam* medium, a priori: antennarum articuli ultimi conici seta longiori, distinctiori, femoribusque posticis simplicibus, mu-

ticis, nec subtus spinulosis; & a posteriori: antennarum articulo ultimo conico, nec ovato l. ovali, & seta interdum brevi, sed tamen perspicua, nec nulla, & denique haustello brevissimo, retracto, nec longitudine capitis vel illo longiore, præcipue differt.

1. *M. flavipes:* atra, nitida, glabra, pedibus simplicibus, flavis; alis subhyalinis, stigmate fusco, obsoleto. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: alis fumatis, halteribus obscuris;

Fem.: alis hyalinis, halteribus flavescentibus; in copula.

Macq. Buff. 1. 346. 5. *Trichina* Meig. Dipt. 6. 336. 1. ♂♀. t. 60. f. 10. ♂. *Oedalea pallipes* Zett. Ins. Lapp. 538. 3. ♂. (♀ ibi alata ad *Oedal. pallipedem* antea pertinet).

Hab. in foliis fruticum, per Sueciam, Jul. Aug. Sept., passim; in Scania ad Fogelsång & Abusa &c. freq., in copula sæpe capta; in Ostrogothia: ad Lärketorp, Sudercopiam & Gusum; in Uplandia circa Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi ad Kengis raro.

♂♀. Oculi rufo-ferruginei in utroque sexu conniventes. Antennæ longitudine capitis transversi, seta distincta, longitudine fere dimidiæ antennæ. Abdomen tenuissime pilosulum, ventre pallescente. Pedes pilosuli, toti cum coxis & tarsis flavi, tibiis posticis apice vix incrassatis. — Alarum stigma interdum magis perspicuum. Oviductus ♀ stylo brevi. — Specimina utriusque sexus e Dania a D. *Stæger* sub nomine *Trichin. flavipes* nobis communicata, Sept. Octob. capta, nostris simillima.

2. *M. clavipes:* atra, metallice subnitens, pilosula; pedibus flavescentibus, tibiis posticis apice incrassato, nigro; alis subhyalinis, stigmate fusco. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: alis plerumque fumato-hyalinis, halteribus obscuris; ano obtuso;

♀ *Fem.:* alis hyalinis, halteribus flavis; ano acuminato; in copula.

Macq. Buff. I. 316. 4. ♂♀. *Trichina* Meig. Dipt. 6. 336. 2. ♂. *Oedalea minuta* Zett. Ins. Lapp. 538. 2. (individua pleraque præsertim feminea). *Empis minuta* Fall. Empid. 32. 40. ♂♀. (specimina Scanensia pleraque; reliqua in Museo Falleni asservata ad *Oedalem minutam* nostram referenda).

Hab. in pratis sylvaticis, in foliis fruticum, per Scandinaviam, tota æstate a die 20 Maji, usque ad 28 Aug., ubique; in copula multoties capta; scilicet in Scania multis locis; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Wadstena & Lärketorp freq.; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Öja, Garde, Fårön, Nähr, &c., freq.; in Dalekarlia & aliis provinciis borealibus rarius; intra limitem Lapponiæ meridionalis rarissime; e Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Dania a D. *Stæger* plura exempla utriusque sexus communicata; unam generationem vernalem & alteram autumnalem producere videtur.

♂♀. Similis priori, tibiarum posticarum apice incrassato mox dignota. Valde quoque affinis & similis nostræ *Oedaleæ minutæ* antea descriptæ; sed per antennarum setam in *M. clavipede* paullo longiorem, quam in *Oed. minuta*, generice distinctæ videntur hæ duæ de cetero sat propinquæ species. Oculi & antennæ ut in *M. flavipede*, sed seta paullo breviori, vix sextam partem totius antennæ æquiparante. Corpus ænescenti nigrum, lucidum, & pedes tenuiter, pilosula. Alæ hyalinæ, in mare plus minus infuscatæ, stigmate præsertim in ♂ sat distincto, fusco. Nervuli 3 ex area discoidali emissi omnes ad marginem integri ducuntur. Pedes cum coxis in ♀ semper flavi, tibiarum posticarum apice tarsorumque omnium articulis ultimis tantum fuscis, nigris l. brunneis subdilatatis; pedes vero maris valde variant, aut ut in ♀ similes, aut plerum-

que obscuriores, femoribus scilicet in primis posticis, interdum etiam tibiis, annulo lato fusco l. brunneo instructis, tarsis quoque interdum totis obscuris.

3. *M. fuscipes:* glabra, nitida, atra, halteribus nigris; pedibus simplicibus fuscis; alis hyalinis, stigmate obsoleto. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Trichina Zett. Ins. Lapp. 540. 1. ♀.

Hab. in foliis plantarum Scandinaviæ rarissime; specimen unicum ad Stensele Lapponiæ Suecicæ meridionalis Umensis d. 4 Jul. 1832, & alterum ad Garnæs in Værdalia Norvegiæ d. 12 Jul. 1840, inveni.

♀. Similis videtur *Micr. velutinæ* Macq. Buff. 1. 346. 2. & *Trichinæ velutinæ* Meig. 7. 78. 4., sed corpore pedibusque glabrioribus, thorace minime striato, & pedibus fuscis, nec nigris, diversa. Oculi & antennæ ut in priori. Alæ hyalinæ, parum infuscatæ, certo luminis situ metallice renitentes, macula stigmaticali fusca, obsoleta. Area discoidalis trapezina tres nervulos ad marginem emittit, quorum intermedium non summum marginem attingentem. Pedes simplices, toti dilute fusci, tarsis apice nigris.

4. *M. pusilla:* nigricans, parum nitida, subpubescens; halteribus albidis; pedibus simplicibus nigris; alis hyalinis, stigmate obsoleto. ♀. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.).

Macq. Buff. 1. 316. 3. ♀. *Trichina* Meig. Dipt. 7. 78. 5. ♀.

Hab. in pratis Gottlandiæ, rar.; scilicet ad Nähr & Gothem d. 11—17 Jul. 1841 pauca specimina feminea inveni. (In Gallia boreali a D. *Macquart* detecta).

♀. Caput cum partibus totum nigrum, vertice piloso. Thorax nigro-cinerascens, subopacus, pilosulus. Abdomen nigrum, subnitudum, subnudum, ano longe acuminato. Alæ albido-hyalinæ, nervis tenuibus, stigmatis macula rudimentaria. Halteres pallidi l. sordide albidi. Pedes nigri, simplices, subnudi. An ♀ sequentis?

5. *M. tarsella:* nigricans, parum nitida, subpubescens; halteribus pedibusque nigris, horum posticorum tibiis apice, metatarsisque, valde dilatatis; alis hyalinis, stigmate obsoleto. ♂. (Long. vix ⅔ lin.).

Hab. in pratis Gottlandiæ, rar.; ad Nähr (in prato prope littus maris) & Öja, d. 8—10 Jul. 1841, specimina duo deprehendi, quæ verosimillimum ut mares speciei præcedentis sunt consideranda.

♂. Simillima priori, cujus marem credo, nec obstant halteres nigri (qui in masculis quarundum *Cyrtomæ* specierum nigri sunt, & in feminis albi), nec pedes postici dilatati. Sed cum in copula juncta non deprehensa sunt, ut specie separata hæc specimina quatuor *M. pusillæ* & *tarsellæ* descripsi. Oculi rufi. Haustellum longitudine capitis. Abdomen subcylindricum, subtus pilosum, ano inflexo. Halteres nigri. Pedes postici pilosi, compressi, tibiis apice valde dilatatis, metatarsis compressis, ovatis, tarsorum articulo 2:do parvo, sed sequentibus simplicibus nonnihil etiam latiori. Reliqua ut in *M. pusilla.*

37. HORMOPEZA Zett.

Corpus parvum, cylindricum, pilosum, opacum. *Color* obscurus. *Motus* ... *Habitatio* in sylvis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* ano elevato, rotundato, lamellis scilicet duabus? convexis, conniventibus, nigris nitidis, pilosulis, apice lunato inflexo, & stylo centrali filiformi, vix ultra ½ lin. longo, erecto, pilosulo rufescente; *femina:* ignota. — Genus valde distinctum.

1. *H. obliterata:* subpubescens, opaca, nigro-fusca; alis albo-hyalinis, nervis obsoletis, halteribus sordide albidis; pedibus flavo-testaceis. ♂. (Long. circit. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 510. 1. ♂.

Hab. in Sueciæ Botnia boreali, ad pagum Turtola supra Torneam & haud longe a limite Lapponiæ Tornensis d. 25 Aug. 1821 individuum unicum masculum inveni.

♂. Statura cylindrica, recta, *Rhamphomyiæ.* Caput globosum, nudum, oculis cohærentibus. Antennæ rotundatæ, brevissimæ, vix ultra sextam partem capitis diametri longitudine superantes, stylo terminali crasso, brevi, longitudine circiter dimidiæ antennæ, fusco-rufescente. Epistoma brevissimum. Partes oris mox infra antennas parum exsertæ. Alæ abdomine paullo longiores, albescentes, nervis tenuibus, pallidis, obsoletis, stigmate nullo. Nervi ut in *Hilara* directi. Pedes simplices, toti cum coxis lividi; postici subelongati, tibiis spinulosis; tarsi antici articulis subdiscretis, oblongo-rotundatis, submoniliformibus.

---

38. ITEAPHILA Zett.

Corpus parvum, pubescens, empidiforme. *Color* niger. *Motus* haud celer. *Habitatio* in floribus Salicum per Scandinaviam septentrionalem. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas connexis, anoque angusto, varie appendiculato & filato; *femina:* oculis late disjunctis, anoque longe acuminato, oviductu bifido. — Antennæ ut in *Microphora* & quidem *M. furcatæ* affinis, sed haustello longissimo diversa. — Ab *Hybote*, *Ocydromia*, *Leptopeza*, *Oedalea* & *Anthalia* nervo tertio apice furcato distingvitur. A *Spania* Meig. haustelli longitudine, alar. area angulari nulla &c. mox dignota.

1. *I. Macquarti;* subpilosa, opaca, nigricans; alarum stigmate fusco; pedum geniculis testaceis. ♂♀. (Long. 1½, fere 2 lin.).

Mas: 1½ lin. long., niger & nigro-pilosus, thorace cinereo-subvittato; alis fusco-hyalinis, nervis subinfuscatis; pedibus nigris, geniculis summis puncto testaceo;

Fem.: 2 lin. long., cinereo-nigricans, breviter fusco-pubescens; alis albo-hyalinis, nervis sæpe distincte infuscatis; pedibus nigris, genubus testaceis; in copula.

Var. a. ♂♀. major, subopaca, nigricans, alarum nervis infuscatis.

Zett. Ins. Lapp. 541. 1. ♂♀.

Var. b. ♂♀., minor, aterrima; *mas* holosericeus, *femina* nitida, thorace griseo; alis in utroque sexu infuscatis, unicoloribus.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum variarum per Scandinaviam septentrionalem, 1 Maj — 16 Jul., vulgaris, tempore vernali præsertim copiose obvia, & in copula frequenter capta; scilicet in omnibus Lapponiis & Suecicis & Norvegicis, usque ad Nordcap; adscendit in alpes, & in ipso alpium Tornensium jugo inter fruticulos Salicis humiles, circiter 4000 ped. supra mare elevato, in nive perenni d. 12 Jul. ambulantem vidi; descendit iterum in provincias infra Lapponiam proxime jacentes, & ad Johannis Ro prope Tornoam, nec non in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, ut & in Værdalia Norvegiæ ad Næs atque inter Suul & Kongstuen in jugo alpino, passim; var. b. præsertim in Salice ad Juckasjervi Lappon. Tornensis legi.

♂♀. Valde affinis & similis videtur *Euthyneuræ Myrtilli* Macq. in Annal. de la Societ. Entomol. de France 1836. 3. p. 519. tab. 15. A. 1—4. ♂♀; sed præter magnitudinem majorem & pedum halterumque colorem alium, differt quoque structura ani in masculo paullo diversa, & inprimis directione nervorum in alis, ita ut generi *Euthyneuræ* non apte subjici possit nostra *Iteaphila*. Antennæ lanceolatæ com-

pressæ, stylo apicali vix ullo. Haustellum capite duplo, sæpe triplo, longius, horizontaliter porrectum, apice puberulum. Palpi longitudine fere dimidii haustelli, eique subincumbentes, filiformes, nigri, pilosuli, versus apicem crassiores. Scutellum margine distincte pilosum. Alæ abdomine parum longiores, nervis fere ut in *Empide* directis. Nervus tertius longitudinalis ad apicem furcatus. Area discoidalis oblongo-ovata, seu potius oblongo-triangularis, versus basin alæ scilicet acuminata, nec ut in *Euthyneura* ibi nervo transverso recto terminata; & versus apicem alæ truncata per nervum transversum fere rectum, quo nervuli 3 ad marginem alæ excurrunt integri. Nervi omnes distincti, crassi, obscuri, ad basin alæ obsoleti, albidi. Macula stigmaticalis oblonga obscura, distincta. Halteres nigri. Pedes simplices, nudi, parum pilosi, minime spinulosi, femoribus posticis reliquis paullo longioribus.

2. *I. nitidula:* nigro-subpubescens, nitida, atra; pedibus luteo-testaceis, tarsis halteribusque nigris; alis fuscanis, stigmate obscuriore. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 541. 2. ♀.

Hab. in Sueciæ borealis alpibus Dalecarlicis rarissime; a Nobiliss. D. *Boheman* detecta ann. 1836.

♀. Priori duplo & ultra minor. Tota atra nitida, parum nigro-pubescens. Pedes ferrugineo-testacei, femoribus versus apicem annulo lato fusco. Alæ fumatæ, stigmate nigricante.

---

39. HEMERODROMIA Hffgg.

Corpus parvum, sæpe minutum, elongatum, angustum, glabrum, parum nitidum. Oculi in viva virescentes unicolores, in utroque sexu per lineam angustam in fronte disjuncti. *Color* corporis cinereus, flavus, raro niger; pedum pallidus. *Motu* non agilis; ad volatum parum propensa; antequam fugam tentat, alis interdum vibrat. *Habitatio* in grami-

nosis, foliis fruticum, libenter etiam in littoribus & ripis. *Victus* e minorum Dipterorum rapina. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, interdum incrassato; *femina:* quandoque aliter colorata; ano semper acuto.

1. *H. Frigelii:* cinerea, thoracis lineis 2 dorsalibus fuscis; antennis basi palpisque testaceis; halteribus pedibusque albescentibus, tarsis apice nigris; alis hyalino-albis, immaculatis, area discoidali longe quadrata, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.)

Mas: ano incrassato, dupliciter forcipato, subtus varie appendiculato;

Fem.: ano simplici, apice rotundato, puberulo; in copula.

Hab. in foliis fruticum, præsertim in vicinitate lacuum & fluminum, sæpe in ipsa terra littorali congregata, repens; per Scandinaviam septentrionalem, 5 Jul. — 13 Aug., vulgaris; scilicet in Lapponia Suecica meridionali Umensi ad Stensele, Åsele, Wilhelmina & Umenæs, freq.; in copula sæpe capta; in Lapponia Tornensi, D. *Deutsch*; in inferalpinis Finmarkiæ Norvegicæ rarius; adscendit in majores alpes, & in summo alpium jugo inter Alten & Kautokeino deprehensa; descendit iterum infra limitem Lapponiæ, & in Jemtlandia Suecica, & ad lacum Liten prope diversorium Upland, nec non ad Stallkärnstugan, in Frösön & Hofverberget, atque ad radicem Åreskutan, sat copiose visa.

♂♀. Similis *H. precatoriæ*, sed antennis brevioribus, ventre non albido, & in primis alis imaculatis, puncto scilicet costali nigro nullo, aperte differt. Tota cinerea, abdomine paullo obscuriore. Antennæ brevissimæ, vix quartam capitis partem longitudine superant, crassæ, testaceæ, articulo ultimo ovato, fusco, acuminato, acumine brevi. Oculi æqualiter in utroque sexu interstitio cinereo mediocriter lato

in fronte disjuncti, at infra antennas magis approximati. Haustellum testaceum. Palpi albi. Alarum nervi longitudinalis tertii furca paullo brevior quam nervi quarti eadem. Reliqua ut in diagnosi.

2. *H. oratoria:* supra aut testacea (♂), aut cinerascens (♀), subtus pallida, antennis, halteribus pedibusque albis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali nulla, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂♀. (Long. 1—1$\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: pallidus, capite cinereo, abdominis dorso fusco, ano crasso, elevato, atro, annulo ante anum pallido, oculis in vivo purpurascentibus, infra antennas viridi-coeruleis ibidemque conniventibus; epistomate angustissimo, argenteo;

Fem.: subtus testacea, capite supra cinereo, thoracis disco cinerascente, abdominis vitta lata dorsali fusca, ano obscuriore, oculis in viva purpureis, in medio viridibus, & infra antennas iterum purpureis ibidemque conniventibus; epistomate angustissimo, argenteo.

Zett. Ins. Lapp. 542. 2. ♂♀. excl. syn. Meig. — *Tachydromia* Fall. Empid. 11. 13. ♀. & 34. 13. ♂♀. certissime. (*Hemer. albicornis* Meig. 3. 61. 4. mari nostræ speciei prope accedere videtur).

Var. b. ♀. spuria, alarum nervi longitudinalis tertii furca ramulo superiori seu eo, ad costam tendente, abbreviato, spurio. Ad Lärketorp Ostrogothiæ semel.

♂♀ (varietatis a.). Antennæ albæ, brevissimæ, articulo ultimo conico, seta brevi. Haustellum testaceum. Frons & vertex cana. Nervorum furcæ inæqualiter longæ. Abdominis dorsum nigrum (♂), vel fuscum (♀), ventre albido, & annulo ante anum nigrum pallido. Thorax vel totus testaceus (♂), vel testaceus, disco dorsali cinerascente (♀). Coxæ anticæ longissimæ. Pedes flavido-albi, in omnibus nostris exemplis, iisque non paucis, toti immaculati, nec posticorum tibiis tarsisque apice obscuris.

Hab. per Scandinaviam, 24 Jul. — 9 Sept., passim; per Sueciam meridionalem & mediam in hortis & Quercetis; per septentrionalem vero in graminosis & Betuletis, præsertim hanc observavi; scilicet in Scania ad Esperöd rarius; in Ostrogothia ad Gusum, Söderköping, Wadstena, Omberg, Medhamra, Lärketorp, Egebylund &c. in foliis Quercus certis annis copiose; in Ölandia rar.; in Helsingia ad Ytter-Hogdal, Storåström & Kårböle, passim; in Lapponiis Suecicis plerisque frequenter etiam legi; sed neque in alpibus neque in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Finmarkiæquæ Norvegicæ specimina inveni.

3. *H. unilineata:* thorace testaceo, linea dorsali, scutello metathoraceque nigris, capite supra cinereo; antennis, halteribus, ventre pedibusque albis; abdominis dorso obscuro; alis hyalinis immaculatis, area discoidali nulla, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂? (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Forte *Hem. oratoria* Meig. Dipt. 3. 63. 3. & Macq. Buff. 1. 318. 4.? excl. syn. Fall.

Hab. in Suecia media rar.; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena in sylvis frondosis circa medium mensis Aug. plura specima legi.

♂? Summa prioris similitudo, sed differt thoracis pictura & ani structura. Caput omnino ut in præcedente constructum & coloratum. Thorax testaceus, linea dorsali media a collo nigro usque ad scutellum ducta, cinereo-nigricante. Scutellum & metathorax atra. Abdomen supra obscurum, incisuris (ex abdomine tumido) tenuissime pallidis, ventre albo. Anus parum crassus parumque elevatus, ater, apice truncato, stylo brevissimo, centrali, porrecto, nigro. Alæ, halteres & pedes omnino ut in priori. Tarsi omnes articulo ultimo fusco; sed ob tibias posicas immaculatas, nec apice

obscuras, synonyma *Meigeni & Macquarti* dubius allegavi. Individua nostra mascula videntur.

4. *H. raptoria:* subtus pallida, supra obscura, thorace lineis 2 nigricantibus, scutello flavo; antennis, halteribus pedibusque albis; alis immaculatis, area discoidali nulla, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.)

Meig. Dipt. 6. 341. 10. ♀. Macq. Buff. 1. 318. 6.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad prædium Esperöd in parœc. Tranås (non ad villam Esperöd in parœcia Mellby, cujus possessor olim erat Cel. *Fallèn)* duo specimina in loco paludoso d. 10 Jul. & 30 Aug. 1820 inveni. Individuum simillimum & sub eodem nomine, circa Hafniam captum, a D. *Stæger* obtinui.

♀. Caput ut in *H. oratoria*, sed supra nigrum, nec canum. Oculi in viva rufi. Thorax testaceus, dorso dilute cinerascens, lineis 2 obscurioribus, interstitio tectaceo. Scutellum testaceum. Abdomen dorso nigrum, ventre albidum, annulo anali pallido, summo apice atro. Alæ halteres & pedes ut in priori; sed coxæ & femora antica videntur paullo longiora, quam in illa. Ab *H. albicorni* Meig. Dipt. 3. 64. 4. ♀, pro qua hanc olim sumsi, non multum differre mihi videtur.

5. *H. trapezina:* supra cinerascenti testacea, subtus dilutior, capite cinereo, ano nigro, thorace fusco-bivittato; antennis, halteribus pedibusque albo-flavis; alis hyalinis, immaculatis, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂♀. (Long. $1-1\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. supra cinerascenti testacea, subtus dilutior.

Zett. Ins. Lapp. 513. 3. ♂. (specimina feminea Scanensia ad sequentem speciem pertinent).

Var. b. ♂♀. corpore toto & supra & subtus cinereo l. cinerascente.

Hab. locis paludosis, libenter juxta lacus & flumina, per Sueciam borealem & Lapponiam meridionalem, 15 Jul. — 19 Aug., passim; scilicet var. a. in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Åsele, passim; e Lapponia descendit in provincias adjacentes, & in Jemtlandiæ parœcia Undersåker ad Ristansfors & radicem Mullfjellet individua plura inveni; infra Jemtlandjam ex. gr. in Helsingia ad Kårböle non nisi rarissime lecta; var. b. ad radicem Mullfjellet haud infrequenter deprehensa.

♂♀. Statura corporis & directione nervorum in alis *Hem. precatoriæ* (infra) similis, sed fere duplo minor, & colore plerumque pallidiore, nec non puncto stigmaticali nigro omnino nullo, ab illa abunde distincta. Ab *H. oratoria*, cui etiam similis, area in disco alæ inter nervos 4 & 5 longitudinales trapezina, mox dignota. Caput cinereum. Antennæ capite triplo l-quadruplo breviores, flavæ, articulo ultimo conico, apice vix setigero. Oculi in viva virides, unicolores, in mortua nigro-brunnei, infra antennas per epistoma valde angustum argenteum disjuncti. Haustellum testaceum. Palpi perspicui, albi. Thorax & scutellum in var. a. testacea, dorso levissime cinerascente, lineis dorsalibus 2 obscuris. Abdomen in var. a. testaceum, dorso aut toto aut vitta inæquali lata, obscurum, annulo ante apicem pallido in ♂ perspicuo, ano atro; in var. b. totum cinerascens, incisuris ventreque parum dilutioribus, ano nigro. Alæ immaculatæ. Halteres & pedes albido-flavi, antici cum coxis longissimis; tarsi omnes articulis 2 ultimis nigris.

6. *H. flavella:* flava, capite cinereo, ano fusco, thorace immaculato; antennis, halteribus pedibusque al-

bis; alis albo-hyalinis immaculatis, area discoidali trapeziformi, nervis tenuibus, longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 513. 4. ♂♀.

Hab. in paludosis rarius; in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norvegicæ die 27 Jul. 1819 in insulis Schiervœ & Hacksten plura individua utriusque sexus inveni; ad villam Esperöd Scaniæ d. 22 Aug. 1818 quoque duo specimina legi feminea. In prato Medhamra ad Wadstena Ostrogothiæ marem deprehendit 17 Aug. 1841 D. *Dahlbom.*

♂♀. Summa præcedentis similitudo, sed paullo minor, magis tenera, & colore multo pallidiore, thorace immaculato, alarum nervis tenuioribus & pallidioribus, ut & loco natali, præcipue dignoscitur. Capitis partes omnino ut in priori, sed antennæ albæ, nec testaceæ. Abdomen flavo-testaceum, ano obscuro, & dorso in ♂ plerumque macula media fusca notato. Alæ ut in præcedente, sed magis albidæ. Halteres albi. Pedes ut in priori, sed albidiores.

7. *H. precatoria:* cinerea, thoracis vittis 2 obscurioribus, antennarum basi, halteribus pedibusque albis; alis hyalinis, puncto stigmaticali nigro, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Mas: abdomine cinereo, ano incrassato elevato, fusco aut obscuro, subtus vesicula pallescente;

Fem.: abdomine obscure cinereo, ventre albo, oviductu segmento ultimo paullo longiore, recto, compresso, bifido, nigro, basi interdum pallido.

Var. a. ♂♀. major, antennis albis, apice fuscis aut nigricantibus.

Tachydromia precatoria. Fall. Empid. 10. 12. ♀. certissime.

Var. b. ♂♀. paullo minor, antennis totis albis, apice non infuscato.

Meig. Dipt. 3. 6. 2. ♀. (in tab. 23 f. 13 alarum nervus longitudinalis 4:tus simplex, & punctum stigmaticale tantum obsoletum, immerito repræsentantur). Macq. Buff. 1. 317. 3.

Hab. in hortis & silvis; in foliis Quercus, Coryli, Alni &c., plerumque repens, interdum in graminosis ad littora maris, sæpe in vicinitate fluminum, amnum & lacuum, per Sueciam totam, 28 Jun. — 22 Sept., passim frequens, intra limitem Lapponiæ adhuc non observata; scilicet var. a. in Scania ad Esperöd; in Ostrogothia ad Lärketorp, Häradshammar & Gusum; & in Gottlandia ad Lummelund, haud raro; var. b. in Scania ad utrumque Esperöd, & Östra Ljungby in Kullen; in Ostrogothia ad Hagalund, Wadstena & Egebylund, pass.; in Nericia ad Öskevik; in Helsingia ad Kårböle; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; & in Jemtlandia pluribus locis copiose ex. gr. ad Åsarne, Hofverberget, Frösön, Ås, Östersund; nec non ad radicem Mullfjellen & Åreskutan.

♂♀. Similis *H. trapezinæ* & præsertim ejusdem var. b. affinis, sed paullo major & puncto alarum costali nigro statim dignota. Cinerea. Antennæ breves ut in *trapezina* constructæ, & ut in diagnosi coloratæ. Epistoma angustissimum, argenteum. Palpi albi. Haustellum testaceum, in var. a. apice nigrum. Oculi in viva aureo-virides. Thoracis vittæ obscuræ distantes. Abdominis dorsum obscurum, incisuris dilute cinereis. Pedes albi, antici cum coxis longissimi, tarsis omnibus articulis 2 ultimis fuscis aut nigricantibus.

8. *H. monostigma:* albescenti testacea, thoracis lineis 2 tenuibus ferrugineis; capite cano, antennis, hal-

teribus, pedibusque albis; abdominis dorso fusco-maculato; alis hyalinis, puncto stigmaticali nigro, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice furcatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas & femina ut in *H. precatoria* differunt; in copula capti.

Var. a. ♂♀. Abdominis dorsum totum aut maculis tranversis fuscis, aut vitta sinuata obscura, annulo ante apicem in ♂ sæpe pallido.

Meig. Dipt. 3. 62. 1. tab. 23. f. 6. ♀. (sed thoracis lineæ obscuræ in nostris speciminibus centenis valde obsoletæ & magis sunt distantes). Macq. Buff. I. 317. 1. Zett. Ins. Lapp. 513. 5. ♂♀. *Tachydr. precatoria* var. pallida Fall. Emp. 34. 12. ♂.

Var. b. ♂. pallidior, abdominis dorso tantum medio fusco-maculato; forte juvenilis.

Hab. in fruticibus hortorum & pratorum, per Sueciam præsertim mediam, 27 Jul. — 9 Sept., passim, in copula; scilicet var. a. in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, Wadstena, Fylla, Medhamra &c. vulgaris; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Gestricia ad Hamrånge; in Ångermannia ad Hernösand; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Undersåker & ad radicem Mullfjellet, rarius; & var. b. ad Lund Scaniæ & Wadstena Ostrogothiæ, haud frequens.

♂♀. Priori iterum valde affinis, & præsertim ejus varietati b. similis; sed fere adhuc gracilior & multo pallidior. *H. monostigma* differt a *precatoria* fere ut *flavella* a *trapezina*. Caput cinereum, fronte antice cana, epistomate angustissimo, argenteo. Antennæ ut in *trapezina* constructæ; albæ. Palpi albi. Haustellum testaceum, apice nigrum. Thorax albescenti testaceus, dorso lineis 2 parallelis, sat late distantibus, tenuibus, obsoletis, fuscis, & prætera linea laterali a collo atro ad radicem alæ subcurvatim ducta,

tenui, obscura. Scutellum testaceum. Abdomen supra obscure cinereum, incisuris dilutioribus, ventre præsertim in ♀ albido. Anus ut in præcedente, etiam quoad diversum sexum. Alæ ut in priori. Halteres & pedes albi, tarsis articulis 2 ultimis distincte nigris. Oculi maris superne cuprei l. cupreo-aurei, infra antennas virides.

---

40. PHYLLODROMIA Zett.

Corpus minutum, angustum, subcylindricum, parum nitidum, glabrum, molle, tenerum. *Color* flavus, raro niger. *Motus*: cursu celerior; volatus ut in *Hemerodromia*. *Habitatio* in foliis fruticum, raro in graminosis. *Victus* & *Differentia sexus* ut in *Hemerodromia*, a qua vix nisi antennarum seta longa distingvitur.

1. *P. melanocephala:* rufo-testacea, capite cinereo, antennarum articulo ultimo atro; abdominis dorso fusco; halteribus pedibusque pallidis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali nulla, nervo longitudinali 4:to furcato. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Var. a. ♂♀. thorace rufo-testaceo, immaculato.

Tachydromia melanocephala Fabr. Antl. 144. 8. Fall. Empid. 12. 16. var. *α*. ♂♀. *Hemerodromia* Zett. Ins Lapp. 541. 6. var. a. ♂♀. *Tachydr. Mantispa* Panz. Fn. 103. 16. ♀. (male colorata). *Hemerodromia* Meig. Dipt. 3. 61. 5. (exclus. syn. Latr. *Sicus raptor* Gen. Crust. 4. 301., nam Tom. 1. tab. 16. f. 11. aliam speciem nervis alarum 3 & 4 longitudinalibus furcatis repræsentat). Macq. Buff. 1. 319. 7.

Var. b. ♂♀. thorace rufo-testaceo, linea dorsali media nigra, postice abbreviata. Fall. l. c. var. *β*. Zett. l. c. var. b.

Hab. in foliis fruticum Alni, Coryli, Betulæ, &c. interdum in graminosis, per totam Sueciam, 1 Jul. — 14 Sept., vulgaris, in copula; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia ad Stenkyrka, Öja & Wamblingbo; Jemtlandia usque ad radicem Åreskutan, Westrobotnia, & Ångermannia, ubique frequens; deinde rarescit, & intra limitem Lapponiæ meridionalis vix nisi ad Degerfors & Lycksele Lapponiæ Umensis, parcissime visa; in Norvegia ad littus maris prope Thynæs & Levanger varietatem b. præsertim legi, & in parœcia Häradshammar Ostrogothiæ hanc variet. etiam invenit D. *Stenhammar.*

♂♀. Caput cinereum, epistomate angustissimo argenteo. Oculi in viva virides l. aureo-virides, certo luminis situ purpureo-micantes, non lineati. Antennarum seta longe capillaris, deflexa, nigra. Palpi albo-testacei. Abdomen testaceum, dorso vitta dilatata, sæpe interrupta, fusca; ano in ♂ tumido, in ♀ acuto. Pedes pallidi, tarsis apice fuscis. — Individuum masculum var. b. simillimum, sed femoribus anticis extus linea longitudinali nigra ad Skillinge Blekingiæ 22 Jun. 1841 invenit D. *Dahlbom.* Var. b. ♀ nostra ut *Hem. supplicatoria* Meig. a D. *Stæger* e Dania mihi communicata.

2. *P. vocatoria:* rufotestacea, capite cinereo, antennarum articulo ultimo fusco, seta albida; thoracis abdominisque dorso vitta longitudinali obscura; subtus pallida; halteribus pedibusque pallide flavis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali oblonga, nervulos tres in marginem interiorem emittente. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Tachydromia Fall. Empid. 12. 15. ♂. certe. *Hemerodromia* Zett. Ins. Lapp. 517. 7. ♂♀ (exclus. forte syn. Meig., quod ad sequentem speciem propius accedere videtur).

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Sueciam, 10 Jul. — 4 Sept., passim; scilicet in Scania ad Abusa, utrumque Esperöd, Lindholmen &c. freq.; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Westö; versus septentrionem rarescit, & in Lapponia Suecica maxime meridionali forte non nisi rarissime occurrit.

♂♀. Priori fere minor. Caput cinereum, fronte antice cana, epistomate omnium angustissimo, argenteo. Antennæ breves, subbiarticulatæ, testaceæ, articulo ultimo fusco, seta longa, capillari, alba. Haustellum testaceum, apice interdum fuscum. Palpis albi. Thoracis dorsum vitta longitudinali fusca, antice distincta, sæpe dilatata, posterius evanescente. Scutellum testaceum. Abdomen testaceum, dorso fuscum, ano in ♂ tumido, subvesiculoso, subreflexo, pallido, in ♀ acuto. — Pedes pallide flavi, tarsis summo apice sæpe infuscatis. Femora antica ut in affinibus subtus spinulosa. Thorax uti etiam in sequente pilis paucis obsitus.

3. *P. albiseta:* antennis distincte triarticulatis; supra cinerea, subtus rufo-testacea, antennarum articulo ultimo atro; seta alba; halteribus pedibusque flavis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali oblonga, nervulos tres in marginem interiorem emittente. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hemerodromia Zett. Ins. Lapp. 541. 8. *Hemerodr. vocatoria* Meig. Dipt. 3. 65. 7.? (excl. syn. Fall.). Macq. Buff. 1. 347. 2.? *Hemerodr. vocatoria* var. b. Stæg. in litt. 1841.

Hab. in frutetis & plantis paludosis locis sylvaticis, per Sueciam mediam & borealem ut & Lapponiam, 15 Aug. — 2 Sept., passim; scilicet in Smolandia, D. *Boheman*; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Wadstena atque in adjacente palude silvatica Fylla freq., ipse; in Botnia boreali

ad Torneå & Johannis Ro, haud raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele rar., D. *Dahlbom;* & in alpe Dovre Norvegiæ, Idem D. *Boheman.*

♂♀. Priori simillima, sed differt colore corporis supra obscuriore, thoracis dorso nempe determinate cinereo, abdominisque toto obscuro, antennis distincte 3-articulatis, articulo ultimo nigro, nec fusco, ut & habitatione in Scandinavia boreali; cum e contrario *Phyll. vocatoria* in provinciis meridionalioribus præcipue occurrit. Ex utraque quoque ambo occurrunt sexus, nec copulatio promiscua.

---

41. TACHYDROMIA Meig.

Corpus parvum, sæpe minutissimum, oblongum, glabrum, parum setulosum. Antennæ capite sæpius breviores, seta capillari. Palpi incumbentes, apice ciliati. Oculi in viva brunnei, interdum æneo-micantes, semper unicolores, & infra & supra antennas in utroque sexu distantes. Alæ subdilatatæ, area discoidali nulla, at basalibus pluribus. *Color* corporis niger, fuscus, flavus; pictura præter annulos pedum nulla. Halteres albi. *Motus & mores:* in foliis aut graminibus sedet immobilis, quasi meditabunda; sed mox aut prædam captura, aut perterrita, celerrime, licet non longe, cursitat; sub foliis aut graminis latere inferiore sese occultare libenter conatur; fugam vero volatu non nisi invita tentare videtur. *Hospitium* in graminosis, foliis fruticum & arborum, vix unquam in truncis, parietibus aut terra. Insecta minora infestat, iisque præsertim victitat. *Differentia sexus* ex ano *maris* obtuso, *feminæ* acuto, oviductu bifido, colligitur.

Sect. 1. Antennæ capite breviores, palpis pallide flavis l. albidis.

A. Pedes plerumque toti flavicantes (in *T. agili* ♀ n:o 1 nigro-maculati).

* thorace cinerascente l. cinereo-pruinoso; palpis haustello nigro sæpe triplo & magis brevioribus.

1. *T. flavipes:* cinerascens, abdomine atro, nitido; pedibus flavis, tarsorum articulis apice, antennisque parvis totis, nigris; alis hyalinis, parum fusco-nervosis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. femoribus immaculatis.

Fabr. Antl. 112. 1. Meig. Dipt. 3. 81. 32. certe. (*Tachydr. flavipes* Fall. var. *α*. alia est species ad *Tachydr. pallidiventrem* nob. referenda). Zett. Ins. Lapp. 519. 1. ♂♀. *Sicus* Latr. Gen. 4. 304. *Platypalpus* Macq. Buff. 354. 12. ♂♀.

Var. b. ♂♀. femoribus posterioribus, rarius omnibus, supra macula fusca, interdum obsoleta; palpis albidis.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♂♀. *Tachydromia flavipes* Fall. Empid. 6. 1. var. *β*. forte etiam Meigeni *Tachydrom. fascipes* & *fulvipes* sub hac latent.

Var. c. ♀. femoribus posterioribus supra macula fusca; palpis obscuris.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, in hortis, pratis & sylvis, per Sueciam, 20 Maj — 12 Sept., vulgaris, sæpe in copula capta; scilicet var. a. & b. frequentissim.: in Scania ad Lund, Abusa, Räften, Esperöd &c.; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Häradshammar, Gusum. &c.; in Gottlandia ad Öja, Sanda &c. copiose; in Wermelandia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*; deinde rarius occurrit & intra Lapponiam meridionalem vix nisi rarissime obvia; var. b. ad Silf-

åkra Scaniæ d. 28 Aug. semel inventa. — E Dania ut frequentem incolam, & ex insula Helgoland etiam a D. *Dahlbom* varietatem a. obtinui. In borealibus partibus Norvegiæ & Lapponiæ non vidi.

♂♀. Caput cinerascens, epistomate angusto, niveo. Antennæ capite multo breviores, minutæ, nigræ, articulo ultimo ovato, seta longa, capillari, deflexa. Thorax brevissime subpubescens. Abdomen atrum, immaculatum, lucidum, parce pilosulum. Alarum nervi distincti, vix nisi basi pallidi. Pedes pubescentes, toti cum coxis luteo-flavi, femoribus intermediis anticis subcrassioribus, geniculis omnibus summis, tarsorumque articulis apice, nigris, unde tarsi nigro-5-annulati videntur. Oculi in viva brunnei, æneo- micantes.

2. *T. maculipes:* cinerascens, abdomine atro, nitido, incisuris cinereis; pedibus flavis, tarsis antennisque elongatis, angustis, subulatis, nigris; alis hyalinis, parum fusco-nervosis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Var. a. ♂♀. femoribus immaculatis.

Meig. Dipt. 3. 79. 27. ♂. Diagnosis. — Stæg. in litt.

Var. b. ♂♀. femoribus intermediis macula fusca.

Meig. l. c. Descriptio. — Stæg. in litt.

Var. c. ♂♀. femoribus posterioribus macula fusca. Stæg. in litt.

Hab. in Suecia meridionali & media, rarius, in Scania & Ostrogothia parce inventa; utraque vero varietas e Dania a D. *Stæger* mihi benevole missa 1841.

♂♀. Præcedenti sat similis, sed forte paullo minor, & abdominis incisuris anguste cinereis, antennarum articulo ultimo longiori (longitudine fere setæ), angustiori, longe acuminato, ut & tarsis tenuibus, fere totis obscuris, nec nigro-annulatis, metatarso postico tantum testaceo, distincta. Caput ut in priori. Thorax griseus, pleuris cinereis. Alæ ut in præcedente. Halteres albi. Pedes pubescentes, cum

coxis vel luteo-flavi, tibiarum apice tarsisque fuscis, vel femoribus ut in varietatibus allatis pictis.

3. *T. notata:* cinerascens, abdomine atro, nitido; pedibus flavis, coxis basi, femoribus intermediis fascia lata, tarsorum omnium articulis apice, antennisque conicis, nigris; alis hyalinis, distincte nervosis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Meig. Dipl. 3. 78. 21. ♀.

Hab. in Scania rarissime; etiam in pratis Gottlandiæ ad Öja 8 Jul. 1811 individua majora capta; ex Hafnia a D. *Stæger* specimen quoque missum vidi.

♀. Prioribus paullo minor. Caput, thorax, abdomen, alæ, halteres & tarsi omnino ut in *T. flavipede*, a qua antennarum articulo ultimo paullo longiori picturaque pedum dignoscitur, & a varietatibus b. & c. *T. maculipedis*, cui adhuc similior, abdomine atro, nitido, immaculato, femorumque intermediorum fascia latiori præsertim distingvitur. Antennarum articulus ultimus oblongo-conicus (paullo longior quam in *flavipede*, sed paullo brevior quam in *maculipede)*, seta mediocriter longa, deflexa, nigra. Thorax subferrugineo-griseus, pleuris cinereis. Pedes luteo-flavi, coxis basi, femoribus intermediis fascia media undique lata, & tibiarum tarsorumque omnium apice summo, nigris. Femora quoque antica superne macula obsoletissima, & postica annulo medio, fuscis gaudent. In specimine Gottlandico femorum intermediorum fascia minus lata.

4. *T. agilis:* nigra, thorace cinereo-pruinoso; abdomine atro, nitido; pedibus flavo-luteis, femoribus discoloribus, coxis, tarsorum articulis apice, antennisque breviter conicis, nigris; alis hyalinis, nervis parum fuscis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Mas: pedibus luteo-flavis, coxis saltem posterioribus, tibiarum tarsorumque omnium articulis summo apice, nigris; femoribus intermediis supra striga fusca;

Fem.: pedibus obscure luteis, coxis, femoribus anticis fascia subinterrupta, intermediis macula magna dilatata, posticisque plerumque totis, tibiarum tarsorumque omnium articulis apice, nigris; in copula.

Meig. Dipt. 3. 80. 29. ♀. — Stæg. in litt. ♂♀.

Hab. in Scania ad Lund 22 Maj rarius; in Blekingia quoque inventa; specimina copulata e Dania missa nobilissimi Dom. *Stægeri* benevolentiæ debeo.

♂♀. Mas: *T. flavipedis* varietati a., & femina: ejusdem varietati b., similes sunt, sed antennis paullo majoribus & longioribus, fronte obscuriore, thorace minus griseo, dorso scilicet nigro leviter tantum cinereo-pruinoso, coxis in utroque sexu, & femoribus posticis in ♀, nigris, statim differt; his notis simul sumtis etiam a *T. maculipede* & *notata* facile dignoscitur. Antennarum articulus ultimus ovato-conicus paullo brevior & latior est quam in *T. notata.* Alæ nervis minus distinctis, basi pallidis. Epistoma angustissimum, argenteum. Halteres albi. — Pedum pictura in ♀ paullo variat; sed coxæ femoraque postica sæpissime tota, nigra, ut & antennæ ovatæ, nec non thoracis dorsum fere nigrum leviter tantum cinereo-pruinosum, speciem denotant, & a *T. flavipede*, cui sat affinis, inprimis distingvunt.

5. *T. bicolor:* cinerascens, abdomine toto atro, nitido; pedibus flavis, articulis tarsorum apice nigris; antennis breviusculis angustis, fuscis, basi pallidis; alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Fabr. Antl. 143. 2. (specimina majora). Meig. Dipt. 3. 82. 31. Zett. Ins. Lapp. 549. 2. ♂♀. An *Platypalpus* Macq. Buff. 1. 355. 18.? ubi tarsi toti flavi dicuntur — *Tachydr. flavipes* Fall. Empid 6. 1. Descript. var. "antennis basi pallidis".

Hab. in foliis fruticum & graminosis, per Scandinaviam, 20 Maj — 20 Sept., sat freq.; in copula sæpe

capta; scilicet in Scania ubique vulgatissima; in Suecia media: Ostrogothia & Gottlandia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*; in Ångermannia ad Hernösand passim; in Jemtlandia ad Östersund & usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellet haud raro; in Norvegiæ Værdalen & Skogn ad Garnæs, Næs, Levanger & Thynæs iterum sat frequens. In Dania, D. *Stæger*; & ex insula Helgoland a D. *Dahlbom* reportata.

♂♀. A præcedentibus differt antennarum articulo primo flavo. *T. flavipedi* in primis valde affinis & similis, sed sæpe fere duplo minor, & alarum nervis magis pallidis, annulisque tarsorum minus intense nigris, fere brunneis, dignota. Antennæ basi flavæ, articulo ultimo fusco l. nigricante, in ♂ angusto subulato, in ♀ paullo breviori, conico, in utroque sexu seta, longitudine antennæ, nigra. Frons cinerea, in ♂ angusta, parallela, in ♀ posterius paullo latior. Oculi in utroque sexu obscure æneseentes. Haustellum capite transverso paullo brevius. Epistoma angustissimum argenteum. Thorax subpubescens griseus, pleuris cinereis. Abdomen & supra & subtus atrum, nitidum, primo segmento basi cinereo. Oviductus ♀ exsertus, cinerascens. Segmenta abdominis in ♂ certe 7; sed in ♀ tantum 6 numerare possum. — Alæ non pure hyalinæ, nervis omnibus tenuibus, pallidis, longitudinalibus 3 & 4 fere parallelis. Halteres albi. Pedes pubescentes, cum coxis pallide flavi, tibiarum intermediarum calcare, posticarum tarsorumque omnium articulis, summo apice, nigricantibus l. brunneis. Femora intermedia anticis crassiora.

6. *T. pallidiventris*: cinerascens, abdomine atro, nitido, ventre pallido; pedibus flavis, articulis tarsorum apice nigris; antennis breviusculis, angustis, fuscis, basi pallidis; alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipl. 3. 82. 35. ♀. Zett. Ins. Lapp. 519. 3. ♂♀.

Platypalpus Macq. Buff. 355. 15. *T. flavipes* Fall. Empid. 6. 12. ♂♀. var. minor, certe.

Hab. cum priori, in Scania frequens, præsertim feminæ vulgares; in Ostrogothia ad Gusum &c., D. *Wahlberg*; in ceteris provinciis Sueciæ rarius; in Lapponia Umensi ad Lycksele passim; ad Thynæs Norvegiæ iterum frequens; Jun. — Sept. obvia; in Dania, D. *Stæger*.

♂♀. A prioribus differt ventre pallido. Simillima inprimis *T. bicolori*, sed præter ventrem, ut dictum, præsertim in femina viva sat evidenter flavum, in mortua sæpe corrugatum fuscum, dignoscere quoque videtur alarum nervis 3 & 4 longitudinalibus vix tam exacte parallelis ac in *T. bicolore*.

7. *T. longiseta:* cinerascens, abdomine toto atro, nitido; pedibus flavis, articulis tarsorum apice nigris; antennis elongatis angustissimis fuscis, basi pallidis, seta longa; alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ —$1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in insula Gottlandia, ubi in pratis parœciarum Öja, Lärbro, Fårön, Gothem & Stenkyrka, specimina septem d. 8—29 Jul. 1841 invenimus D. *Dahlbom*, & ipse; mas rarissimus.

♂♀. Ut *T. maculipes* a *flavipede*, ita *longiseta* a *bicolore* & *pallidiventre* structura antennarum discrepat. Antennæ scilicet cum seta longitudinem capitis perpendicularis habent, valde angustæ. Prioribus 2 proxime præcedentibus paullo major. Alæ ut in *T. pallidiventre;* cetera ut in *T. bicolore*.

Obs. Quoniam antennæ compressæ sunt, e certo situ inspectæ etiam paullo latiores videntur.

8. *T. flavicornis:* ferrugineo-cinerascens, abdomine atro, nitido, incisuris cinerascentibus; pedibus flavis, articulis tarsorum apice nigris; antennis breviusculis, ovato-

conicis, flavis, seta obscura; alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 3. 83. 37. ♂♀. (forte eadem, licet incisuræ abdominis in nostris speciminibus cinerascentes sint). — *Platypalpus* Macq. Buff. 1. 355. 16. ♂♀.

Hab. in Norvegia rarius; in foliis fruticum ad littus maris borealis in Værdalen & Skogn ad Thynæs & Levanger 8 specimina mascula d. 1—4 Jul. 1840 inveni. Individua (♂♀), quæ e Dania sub hoc nomine a D. *Stæger* obtinui, majore jure ad speciem sequentem referenda mihi videntur. — Ad Gusum Ostrog., teste D. *Wahlberg*, & in Uplandia ad Holmiam secundum D. *Stenhammar.*

♂♀. Similis *T. bicolori*, antennis flavis dignota. Caput griseum, fronte antice cana, posterius latiori. Epistoma argenteum. Haustellum capite transverso multo (triplo) brevius, nigrum. Palpi perspicui, flavi. Thorax pubescens, supra ferrugineo-cinereus, subtus cinereus. Alæ pallide & tenuiter nervosæ, nervis 3 & 4 longit. parallelis. Halteres albi. Pedes cum coxis flavi, articulis tarsorum tantum ultimis apice nigris l. brunneis. Femora intermedia crassa.

9. *T. albicornis:* cana, abdomine atro, nitido; antennis breviusculis, ovato-conicis, pedibusque albis, tarsorum articulo ultimo nigro; alis hyalinis, nervis pallidis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. in litt. d. 22 Maj 1841. — (Sub eodem nomine a me ante plures annos imposito, in museo meo diu asservata fuit).

Hab. in Scandinavia rarius, 2—30 Jul. mihi obvia; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena, 1831; & in Norvegia ad Thynæs, 1840, utrumque sexum in-

veni. E Dania a D. *Stæger* etiam benevole communicata.

♂♀. Parva, prioribus minor, tenera. Tota cana, abdomine atro, primo segmento cinereascente. Haustellum breve, nigrum. Epistoma niveum Frons posterius dilatata. Alba sunt: antennæ parvæ (seta obscura), palpi, alarum nervi tenues, paralleli, halteres, & pedes cum coxis. Tarsi vix fusco-annulati, articulo ultimo nigro. Femora anteriora æqualiter crassa.

10. *T. cursitans:* dilute cinerea, thorace obsolete fusco-bilineato; abdomine atro, nitido, segmentis basi ad latera cinereo-maculatis; palpis magnis, albis; antennis ovato-conicis pedibusque flavis, articulis tarsorum apice fuscis; alis hyalinis, apice fusco-nervosis. ♀. ($1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♀. major, antennarum articulo ultimo apice plus minus late fusco; alis hyalinis, basi flavo-, pone medium fusco-nervosis.

Stæg. in litteris 22 Maj 1841. Meig. Dipt. 3. 83. 38. t. 23. f. 23. ♀. *Platypalpus* Macq. Buff. 1. 355. 19. (Sub nomine "*T. bicolor* Fabr". specimen ejusdem olim a D. *Stæger* missum, in museo meo asservatur).

Var. b. ♀. antennarum articulo ultimo toto flavo, apice vix infuscato; alis hyalinis, undique pallide nervosis. — Forte specimina juvenilia.

Fabr. Antl. 113. 3. *Musca* eadem. Ent. Syst. 4. 339. 111. ♀. Descript. "Antennæ pallidæ. Alæ incumbentes vix apparent" h. e. nervis pallidis, obsoletis.

Hab. in Scania, mihi rarissime obvia; var. a. etiam a D. *Stæger* e Dania missa.

♀. Ab affinibus, palpis magnis, dilatatis mox dignoscitur. Similis *T. flavipedi*, antennis paullo crassioribus & saltem

basi flavis &c. differt. A *T. bicolore*, magnitudine majori alarumque nervis non parallelis, dignota. Antennarum articulus ultimus breviter conicus. Epistoma argenteum. Frons cana. Palpi magni, albi. Haustellum longitudine fere capitis transversi, atrum. Caput postice albido-pilosum. Thorax cinereus, lineis 2 postice abbreviatis, fuscis, obsoletis; pleuris canis. Alarum nervi longitudinales 3 & 4 non paralleli, sed 4:tus paullo curvatus, non vero tam perspicue, quam in *T. candicante* (infra, n:o 17), cui etiam similis. Halteres albi. Pedes cum coxis flavi, tarsis fusco-annulatis. Femora intermedia crassissima, & anticis crassiora. — *Tachydr. cursitans* Fall. Suppl. p. 7. 20 (*Empis cursitans* nob. Act. Holm. 1819. p. 82) alia est species ad *Tachypezam* referenda.

11. *T. coxata:* ferrugineo-cinerea, abdomine atro, nitido; antennis flavis, articulo ultimo ovato-conico setaque nigris; pedibus luteis, anteriorum femoribus basi coxisque atris, tarsis anterioribus nigro-annulatis; alis cinereo-hyalinis, nervis flavis. ♂. (Long. 1¼ lin.).

Stæg. in litt. 22 Maj 1811.

Hab. in Dania; in Suecia adhuc non nisi semel ad Esperöd in parœcia Mellby Scaniæ observata, quantum novi; ex Hafnia a D. *Stæger* ad describendam amicissime mutuo communicata.

♂. Affinis priori, sed in multis differt. Antennæ ut in priori constructæ, nigræ, basi flavæ. Haustellum paullo brevius, quam in præcedente, & palpi flavidi aperte minores quam in illa. Epistoma argenteum. Frons & caput postice pilosulum, grisea. Thorax parum pubescens (an detritus), griseo-subferrugineus, pleuris obscure cinereis. Alæ flavescenti cinereo-hyalinæ, ad basin & costam in primis lutescenti nervosæ; nervi longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli, 4:tus scilicet leviter curvatus. Halteres albi. Pedes subpubescentes, lutei, anticorum coxis totis & femoribus fere ultra medium, nigris. Tibiarum intermediarum calcar, &

tarsorum anteriorum annuli, distincte nigra. Tarsi postici tantum apice obscuri.

12. *T. calceata:* cinerascens, abdomine atro, nitido; antennis minutis obscuris, basi pallidis; pedibus luteo-flavis, tarsis apice fuscis; alis hyalinis, nervis pallidis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 87. 45. ♀. Zett. Ins. Lapp. 550. 4. ♂♀. *Platypalpus* Macq. Buff. 356. 20. *Tachydromia flavipes* var. γ. Fall. Empid. 6. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Alni, Pini &c., etiam in gramine, per totam Scandinaviam, 17 Jun. — 17 Sept., vulgaris, in copula, tempore præsertim autumnali, sæpe deprehensa; scilicet in Scania & Ostrogothia, vulgatissima; in Fårön &c. Gottlandiæ passim; in Medelpadia pass.; in Jemtlandia ad Skalstugan, & radicem Åreskutan ac Mullfjellet, valde freq.; in Ångermannia ad Hernösand, rar.; in Norvegia: a Thynæs & Garnæs usque ad Kong Carl Johans Klev (in ipso jugo alpino Værdaliæ situm) haud raro adscendit, etiam ad Björkvik Nordlandiæ pass.; in Lapponiis Suecicis meridionalibus quoque occurrit, & ad Lycksele, Umenæs & Wilhelmina sat frequenter visa.

♂♀. Minuta. A prioribus differt haustello brevi & pedum pictura. Antennæ parvæ, flavæ, articulo ultimo brevissime conico cum seta nigro. Epistoma argenteum. Caput cinereum, fronte antice cana. Haustellum longitudine vix dimidii capitis, nigrum. Palpi parvi, albi. Thorax cinereus, subtus canus. Alæ albo-hyalinæ, nervis tenuibus, pallidis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. Pedes cum coxis toti flavi, tarsorum articulis tantum 1 vel 2 apicalibus nigris. Mas sæpe alis minus flavicantibus, pedibus pallidioribus & tarsorum articulis apice fuscis variat. Hic a *T. bicolore* (n:o 5) vix nisi magnitudine minore & haustello breviore differt. — Femora intermedia anticis paullo crassiora. — Specimina

Jemtlandica paullo majora, palpis magis perspicuis, femoribus intermediis crassissimis differunt.

13. *T. cothurnata:* cinerascens, abdomine atro, nitido; antennis minutis, totis nigris; pedibus luteo-flavis, tarsis apice fuscis; alis hyalinis, nervis basi pallidis. ♂ ♀. (Long. ½—¾ lin.).

Meig. Dipt. 7. 98. 51. *Platypalpus* Macq. Buff. 1. 356. 21. *Tachydr. socculata* Zett. Ins. Lapp. 550. 5.

Hab. in Scandinavia rar.; scilicet in Ostrogothia ad Häradshammar & Gusum, D. D. *Stenhammar* & *Wahlberg*, & ad urbem Wadstena mense Julio 1831 in copula, ipse; in Uplandia ad Holmiam, Idem *Stenhammar;* in Lapponia Umensi ad Lycksele Aug. rar. E. Dania quoque a D. *Stæger* missa.

♂♀. Magnitudo, color & omnia ut in priori, excepto quod in *T. calceata* antennæ basi flavæ, & alæ totæ subflavescentes sint, sed in *T. cothurnata* antennæ totæ nigræ deprehendantur, & alæ basi in primis flavescant. Ex utraque quoque ambo occurrunt sexus, nec nisi similis cum simili in copula juncta observata. Specimina Lapponica tibiarum tarsorumque articulorum summo apice fusco gaudent. — Individua Suecica punctum minutum nigrum in summis geniculis femorum intermediorum habent.

14. *T. ecalceata:* cinerascens, abdomine atro, nitido; antennis minutis, totis, pedibusque flavis, tarsis concoloribus; alis hyalinis, nervis pallidis. ♂. (Long. vix ¾ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 550. 6. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ, rarissime: ad alpem Lyngen d. 26 Jul. 1821 specimen unicum inveni, in societate cum feminis *T. unguiculatæ* habitans.

♂. Duabus proxime præcedentibus iterum magnitudine æqvalis, iisque simillima; sed antennis totis pallidis, pedibus

magis pallide flavis, nec lutescentibus, alis minus coloratis, fere hyalinis, nervis tantum pallidis, & præcipue tarsis omnibus totis flavis omnino immaculatis, ab utraque facile dignoscitur.

15. *T. articulata:* cinerea, abdomine atro, nitido; antennis minutis, nigris, basi pallidis; pedibus flavis, articulis tarsorum apice fuscis; alis hyalinis, nervis pallidis. ♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 98. 53. ♂♀. *Platypalpus* Macq. Buff. 1. 354. 14. ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; in plantatione Academica Paradislyckan dicta, intra territorium urbis Lundæ Scaniæ d. 14 Sept. 1838 specimen descriptum inveni.

♀. Simillima *T. calceatæ*, tarsorum pictura differt. Antennæ valde minutæ & angustæ cum seta nigræ, basi flavæ. Reliquæ capitis partes ut in *calceata*. Thorax cinereus, subtus canus. Oviductus cinereus. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus, pallidis. Halteres albi. Pedes cum coxis toti flavi, tarsorum articulis omnibus apice nigricantibus, ultimo nigro. Uterque sexus in Gallia boreali captus, a D. *Macquart* l. c. ut similis describitur.

16. *T. maculimana:* cinerascens, abdomine atro, nitido; antennis minutis nigris, basi pallidis; pedibus flavis, femoribus anticis superne macula, geniculis posterioribus summis, tarsorumque omnium articulis apice, nigris; alis hyalinis, basi pallidis. ♂. (Long. vix ultra $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad Thynæs prope Levanger juxta litus maris d. 1 Jul. 1840 individuum descriptum deprehendi.

♂. Affinis & similis *T. annulipedi* Meig. Dipt. 3. 77. 21, vix vero eadem, nam præprimis differre videtur femoribus tantum anticis, nec anterioribus, in medio nigris. Caput cum

antennis & reliquis ejus partibus, nec non thorax, & halteres omnino ut in *T. articulata.* Alæ hyalinæ, nervis ut in illa directis, sed vix nisi basi pallidis. Pedes cum coxis luteo-flavi, femoribus anticis in medio late nigris, quæ nigredo in parte superna præsertim perspicua; geniculis posterioribus summis quoque nigris, & articulis tarsorum omnium apice ejusdem coloris. Femora intermedia anticis nonnihil crassiora.

17. *T. candicans:* cinerea, abdomine atro, nitido; antennis breviter conicis, nigris, basi pallidis; palpis mediocribus haustello dimidio brevioribus, pedibusque albidis; alis hyalinis, nervis pallescentibus, longitudinalibus 3 & 4 non parallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: palpis brevissimis, vix tertiam partem haustelli attingentibus, angustis, albis; nervo longitudinali 4:to minus curvato, non exacte in sumo apice alæ cessante; tarsorum articulo ultimo plerumque fusco; rarius occurrit; forte hujus speciei;

Fem.: palpis majoribus, dilatatis, dimidiam saltem haustelli partem attingentibus, albidis; nervo longitudinali 4:to magis distincte curvato, ita ut fere in summum apicem alæ excurrat, ibique cum nervo costali conjungatur; pedibus quoque plerumque pallidioribus & tarsorum articulo ultimo vix infuscato; frequenter obvia.

Var. a. ♂♀. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{1}{2}$ lin. long., abdomine atro, in ♂ immaculato, in ♀ segmentis basalibus 1 & 2 ad latera macula cinerea.

Fall. Empid. 10. 11. var. minor. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 85. 12. ♀. Zett. Ins. Lapp. 550. 7. var. a. ♂♀.

Var. b. ♀. fere $1\frac{3}{4}$ lin. long., segmentis 1. 2 & 3 ad latera cinereo-maculatis.

Fall. l. c. var. α. major. ♀. Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♀. $1\frac{3}{4}$ lin. long., abdomine atro, segmentis omnibus basi in medio anguste, ad latera latius cinereis.

ita ut in abdominis dorso fasciolæ angustæ in medio interruptæ & ad latera nonnihil latiores, cinereæ, formentur.

Zett. l. c. var. c. ♀. *Tachydr. fasciata* Meig. Dipt. 3. 86. 43. tab. 23. f. 22? ♀.

Hab. in foliis fruticum, Betulæ, Alni, Quercus &c. per totam Scandinaviam, excepta forte Lapponia Suecica, 15 Jun. — 10 Sept., specimina feminea ubique vulgatissima; in graminosis locis paludosis interdum etiam obvia; scilicet var. a. in Scania, Ostrogothia & Gottlandia (ad Ejsta, Öja & Gothem), frequentissima; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & Mullfjellen usque ad Skalstugan, vulgaris; in Norvegia: in Værdalen & Skogn, ex. gr. ad Suul (in jugo alpino), Garnæs, Næs, Thynæs & Levanger, copiosissime, atque ad Evenæs & Giebostad Nordlandiæ, parcius, a me lecta; var. b. iisdem locis ac var. a. occurrit, atque etiam in Ölandia ad Gärdslösa deprehensa; var. c. præsertim in provinciis borealibus: Jemtlandia & Værdalia, divulgata, sed quoque in Scania ad Lund & Abusa visa. Finlandia, *Sahlberg*. Inter decem circiter specimina mascula & plura centena feminea, quæ observavi, nulla in copula juncta invenire mihi contigit, unde dubiolum manet, an mares descripti huic competant. Interea femina typus speciei distinctæ erit.

♂♀. Similis *T. bicolori* (n:o 5) & *cursitanti* (n:o 10), sed differt a priori, magnitudine majori, antennarum articulo ultimo paullo majori, thorace dilutiore abdomineque ad latera cinereo-maculato, & a *cursitante*, cui adhuc similior, palpis minoribus alarumque nervis pallidioribus, atque ab utraque tarsis vix fusco-annulatis, tandemque ab omnibus antecedentibus nervo 4:to longitudinali evidenter curvato. — Femina. Thorax griseo-cinereus, lineis 2 obscurioribus, valde obsoletis, postice abbreviatis, pleuris canis. Antenna-

rum articulus ultimus ovato-conicus, semper ater, seta nigra. Oviductus feminæ opacus, obscurus, bifidus. Alæ præsertim a basi ad medium albido-nervosæ. Halteres albidi. Pedes cum coxis flavo-albidi, tarsis concoloribus, articulis apice vix vestigio fuscedinis. Femora intermedia anticis multo crassiora.

18. *T. major:* cinerea, abdomine atro, nitido, segmentis anticis ad latera cinereis; antennis breviter conicis pedibusque flavis; palpis magnis, pallidis; alis flavescentibus, nervis ad apicem fuscis, longitudinalibus 3 & 4 non parallelis. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. cum priori præsertim in provinciis borealibus, 1 Jul. — 10 Aug., vulgaris; scilicet in Jemtlandiæ parœcia Undersåker ad Ristansfors, Åreskutan & Mullfjellet, copiose; in Norvegia ad Garnæs & Thynæs etiam frequenter visa; sed in Suecia inferiori ut in Ölandia ad Borgholm, & in Scania ad Silfåkra, non nisi parce lecta.

♀. Species inter nostrates maxima, & pluribus notis certe distincta; pulchra, *T. candicanti* propius accedens, antennis totis flavis, pedibus alisque magis flavicantibus facile dignota. Caput ut in priori. Antennæ totæ flavæ, seta longa, deflexa, fusca. Haustellum longitudine fere capitis transversi, atrum. Palpi fere ultra dimidium haustelli penduli, magni, ovales, albidi. Thorax dorso griseus, lineolis 2 obscurioribus obsoletis, abbreviatis, & pilis in 3 series dispositis; pleuris canis. Abdomen omnino ut in *Tach. candicantis* varietate b. Alæ hyalino-flavescentes, nervis a basi ad ultra medium pallide flavis, ad apicem nigricantibus; & præterea ut in *candicante* directis. Halteres albi. Pedes omnino ut in priori, sed flavi, nec albidi.

T. brevicornis: thorace cinereo &c. vide n:o 25.

** thorace nigro, nitido (in *T. brevicorni* cinereo, opaco).

19. *T. flavipalpis:* atra, nitida, thoracis limbo canescente; palpis magnis pedibusque pallide flavis, tarsis fuscis; antennis oblongo-conicis, nigris; alis hyalinis, basi pallidis; haustello brevissimo; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. corpore atro; ventre basi pallido.

Meig. Dipt. 3. 71. 15. ♀. Zett. Ins. Lapp. 551. 8. var. a. ♂♀. *Platypalpus* Macq. Buff. I. 352. 6. ♀. *Tachydr. pallipes* Fall. Empid. 8. 6. var. "tarsis fuscis".

Var. b. ♀. corpore toto flavo-ferrugineo, forte nuper e nympha declarata.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in foliis fruticum, libenter locis paludosis, per Scandinaviam, 27 Maj — 6 Sept., haud raro, in copula tamen a me adhuc non observata; var. a. in Scania ad Esperöd, Abusa, Lund &c. vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena & Lärketorp freq., ipse; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Jemtlandia ad Forsa prope Mullfjellet & in fenestris ad Skalstugan, freq.; in Ångermannia ad Hernösand, passim; in Lapponia Umensi & Tornensi pluribus locis etiam occurit; var. b. tantum ad Karungi Torneæ superioris rarissime lecta.

♂♀. Nigra, nitida, thorace parcissime pubescente, lateribus & subtus cinereo-micante. Antennæ nigræ, articulo ultimo elongato-conico, nigro-fusco, seta longa, dilutiori, certo situ albescente. Caput nigricans, fronte antice angusta, posterius latiore, epistomate omnium angustissimo, nigro, certo situ albo-submicante. Haustellum capite quadruplo brevius. Palpi magni totum fere haustellum usque ad apicem tegentes; albo-flavi. Oculi brunnei. Anus ♂ rotundatus. Alæ hyalinæ, nervis a medio ad apicem & præsertim costali, distinctis, nigris, basi pallidis. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli. Pedes cum coxis puberuli, flavi, I. pallide flavi,

tarsis 4 ultimis fuscis, metatarso flavo. Femora intermedia crassissima, subtus serrulata, geniculis posterioribus summo apice punctis 2 minutis fuscis.

20. *T. macula:* atra, nitida, thoracis limbo canescente; palpis magnis pedibusque pallide flavis, tarsis fuscis; antennis breviter conicis, nigris; alis hyalinis, basi pallidis; haustello brevissimo; femoribus posterioribus in mare ad apicem superne macula nigra notatis, intermediis in utroque sexu crassissimis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Tachydr. flavipalpis Zett. Ins. Lapp. 554. 8. Descript. "var. *mas*".

Hab. in foliis fruticum per Scandinaviam præsertim borealem, 28 Maj — 18 Aug., passim, sed in copula non observata; scilicet in Jemtlandia ad Forsa prope Mullfjellet & usque ad Skalstugan in jugo alpino, frequens; in Værdalen Norvegiæ ad Ostre-Næs rarius; in Lapponiis Umensi ad Åsele, & Tornensi ad Karungi & Turtola quoque inventa. In Scania ad Esperöd mas d. 12 Aug. semel captus.

♂♀. Descriptio omnino præcedentis, a qua tamen specifice differt femoribus 4 posterioribus in mare supra ad apicem macula oblonga, determinata, nigra notatis, & antennarum articulo ultimo in utroque sexu aperte minore, breviter conico, nec elongato-conico. Mares & feminæ descripti sine dubio ad eandem pertinent speciem, licet pictura pedum paullo discrepent. Femora nempe in ♀ immaculata, geniculis tantum posterioribus in summo apice fuscis vel fusco-binotatis.

21. *T. ciliaris:* atra, nitida, thoracis limbo canescente; palpis mediocribus albis; pedibus flavis, tarsorum articulo ultimo atro; antennis breviter conicis, nigris;

alis hyalinis, basi subpallidis; haustello brevissimo; femoribus omnibus subæqualiter crassis. ♂♀. (Long. 1¼—1½ lin.).

Fall. Empid. 33. 1—2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 86. 41.

Hab. in foliis fruticum Populi Tremulæ, Betulæ &c., locis sæpe aridis, per Sueciam meridionalem & mediam, 18 Aug. — 20 Sept., haud raro, in copula; scilicet in Scania ad Abusa, Silfåkra, Esperöd & alibi, passim; in Ostrogothia tota ubique vulgaris; in Nericia rarius, supra quam provinciam a me non visa. — E Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus similis & affinis, sed a priori antennis minoribus, a posteriori tarsis tantum apice nigris, & ab utraque palpis minoribus, albidis, & femoribus anterioribus subæqualibus, parum incrassatis differt. Caput cum antennis parvis ut in *T. macula*, sed palpi paullo minores, albidi. Pleuræ sæpe cinereo-rufescunt. Alæ ut in priori. Abdomen etiam ut in illa, sed anus in ♂ forte paullo rotundior, subelevatus, nitidus, tenuissime pubescens. Pedes flavi, l. luteo-flavi, tarsorum articulo ultimo cum ungvibus atro. Femora intermedia subtus ad basin distincte ciliata. Venter in ♀ sæpe flavus, saltem ad basin.

Var. b. ♂♀. Simillima var. a., sed duplo minor, & femoribus intermediis subtus a basi ad apicem breviter & æqualiter ciliatis, postisisque versus apicem sæpe dilute fusco-maculatis. Vix specie distincta, nam in ceteris omnibus cum var. a. similis. *T. pygmæa* Zett. Ins. Lapp. 551. 9. ♂♀., quod tamen nomen in omni re diutius non adhibendum, quoniam a D. *Meigen* in Dipt. 7. 99. 58. jam pro alia specie est usurpatum.

Hab. in Scandinavia septentrionali, 13 Jul. — 15 Sept. pass., scilicet in Herjedalia ad ÖfverHogdal rar.; in graminosis locis aridis, & in foliis Betulæ &c. Anger-

manniæ ad Hernösand, Botniæ borealis ad Kengis, Lapponiæ Tornensis & Kemensis, ut & in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ, frequenter; in alpe Dovre, D. *Boheman.*

22. *T. ungviculata:* atra, nitida, thoracis limbo canescente; palpis parvis, albis; pedibus flavis, tarsorum articulo ultimo atro; antennis breviter conicis, nigris, basi flavis; alis hyalinis, nervis subpallidis; haustello brevissimo; femoribus omnibus subæqualiter crassis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 551. 10. ♂♀.

Hab. in graminosis locis aridis, per Scandinaviam septentrionalem, 1 Jul. — 4 Aug., pass.; in copula sæpe capta; scilicet in Lapponia Tornensi rar.; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Stensele, Umenäs, Nästansjö & in Stöttingsfjellet, vulgaris; in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ ad Giebostad & Lyngen, frequenter; adscendit in alpes & in cacumine Åreskutan in nive perenni repentem inveni; e Lapponia descendit in provincias adjacentes, & in Botnia boreali & occidentali atque Ångermannia, pluribus locis, nec non in Jemtlandia ad Mullfjellet & Skalstugan, tandemque in Værdalen Norvegiæ ad Næs & Thynæs, specimina utriusque sexus deprehendi.

♂♀. *T. ciliari* valde affinis, & in primis ejus varietati a. similis, sed adhuc paullo minor, antennis basi flavis, alis forte pallidioribus, nervo costali ad stigma non incrassato, saltem non nigro, pedumque colore flavo dilutiori, facile & certe dignoscenda. A *T. calceata* (N:o 12), cui etiam similis est, thoracis disco nudo, nitido, atro, nec cinereo-pruinoso, mox dignota.

23. *T. fuscicornis:* atra, nitida; pleuris canescentibus; palpis parvis, albis; pedibus pallide flavis, tarsorum

articulo ultimo fusco; antennis breviter conicis, nigricantibus; alis hyalinis, nervis subpallidis; haustello brevissimo; femoribus intermediis crassissimis. ♂. Long. 1 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund Jul. 1838 semel inventa.

♀. Similis iterum *T. ungviculatæ*, sed nonnihil major, antennis totis nigro-fuscis, pedibus adhuc pallidioribus, fere albo-flavis, tarsorum articulo ultimo dilute brunneo, nec atro, & præcipue femoribus intermediis crassissimis, h. e, adhuc crassioribus, quam anticis validis, & tandem loco natali ambarum alio. — Antennæ parvæ, basi saltem fuscæ, apice nigræ. Venter ima basi pallidus. Anus rotundatus, sed non tumidus. Alæ præsertim basi pallide nervosæ; etjam nervus costalis ad stigma subpallescens, saltem non ater ut in *ciliari*. Pedes toti cum coxis pallidi, femoribus posterioribus summis geniculis punctis 2 minutis fuscis, & ungvibus omnibus fuscescentibus.

21. *T. fuscimana:* atra, nitida; palpis parvis, albis; pedibus luteis, anticorum femoribus supra, tibiisque totis, posteriorum tibiis apice late, tarsisque omnibus, nigris; antennis conicis, nigris; alis hyalinis, nervis obscuris, longitudinalibus 3 & 4 non parallelis; femoribus intermediis crassioribus. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd Jul. 1837 semel capta.

♀. A prioribus pedum pictura & directione nervorum in alis differt. Tota atra, pleuris parum canescentibus, an in detrita? Haustellum mediocre. Alæ hyalinæ, nervis distinctis obscuris, basi vix pallidioribus. Nervus basalis, qui aream angularem formaret, solitarius adest, licet non ad summum marginem interiorem extendatur. Nervi longitudinales & 3 & 4 paullo curvantur, ita ut non tam paralleli, ac in antecedentibus hujus subdivisionis ad apicem excurrant.

Nervus costalis loco stigmatis non incrassatus. Halteres albidi. Venter non pallidus. Pedes cum coxis lutei, antici femoribus non crassis linea superna, tibiis tarsisque totis, nigris; intermedii femoribus distincte crassis, subtus sat longe pilosis; tibiis excepta basi tarsisque nigris; postici tibiis apice tarsisque nigris. — Variat ♀ thoracis limbo canescente, & pedibus totis rufo-brunneis hujus videtur, ad Wadstena Ostrogoth. capta.

25. *T. brevicornis:* cinerea, abdomine atro, nitido; palpis parvis, albis; pedibus flavis, ungvibus nigris; antennis minutis, brevissimis, fuscis; alis hyalinis, nervis tenuibus, pallescentibus; femoribus anterioribus incrassatis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Suecia meridionali, rarissime; in Pinu ad Esperöd Scaniæ d. 1 Aug. 1820 specimen descriptum inveni.

♀. Antennarum brevitate ab omnibus sui generis diversa. A *T. cothurnata* (n:o 13), cui imprimis similis, differt præter antennarum structuram etiam corpore paullo firmiore, thorace cinereo, nec griseo-cinereo, alis totis magis pallescentibus &c. Caput cinereum, fronte posterius lata. Antennarum articulus ultimus minutus, rotundatus, fusco-niger, seta antenna paullo longiori, ni fallor fusca. Palpi minuti, albi. Haustellum capite dimidio brevius, atrum. Thorax parum pubescens. Abdomen nudum, totum atrum. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus, obsoletis, pallescentibus, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. At nervus basalis ordinarius, qui aream angularem formaret, omnino nullus. Halteres albidi. Pedes cum coxis toti flavi, tarsis tantum apice obscuris; femoribus anterioribus subæqualibus, paullo incrassatis.

*** thorace pallido l. flavo-rufo (*T. flavipalpis* var. b. thorace rufescente; vide antea sub. n:o 19).

26. *T. lutea:* lutea, nitida; haustello elongato concolore; antennis apice nigris; alarum nervis apice obscuris; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Fall. Empid. 10. 10. certissime. ♀. Meig. Dipt. 3. 89. 51. forte? ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 552. 11. ♂♀. *Platypalpus* Macq. 356. 23? ♂♀.

Var. b. ♀. thorace abdomineque dilute rufo-brunneis; in copula cum var. a.

Hab. in fruticibus & foliis arborum Fagi, Betulæ &c., per Scandinaviam præsertim meridionalem, 16 Jun. -- 28 Aug., passim; in copula 3 Jul., & ♀ vivipara 2 Aug. capta; scilicet in Scaniæ hortis, silvis & præcipue Fagetis, ubique frequentissima; in Ostrogothia rar. ex. gr. in Häradshammar; in Gottlandia ad Kyllej rar.; in Lapponia meridionali Umensi ad Almsele rarissime; in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet pass.; in Værdalen Norvegiæ ad Næs & Thynæs iterum frequens; e Dania a D. *Stæger* communicata; (etiam ad Hamburgum Germanorum eadem omnino a D. *Dahlbom* lecta); sed var. b. tantum ad Thynæs & Esperöd rarissime inventa.

♂♀. Subpubescens, firma, lutea, epistomate non angustissimo, albo. Antennæ parvæ, breves, pallidæ, articulo ultimo breviter ovato cum seta nigro, basi flavo. Haustellum longitudine capitis, luteum, summo apice sæpe nigro. Palpi brevissimi. Oculi in viva brunnei, æneo-micantes, in mortua nigri. Thorax & abdomen lutea, in var. b. dilute rufo-brunnea, & abdominis dorso in ♂ sæpe infuscato. Variat etiam ♂ ano nigricante, qualem cel. *Meigen* in Dipt. 7. 343. 58. ♂ suam *Tachydr. analem* describit. Alæ hyalinæ, nervis nigricantibus, basi pallidis; 3 & 4 longitudinalibus parallelis; sextus longitudinalis ad basin adest subobsoletus, ad summum marginem interiorem non extensus. Halteres pallidi. Pedes toti flavi, tarsorum articulo ultimo in-

terdum, & ungvibus semper, nigris; punctum minutum nigrum sub trochanteribus seu articulis coxæ conspicitur. Tarsi antici articulis 3 & 4 subdilatatis.

Not. Haustellum hujus speciei a D. D. *Meigen & Macquart* "nigrum" dicitur, sed in omnibus nostris speciminibus, iisque non paucis, haustellum *luteum* est; inde dubium de synonymia ortum. Ceteræ notæ quadrant.

27. *T. glabra:* pallide flava, nitida; haustello elongato concolore; antennis apice nigris; alarum nervis obsoletis, pallidis; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 89. 52. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Sueciæ, 20 Jun. — 8 Jul., passim; scilicet in Scania in plantatione Pini ad Björnstorp, D. *Dahlbom*; in parœcia Grönby, D. *Kinberg*; ad Lund & Abusa, ipse; in Ostrogothia ad Lärketorp, rar.; in Gottlandia rar.

♂♀. Simillima priori a qua non differt nisi magnitudine nonnihil minori (an ex corpore molliori, corrugato?), & toto corpore pallidiori, ut & nervis alarum minus perspicuis. Nigra sunt: antennarum apex & seta, oculi in mortua, punctum sub articulis coxæ, ungues, & interdum in mare abdominis maculæ dorsales; reliqua omnia pallide flava; forte tantum individua prioris juvenilia nuper e nympha declarata?

28. *T. pectoralis:* nitida, thorace rufo, vitta obscura; abdomine nigro; capite obscure cinereo; antennis parvis, fuscis; pedibus flavis, tarsorum articulo ultimo nigro; alis hyalinis, nervis pallidis, lineola loco stigmatis atra; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: pedibus testaceis, femoribus intermediis, interdum etjam tibiis, dilute rufo-brunneis.

Fem.: pedibus flavis; in copula.

Fall. Empid. 9. 8. ♂♀. certissime. — *T. gilvipes* Meig. Dipt. 3. 87. 47.

Hab. in fruticibus Sueciæ meridionalis & mediæ, 30 Jun. — 12 Sept., passim, in copula haud raro capta; scilicet in Scania multis locis & præcipue ad Lindholmen, utrumque Esperöd, Abusa &c., sat frequenter; in Smolandia, D. *Boheman*; in Gottlandia ad Westös på Hall, uterque sexus; e Dania a D. *Stæger* sub nomine *T. gilvipes* Meig. communicata.

♂♀. Caput nigro-cinereum. Antennæ subelongatæ, sed valde angustæ, fusco-nigræ, interdum pallidiores, seta elongata. Epistoma angustum, obscurum. Haustellum capite paullo brevius, atrum. Palpi haustello fere dimidio breviores, albidi. Thoracis linea dorsalis nigra postice abbreviata. Abdomen nigrum, interdum piceum, ventre basi pallescente. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus, pallidis, costali, loco stigmatis, atro; longitudinalibus 3 & 4 parallelis, 6:to ad basin interiorem præsente Halteres albidi. Pedes ut in diagnosi; coxis anticis albo-micantibus. Variat ♀ thoracis dorso nigro-piceo, ad Esperöd 31 Jul. capta.

29. *T. straminipes:* nitida, thorace rufo, vitta obscura; abdomine nigro; capite obscure cinereo, antennis parvis, fuscis; pedibus stramineis, tarsorum articulo ultimo nigro; alis hyalinis, nervis pallidis, lineola loco stigmatis concolore; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀. (Longitud. vix 1 lin.).

T. pectoralis Meig. Dipt. 3. 87. 46. (excl. Syn. Fall.). *Platypalpus* Macq. Buff. 1. 356. 22.

Hab. in Suecia meridionali, priori multo rarior; in graminosis ad Esperöd in parœcia Tranås Scaniæ, 5—20 Jul. inventa.

♂♀. Præcedenti simillima, nec differt nisi alarum lineola stigmaticali pallida, nec atra, pedibusque in utroque sexu pallidius flavis, nec intermediis in ♂ dilute brunnescentibus. Vix tamen tantum individua immatura prioris speciei.

B. Pedes maxima ex parte nigri l. obscuri (in *T. femorali* n:o 31, & *annulata* n:o 37 fere maxima ex parte flavi l. lutei).

30. *T. nigra:* atra, nitida, halteribus albis; antennis subelongatis; femoribus subæqualiter crassis; alis hyalinis, nervis distinctis, nigris, longitudinalibus: 2:do brevi, subincurvo, 3 & 4 apice subdistantibus, 5:to subabbreviato, transversis remotis. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Fall. Empid. 8. 1. ♂♀. Vix Meig. 3. 75. 16. eadem?

Hab. in graminosis, libenter locis aridis, sæpe in ripis lacuum & littoribus maris, per Sueciam meridionalem & mediam, 15 Jul. — 24 Aug., passim, sub lapidibus mens. Octob. hybernans capta; scilicet in Scania ad Lund, & in littore maris ad Esperöd, copiose; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Wadstenalöt, freq.; in Gottlandia ad Ruthe, & in Storugns ad Kapellshamn non rar.

♂♀. Tota atra, nitidissima, gibba, glaberrima, pilis verticis thoracisque paucissimis. Antennæ longitudine fere capitis transversi, subreflexi, nigri, seta sat longa, apice saltem albescente. Frons nigra, in medio angusta. Epistoma angustissimum, nigrum, apice gibbere parvo, nitido. Palpi revera sordide albidi, sed haustello brevi, crasso, inflexo arcte applicati, toti obscuri videntur. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis obscuris, longitudinalibus 1:mo ad medium costæ extenso, 2:do paullo ultra medium ad costam inflexo, 3 & 4 non exacte parallelis, sed sensim subdivergentibus ideoque in apice alæ nonnihil magis distantibus quam ad eorum o-

riginem, 5:to vix nisi obsoletissime ad summum marginem interiorem ducto, sextoque tantum rudimentario; nervus transversus inter nervos 4 & 5 paullo ante medium oblique ductus, reliqui transversi versus basin approximati. Halteres toti albi. Pedes nigri, subæqualiter crassi, articulis coxæ, geniculis tarsisque interdum piceis. Femora postica vix incurva.

31. *T. picipes:* atra, nitida, halteribus albis; antennis subelongatis; pedibus piceis, femoribus subæqualiter crassis; alis cinereo-hyalinis, nervis pallescentibus, longitudinalibus: 2:do brevi, subincurvo, 3 & 4 apice subdistantibus, 5:to subabbreviato, transversis remotis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime, ad Lund & Esperöd tantum capta; in Nordlandia Norvegica semel quoque inventa.

♂♀. Simillima præcedenti, differt solummodo pedibus totis cum coxis rufo-piceis, & alarum nervis tenuioribus & pallidioribus. Reliqua omnia ut in priori Affinis videtur *T. castanipedi* Meig. Dipt. 3. 79. 26., sed palpi vix albi dicendi.

32. *T. nigritella:* atra, nitida, halteribus albis; antennis breviusculis; pedibus nigris, tibiis anterioribus, geniculis tarsisque omnibus rufis, femoribus subæqualiter crassis; alis cinereo-hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus: 2:do brevi, subincurvo, 3 & 4 subparallelis, 5:to subabbreviato, transversis remotis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

T. nigrina Meig. Dipt. 3. 76. 19? ♂.

Hab. in Scania ad Lund, Abusa & alibi rar. In Gottlandia rarissime.

♂♀. Simillima etiam *T. nigræ*, sed paullo minor, antennis brevioribus, alis cinereo-hyalinis, nervis minus distinctis, ut & pedum colore diversa. Pedes nigri, anteriores articulis coxæ, geniculis, tibiis tarsisque rufis l. rufo-flavis; posteri-

ores geniculis tarsisque basi rufis. Femora antica intermediis nonnihil crassiora.

33. *T. moriella:* atra, nitida, halteribus albis; antennis subelongatis; pedibus nigris, geniculis tarsisque rufo-piceis, femoribus subæqualiter crassis; alis albo-hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus: 2:do brevi, subincurvo, 3 & 4 apice subdistantibus, 5:to subabbreviato; transversis remotis. ♂♀. (Long. ½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 552. 11. ♂♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ mens. Jul. capta; testante Prof. *Wahlberg* quoque in Ostrogothia ad Gusum, in Gottlandia, in Uplandia ad Holmiam, & in Bahusia ad Marstrand, lecta; sed specimina ex his locis cum nostris comparare non licuit.

♂♀. *T. nigræ & nigritellæ* iterum valde affinis & similis, sed a priori magnitudine sæpe nonnihil minori, alis magis albescentibus pedumque geniculis tarsisque dilutius rufis; & a *T. nigritella* antennis longioribus, tibiis non rufis, & alis albidioribus, differt.

Not. In collect. *Falleni* specimen unum l. alterum hujus inter specimina *T. geniculatæ* Ejus asservatum exstat. — Cum *Drapete exili*, antennis brevioribus, nervo alarum 2:do breviori & adhuc magis incurvo instructa, hæc species non confundenda.

34. *T. femoralis:* atra, nitida; epistomate, palpis halteribusque albis; antennis parvis nigris; pedibus flavis, femoribus in medio late nigris, intermediis crassissimis, tarsis apice fuscis; alis hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus: 2:do subelongato, 3 & 4 subparallelis, 5:to subabbreviato, transversis in lineam obliquam subapproximatis. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Hab. in Scania ad Grönby rarius, D. *Kinberg;* in littore tamen maris ad Esperöd in parœcia Mellby, 15—

20 Jul. 1818 plura specimina utriusque sexus inveni, pro varietate *T. geniculatæ* a Cel. Prof. *Fallén* tunc temporis habita.

♂♀. Ab antecedentibus hujus subdivisionis crassitie femorum intermediorum, nervorum directione &c. facile dignota. Similis videtur *T. celeri* Meig. Dipt. 3. 80. 30., sed epistomate palpisque albis &c. distincta. Nigra, nuda. Caput obscurum. Epistoma angustum, niveum. Antennæ parvæ, breves & angustæ, nigræ, seta elongata, fusca. Haustellum breve. Palpi minuti, albi. Alæ hyalinæ. Nervus longitudinalis 2:dus paullo longior, quam in proxime antecedentibus; sextus vix in rudimento adest; nervi transversi paullo ante medium alæ in lineam obliquam approximati. Halteres albi. Pedes cum coxis flavi, femoribus in medio late nigris, intermediis crassissimis, subtus distincte ciliatis; tarsis omnibus articulis 2 ultimis fuscis. Variant individua juvenilia femoribus brunneis & tarsis vix infuscatis.

35. *T. sordida:* nigra, nitida, thorace capiteque nigro-cinerascentibus, subopacis, hirsutulis; halteribus albis; antennis breviter ovatis, fuscis; geniculis tibiisque anterioribus luteis, femoribus intermediis crassissimis; alis hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus: 2:do elongato, 3 & 4 parallelis, 5:to subabbreviato, transversis in lineam subrectam approximatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 552. 13. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali rarissime; in Pinu ad Lycksele Lapponiæ Umensis 14 Aug. 1832 detecta.

♂♀. Affinis *T. brevicorni* (n:o 25), sed pedibus obscurioribus, femorum proportione &c. mox dignoscenda. Frons latior, cinerascens. Antennarum articulus ultimus ovato-conicus, nigro-fuscus, seta haud longa, fusca; articulus primus flavo-fuscus. Haustellum mediocre & epistoma non valde angustum, nigra; palpi minuti, etiam, ni valde fallor,

nigri. Alarum nervus sextus ad basin omnino nullus. Pedes nigri, geniculis tibiisque anterioribus (saltem basi late) testaceis, tarsis etiam fuscis, sed non annulatis. Tibiæ posticæ in ♂ quoque fusco-testaceæ. Femora antica valida, intermedia omnium crassissima.

36. *T. curvinervis:* nigra, nitida, thorace levissime cinereo-pruinoso; palpis halteribusque albis; antennis parvis pedibusque nigris, geniculis, tibiis tarsisque testaceis, femoribus anticis subincrassatis; alis cinereo-hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus: 2:do brevi, 3 & 4 parallelis, 5:to subabbreviato, transversis remotis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; ad Lärketorp Ostrogothiæ unicum specimen masculum & tria feminea d. 24 Jul. 1834 inveni.

♂♀. Affinis & similis *T. femorali & sordidæ*, sed ab illa epistomate nigro, nec albo, thorace cinereo-micante, nec atro, & ab hac palpis albis, antennarumque seta longiori, & ab utraque femoribus anticis reliquis paullo validioribus, nec intermediis crassissimis, tarsis non infuscatis, alarum nervis longitudinali 2:do breviori, subincurvo (ut in *T. moriella* n:o 33), & transversis remotis, differt. Caput nigrum, oculis infra antennas subcohærentibus. Haustellum breve, a palpis albis, perspicuis fere ad apicem tectum. Pedes flavo-testacei, coxis femoribusque in medio latissime nigris, tibiis posticis in medio, tarsorumque omnium articulo ultimo, fuscis.

Obs. Drapeti generi valde affinis est hæc species.

37. *T. annulata:* atra, nitida, capite thoraceque leviter cinereo-pruinoso; epistomate niveo, palpis halteribusque albis; antennis parvis nigris; pedibus luteis, coxis basi, femoribus anterioribus subæqualiter crassis, in medio, posticisque ad apicem, late, tibiarum omnium apice, tar-

sorumque annulis, nigris; alis hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus: 2:do elongato, 3 & 4 parallelis, transversis in lineam obliquam approximatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Fall. Empid. 7. 2. ♂♀. certissime. Meig. Dipt. 3. 77. 22? ♂♀. Macq. Buff. 1. 353. 7. Zett. Ins. Lapp. 552. 12. ♂♀. (specimina femoribus "angustius nigris" ad speciem sequent. pertinent).

Hab. in fruticibus & graminosis, in hortis, silvis & pratis, per totam Scandinaviam, 21 Maj — 16 Sept., ubique vulgaris, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania vulgatissime; in Ostrogothia, Nericia, Uplandia, Ölandia & Gottlandia ad Kyllej, Nähr, &c., frequenter; in Jemtlandia in insula Frösön, ad Mullfjellet & Åreskutan, rarius; in Lapponiis quoque & Suecicis & Norvegicis usque ad Nordcap, haud raro; e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Ab antecedentibus hujus subdivisionis tarsorum articulis apice distincte nigris mox dignoscitur. Tota tenuiter pubescens. Caput postice cinereum. Antennæ parvæ, nigræ, seta non longa. Oculi in viva æneseentes. Epistoma angustum, argenteum. Palpi sordide albidi. Thorax dorso griseo-pruinosus, pleuris cinereis. Abdomen atrum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis a basi fere ad medium albidis l. pallidis, deinde fuscis; longitudinalibus: 2:do elongato, 3 & 4 parallelis, 5:to ad marginem obsolete excurrente, & sexto rudimentario; transversis in lineam obliquam paullo ante medium approximatis. Halteres albi. Pedes lutei, trochanteribus omnibus concoloribus; antici: coxis basi, femoribusque validis annulo medio lato, brunneis; intermedii: coxis fere totis, femoribusque paullo validioribus annulo medio latiori, nigro-brunneis; & postici: angustati, coxis totis, femoribusque aut totis aut annulo a medio fere ad apicem, nigris; tibiarum posteriorum, tarsorumque omnium articulorum, apice quoque nigro. At color pedum niger in brun-

neum sæpe abit. — Haud multum a *T. agili* (n:o 4) discrepat ♀.

Not. Synonymon Meigeni dubius attuli, quia Clar. Auctor l. c. suam *T. annulatam* "halteribus albis: petiolo basi nigro" describit, qualem nunquam vidi. In pluribus centenis speciminibus quæ & ex hac & e sequenti affine specie lustravi, omnia halteres totos albos, nec nisi ima basi testaceos habuerunt.

38. *T. minuta:* atra, nitida, capite thoraceque leviter cinereo-pruinoso; epistomate niveo; palpis halteribusque albis; antennis parvis, nigris; pedibus luteis, coxis, femoribus in medio latissime, tibiarum posteriorum basi apiceque, tarsorumque omnium annulis, nigris; alis hyalinis, nervis nigris, longitudinalibus: 2:do elongato, 3 & 4 parallelis, transversis in lineam obliquam approximatis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Meig. Dipt. 3. 76. 20. Macq. Buff. 1. 353. 7. *T. annulata* Fall. Empid. 7. 2. var. *β*.

Hab. per Scandinaviam iisdem locis & temporibus ac *T. annulata*, vulgaris; in provinciis tamen Sueciæ & Norvegiæ borealibus ex. gr. in Jemtlandia ad Rätan, Frösön, ad radicem Mullfjellen & Åreskutan atque ad Thynæs & Levanger, in primis frequenter obvia. Eadem omnino sub eodem nomine a D. *Stæger* e Dania communicata, 22 Maj 1841.

♂♀. Summa cum priori similitudo & affinitas, sed plerumque paullo minor, & alis purius hyalinis, nervis totis nigris, ima tantum basi pallidis, pedumque colore nigro magis dilatato distincta videtur. Pedes scilicet nigri, antici: coxis apice, trochanteribus, femorum validorum summa basi apiceque, tibiis totis, tarsorumque articulis basi, flavis l. luteis; intermedii: trochanteribus, femorum paullo crassiorum ima basi, tibiis a medio ad apicem, tarsorumque annulis, luteis; postici: trochanteribus, femorum angustorum ima

basi, tibiis aut mediis aut a basi & ultra medium, annulisque tarsorum, luteis. Reliqua ut in præcedente.

Not. *T. pallipes, stigmatella, confinis, &c., albo-capillata & dissimilis*, antennis capite vix l. parum longioribus instructæ, in Sect. sequente quærendæ.

Sect. 2. *Antennæ capite longiores. Palpi halteresque albi.*

39. *T. pubicornis:* atra, nitida, pilosula, capite, thoracis limbo pleurisque cinereo-micantibus; antennis nigris, pubescentibus; alis hyalinis, nervis pallidis; pedibus flavis, tarsis infuscatis, femoribus anterioribus crassis, subæqualibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. antennis totis nigris.

Zett. Ins. Lapp. 553. 15. ♂♀. *T. longicornis* Meig. 3. 73. 12? ♀. (T. 23. fig. 17 antenna).

Var. b. ♀. antennarum articulo primo fusco vel flavo. Zett. l. c. var. Descript.

Hab. in foliis fruticum Populi Tremulæ & Salicis, ut & in graminosis, per Scandinaviam, 1 Jul. — 16 Sept., haud raro, in copula multoties capta; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Abusa, Lindholmen, Esperöd &c., frequenter; in Blekingia, & Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Häradshammar & Gusum, passim; in Ångermannia passim; in Jemtlandia ad Skalstugan, Mullfjellen & Åreskutan, in regionem nivalem procedens, freq.; in Værdalen Norvegiæ ad Suul & in alpe Kälahögar (in jugo alpino) usque ad nivem perennem adscendens præsertim var. b.; in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele, Åsele & Wilhelmina, freq.; in inferalpinis Nordlandiæ Finmarkiæque a Björkvik usque ad NordCap, visa; e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Caput cinerascens, epistomate angusto, dilutiori. Haustellum capite brevius. Palpi brevissimi. Antennarum articulus primus brevissimus, niger, aut fusco-testaceus, ultimus capite dimidio longior, anguste conicus, breviter pubescens; niger, seta brevi nigra. Oculi in viva nigro-brunnei. Alarum nervi pallescentes, longitudinales: 2:dus elongatus, ante apicem alæ subito in costam inflexus, 3 & 4 fere paralleli, h. e. ad apicem parum latius quam ad originem distantes, 5:tus ad summum marginem excurrens, 6:tus ad basin alæ obsoletissimus, abbreviatus. Pedes cum coxis toti flavi, tarsis 3 l. 4 ultimis plus minus fuscis. Femora anteriora æqualia posticis paullo crassiora. — Synonymon *Meigeni* dubium, quoniam meritissimus Auctor de pubescentia antennarum sub lente sat perspicua, & articulo basali plerumque fusco l. luteo omnino silet.

10. *T. pallipes:* atra, nitida, vix pilosa, capite, thoracis limbo pleurisque cinereo-micantibus; antennis nigris; alis hyalinis, nervis pallescentibus; pedibus flavis, tarsis concoloribus, femoribns intermediis crassissimis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Empid. 8. 6. ♂♀. ipsissima. — Meig. Dipt. 3. 71. 14? Zett. Ins. Lapp. 553. 16. ♂♀ in *Observatione*, nam specimina Lapponica ibi descripta ad *T. stigmatellam* (n:o 11) pertinent. Vix *T. flavipalpis* Meig. eadem, ut voluit Nobil. *Stæger*.

Hab. in Scania rarissime; in arvis ad Esperöd unicum par copulatum a. D. *Fallén* inventum, cujus individua heic descripsi; mihi viva non obvia.

♂♀. A priori, cui similis, differt: magnitudine paullo majori, epistomate angustissimo, nigro, palpis majoribus, flavis, antennis paullo brevioribus, vix pubescentibus, seta elongata, tarsis flavis, nec infuscatis, femoribusque intermediis crassissimis; & a *T. flavipalpe*, cui adhuc similior, anten-

nis paullo longioribus, nervis omnibus & totis pallescentibus, nec apice obscuris, & tarsis, ut nuper dictum, flavis immaculatis, nec 4 ultimis infuscatis. Parum etiam verosimile videtur hæc tantum specimina juvenilia *T. flavipalpis* esse, quando in copula juncta ideoque matura deprehensa. — Venter flavescens.

11. *T. stigmatella:* atra, nitida, glaberrima; antennis capite paullo brevioribus, nigris; alis hyalinis, nervis nigris, costali loco stigmatis atro, basi pallidis; pedibus flavis, femoribus intermediis crassioribus macula superna, posticis annulo apicali, tibiis posticis apice tarsisque omnibus, fuscis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

T. pallipes Zett. Ins. Lapp. 553. 16. ♂♀. var. a. (exclusis, synonym. omnibus). In collect. *Falleni* individua quædam sub nomine *T. nigritarsis* exstant.

Hab. in fruticibus per Scandinaviam borealem, 21 Jun. — 22 Aug., passim; scilicet in Jemtlandia Sueciæ ad radicem Åreskutan & Mullfjellen, sat copiose; in Værdalen inque jugo alpino, latere Norvegico, ad Suul, Garnæs & Ostre-Næs, frequenter; in Lapponia Tornensi tantum rarissime visa: e Jemtlandia descendit rarius in provincias adjacentes, & in Helsingia ad Ytter-Hogdal, parcissime mihi obvia.

♂♀. Caput, thorax & abdomen atra, lucida, omnino nuda. Antennæ capite in ♂ fere longiores, seta brevi, in ♀ fere breviores, articulo ultimo elongato, angusto, microscopice tantum pubescente, nigræ, seta longitudine antennæ. Epistoma angustissimum, certo situ albo-micans. Haustellum capite duplo brevius. Palpi dimidio haustelli fere longiores, perspicui, albidi. Alæ hyalinæ, nervis ut in *T. pubicorni* directis, at totis nigris, ima tantum basi albidis, & costali loco stigmatis, præsertim ubi nervus auxiliaris (seu primus longitudinalis) in costam excurrit, atro. Pedes cum coxis

flavi l. luteo-flavi, coxis anticis pallidis, femoribus anticis validis, immaculatis, intermediis crassis, macula superna longitudinali brunnea, posticis angustis ad apicem annulo lato nigricante, tibiis ejusdem paris, tarsisque omnibus, fuscis.

12. *T. confinis:* atra, nitida, glaberrima, fronte opaca; antennis capite duplo brevioribus, nigris; alis hyalinis, nervis nigris, costali loco stigmatis atro, basi pallidis; pedibus flavis, femoribus intermediis subcrassioribus macula superna, posticis annulo apicali, tarsisque omnibus apice, fuscis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. cum priori in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, 21—30 Jul. 1810, haud infrequens.

♀. Præcedenti simillima, sed certe differt magnitudine forte paullo minori, antennis aperte brevioribus, fronte opaca, nec nitida, alis a basi usque ad nervos transversos ideoque latius pallescentibus, pedibusque pallidius flavis, subimmaculatis seu femorum pictura tarsorumque fuscedine apicali multo dilutiori quam in *T. stigmatella*, cum qua propter ceteras notas communes, habitum totum magnamque affinitatem in eadem subdivisione conjungam. Femora intermedia in hac specie anticis parum crassiora videntur.

13. *T. nigritarsis:* atra, nitida, glabra; antennis capite paullo longioribus, subulatis, nigris; alis hyalinis, nervis fuscis; pedibus luteis, tibiis anticis totis, femoribus posticis apice, tarsisque omnibus, nigricantibus; femoribus intermediis crassioribus. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Var. a. ♂♀. $\frac{3}{4}$ lin. longa.

Fall. Empid. 31. 1—2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 71. 13.? Zett. Ins. Lapp. 553. 17. ♂♀.

Var. b. ♀. $1\frac{1}{8}$ lin. long.

Hab. in fruticibus & graminosis, libenter in vicinitate aquæ, per Scandinaviam, 25 Jul. 16 Sept., in certis

provinciis haud infrequenter, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Lackalänga, Abusa, Silfåkra &c., passim, sed in littore maris baltici ad Esperöd feminæ copiose; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Häradshammar & Gusum, sed præprimis in ripa lacus Wettern ad Wadstena vulgatissima; in regione sylvatica Lapponiarum Suecicarum Umensis & Tornensis quoque passim obvia. — Var. b. tantum ad Haparanda 1 Sept. capta.

♂♀. Valde affinis & similis *T. stigmatellæ*, sed antennis paullo longioribus, alarum nervis minus obscuris, pedibus luteis l. luteo-ferrugineis, nec flavis, & tibiis anticis coxisque posterioribus nigricantibus, satis superque distincta. Antennæ capite fere longiores, angustæ, subulatæ, seta breviuscula. Vertex pilosulus. Alarum nervi plerumque dilute fusci, stigmaticalis ad costam parum obscurior. Pedes subpubescentes, antici: coxis flavis, femoribus validis, luteis, tibiis tarsisque fuscis l. nigricantibus; intermedii: coxis nigris, femoribus crassioribus macula superna sæpe fuscescente, tibiisque luteis, tarsis saltem apice fuscis; postici lutei: coxis nigris, femoribus mediocribus apice late brunneis l. nigricantibus, tibiis apice anguste sæpe, tarsorumque articulis ultimis, fuscis.

11. *T. dissimilis:* atra, nitida, glabra; antennis longitudine fere capitis, fuscis; alis hyalinis, nervis obscuris; abdomine antice pedibusque pallidis, tarsis nigricantibus; femoribus anterioribus crassis, subæqualibus. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus flavis, tarsis anterioribus totis, posticorum articulis 4 ultimis, obscuris l. fuscis.

Fall. Empid. 9. 9. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus flavis, posticorum femoribus tibiisque apice, late, tarsisque omnibus nigricantibus.

Meig. Dipt. 3. 85. 41. ♀.

Hab. in pratis sylvaticis, per Scandinaviam temperatam, 30 Jun. — 28 Jul., passim frequenter; scilicet var. a: præsertim in Suecia meridionali & media, ut in Scania ad Abusa, utrumque Esperöd, sæpe in copula, & femina 20 Jul. ovipara; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Häradshammar & Gusum; var. b.: præcipue in Scandinavia magis boreali, ut in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, & in Norvegia ad Thynæs, frequens.

♂♀. Minuta. Similis priori, minor, & antennis brevioribus, fuscis, pedibus dilutioribus, femoribus anterioribus subæqualibus &c. distincta. Antennæ sordide flavæ, articulo basali parvo sæpe nigro; seta longitudine antennæ. Oculi supra antennas arcte cohærentes Epistoma angustum. Vertex nitidus. Abdomen nigrum, basi plus minus late (segmentis 1—3 vel 1—5) flavum l. flavo-fuscum, interdum subpellucidum, linea dorsali sæpe fusca; anus maris appendicibus variis parvis elevatus, feminæ oviductu acuminato. Alæ metallice nitentes, nervis ut in *T. nigritarsi.* Pedes toti cum coxis flavi, pictura ut in diagnosi. Individua feminea Norvegica variant abdomine fere toto nigro, basi vix pallidiore.

45. *T. albo-capillata:* atra, nitida, glaberrima; antennis capite paullo longioribus, nigris, seta halteribusque albis; alis fumatis, nervis nigris, longitudinalibus 3 & 4 non parallelis; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigris.

Fall. Empid. 9. 7. ♂♀. Diagn. & in descriptione var. "pedibus nigricantibus" certe.

Meig. Dipt. 3. 79. 28. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus vel totis nigro-piceis, vel tro-

chanteribus & tibiis præsertim anticis basi piceis aut ferrugineis.

Hab. in graminosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 21 Jun. — 22 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, utrumque Esperöd (locis aridis in littore maris Kivik medio mensis Jul. 1818 copiose visa); in Westrogothia, D. *Dalman*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Sanda, Nähr, Storugns, Kapelshamn & Fårön, frequenter, ipse; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; sed in Suecia vix longius versus septentrionem observata; in Norvegiæ vero littoralibus ad Thynæs & Levanger supra Trondhjem iterum parce mihi obvia.

♂♀. Tota atra, nitida, glabra, vertice pilosulo, pedibus tenuiter pubescentibus. Antennarum nigrarum articulus ultimus elongatus, angustus, seta longitudine antennæ, nivea, microscopice pubescente. Haustellum breve. Palpi minuti, albi. Thoracis latera albo-micant. Alæ fumato-hyalinæ, nervis nigris, longitudinalibus: 1:mo ad medium costæ ducto, 2:do elongato paullo ante apicem alæ in costam recta excurrente, 3 & 4 non parallelis, h. e. ita incurvatis, ut ad originem fere coëuntes (angusto tantum spatio remoti) pone medium divergant, & in apice alæ iterum paullo approximentur; 5:to ad marginem interiorem ducto, & 6:o obsoleto, abbreviato. Halteres albi. Pedes ut in diagnosi.

16. *T. albiseta:* atra, nitida, glaberrima; antennis capite paullo longioribus, nigricantibus, seta halteribusque albis; alis cinereo-hyalinis, nervis fuscis, longitudinalibus 3 & 4 non parallelis; pedibus ferrugineis, femoribus intermediis crassioribus. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Panz. Fn. 103. f. 17. ♂. Meig. Dipt. 3. 73. 11. ♂♀. (exclus. Syn. Fall. *Tachydr. assimilis*, quod ad *Drapetem exilem* pertinet). Macq. Buff. 1. 352. 2. ♂♀. *T. al-*

bo-capillata Fall. Empid. 9. 7. Descript. var. "pedibus luteis".

Hab. in graminosis Scaniæ rarissime; ad Esperöd in Mellby uterque sexus inventus.

♂♀. Priori simillima ut ovum ovo; differt tantum alis cinereis, nec fumatis, nervis fuscis, nec nigris, & pedibus totis aut ferrugineis, aut rufo-ferrugineis, aut ferrugineo-luteis, nec nigris, tarsis tantum interdum obscuris, & femoribus intermediis anticis tantum paullo crassioribus. An spec. distincta vel solum modo varietas præcedentis?

47. *T. niveiseta:* atra, nitida, glaberrima; antennis capite paullo longioribus, nigricantibus, seta halteribusque albis; alis cinereis, nervis fuscis obsoletis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis; pedibus flavis, femoribus intermediis crassioribus. ♂? (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel capta.

♂? *T. albisetæ* iterum valde similis, sed paullo minor, alis magis flavescentibus, nervis obsoletioribus, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, ut & pedibus flavis, certe distincta. Antennæ fuscæ. Abdomen nigropiceum. Alæ præsertim basi pallescentes, nervis tenuibus. Pedes toti cum coxis flavi, tarsis apice tantum subinfuscatis; femoribus anticis validis intermediisque crassioribus, subtus ciliatis, posticis elongatis, angustatis.

Obs. Tachydr. geniculata Fall. Empid. 7. 3. e numero specierum delenda; specimina enim in Collectione Cel. Auctoris sub hoc nomine asservata, ad nostras partim *T. moriellam* (n:o 33), partim *femoralem* (34), partim denique *albo-capillatam* (45) referenda. *T. geniculata* Meig. 3. 75. 18. "nigra, nitida, genubus luteis, alis infuscatis, halteribus nigris, petiolo testaceo" mihi ignota & vix Sveciæ incola, nisi in Ölandia a D. *Boheman* olim capta. — *Tach. arsimilis* Fall. Empid. 8. 5 & 34. 5 ad *Drapetem minimam* pertinet; & spe-

cies Fall. 12—21 sub divisione: "femoribus anticis crassissimis," comprehensæ, sub nostris generibus sequentibus: *Hemerodromia*, *Tachypeza*, *Ardoptera* & *Elaphropeza* quærendæ.

---

42. TACHYPEZA Meig.

Corpus minutum, elongatum, glabrum. Palpi apice setigeri. Oculi in viva brunnei, æneo-micantes, supra antennas in utroque sexu per lineam angustam disjuncti, infra has conniventes. Alæ angustatæ, area discoidali nulla. *Color* niger, obscurus, pictura alarum interdum fusco-fasciata. *Motus:* celerrime at abrupte cursitat; fugam vero *volatu* vix nisi perterrita tentat. *Habitatio* in foliis fruticum, in terra ad littora lacuum & ripas fluminum; truncis arborum, lapidibus & parietibus ligneis libentissime insidens. *Victus* e rapina minorum insectorum. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. (Femora antica in *T. brevipenni* (n:o 13) reliquis parum crassiora).

* Halteres albi vel pallidi. Palpi argentei, l. flavi, (in *T. morione* n:o 3 palpi nigri).

1. *T. arrogans:* atra, nitida, antennarum basi pedibusque flavis, horum posticis fuscis; alis albis, fasciis duabus nigris, discretis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.)

Var. a. ♂♀. pedibus anterioribus flavis, tibiis infuscatis; pedibus posticis fuscis, tarsis pallidis, femoribus sæpe basi flavis.

Zett. Ins. Lapp. 516. 1. var. a. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1857. *Tachydromia* Fall. Empid. 13. 18. ♂♀. var. a. *Tachypeza Cimicoides* Meig. Dipt. 6. 311?

Var. b. ♀. pedibus fere totis flavis, posticorum femoribus tibiisque parum infuscatis.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♂♀. femoribus anterioribus testaceis, latere superiori infuscatis; posterioribus tibiisque omnibus nigris, geniculis tarsisque omnibus pallidis.

Zett. l. c. var. c. ♂♀. *T. cimicoides* Fabr. Antl. 141. 4. *T. arrogans* Fall. l. c. v. b. descr. Meig. l. c. 342. 55?

Hab. in graminosis, in ripis lacuum arenosis, littoribus, foliis fruticum & libenter truncis arborum viventium, in quibus celeriter currit, per totam fere Scandinaviam, 1 Jul. — 1 Sept., passim vulgaris; scilicet var. a. in Scania, Ostrogothia, Westrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia, Jemtlandia, & Ångermannia, frequens, at in Lapponia meridionali rarius; var. b. ad Silfåkra Scaniæ 8 Jul. 1836, & ad Kyllej Gottlandiæ 8 Jul. 1819, capta; var. c. cum var. a. haud frequenter inventa.

♂♀. Scutellum setulosum. Antennæ brevissimæ, seta capillari longa. Palpi argentei. Pectus antice macula cano-micante. Alæ albicantes, fasciis 2 latis, discretis, nigris aut fuscis, plerumque distinctis, raro obsoletis, & ita locatis, ut albedo intermedia medium alæ transeat ibique fasciam albam singula fasciarum nigrarum paullo angustiorem formet. Nervi tenues, longitudinalis 2:dus subrectus paullo ante apicem alæ in costam excurrit, 3 & 4 paralleli, 5:tus brevis obsoletus, 6:tus (ad basin alæ) omnino nullus. Interstitium inter hos nervos scilicet inter 2 & 3, & 3 & 4 fere æqualiter latum. Pedes ut in diagnosi. Tarsi flavi, articulis 3 primis apice anguste, & 2 ultimis fere totis plerumque obscuris.

2. *T. albitarsis:* atra nitida; antennarum femorumque anteriorum basi, genubusque testaceis; metatarsis omnibus albidis; alis albis, fasciis duabus fuscis discretis, nervo longitudinali 2:do flexuoso. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

T. arrogans var. d. *albitarsis* ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 516. 1. *T. albitarsis* Stæg. in litt.

Hab. in truncis arborum Populi Tremulæ &c. per Scandinaviam borealem, 2 Jul. — 2 Sept., passim; scilicet in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele, Barrsele &c., frequens; in Ångermannia ad Hernösand & in Botnia boreali ad Johannis Ro prope Torneå, vulgaris; & in Norvegia ad Thynæs atque Levanger, nec non in Værdalia ad Suul in jugo alpino, haud raro quoque deprehensa; sed in provinciis Sueciæ meridionalibus Ostrogothia & Scania mihi non nisi rarius obvia. — E Finlandia a D. *Sahlberg* missa.

♂♀. Priori præsertim ejus varietati b. sat similis, sed in multis differt, atque etiam secundum opinionem oculatissimi *Stægeri* constanter distincta. Præcedente paullo major. Alarum nervus 2:dus longitudinalis flexuosus juxta costalem propius currens, quam juxta longitudinalem 3:tium, ita ut interstitium inter nervum 2 & 3 duplo latius evadat, quam inter nervum 2:dum & costalem. Fasciæ quoque obscuræ minus intense fuscæ quam in *T. arrogante*, forte etiam nonnihil angustiores. Pedes nigri, antici: coxis fere totis pallidis, trochanteribus, femorum basi geniculisque flavis; intermedii: trochanteribus geniculisque flavis, femoribus subtus fuscis l. sordide lutescentibus; postici: trochanteribus tibiarumque ima basi, flavis. Pedum omnium metatarsus fere totus & articulus sequens basi late, albi l. albidi.

3. *T. morio:* atra, nitida, antennarum basi geniculisque anterioribus piceis; alis albis, fasciis duabus nigris, ad costam connexis. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 516. 2. ♂♀.

Hab. in Scandinavia minime vulgaris; sed locis, ubi occurrit, sæpe copiose invenitur; 27 Jun. — 28 Jul. deprehensa; scilicet in Ostrogothia in ripa arenosa ad lacum

Wettern prope Wadstena, frequenter; in Jemtlandia in graminosis ad flumen Åre prope Forsa & Mullfjellet, passim; in Norvegia in foliis Salicis & Betulæ ad littus maris borealis in parœcia Skogn ad Thynæs & Levanger, nec non in inferalpinis Nordlandiæ ad Giebostad, haud raro.

♂♀. Similis *T. arroganti* etiam quoad directionem nervorum in alis, sed paullo minor, & colore pedum nigriore, palpis saltem in exsiccatis nigris, & fasciis alarum nigris latioribus, ad costam connexis, nec liberis, constanter distincta. Macula pectoris schistacea utrinque adest. Alæ potius nigræ dicendæ, fascia basali angusta, sinu medio a margine interiori ad medium alæ anguste assurgente, & summo apice, albis. Halteres albi. Pedes toti nigri, anteriorum genubus & metatarsis rufescentibus. Variat femoribus anterioribus nigro-piceis & tarsis totis rufescentibus. — Tibiæ posticæ basi raro rufescunt.

4. *T. fuscipennis:* nigra, subnitida, antennis pedibusque testaceis, horum posticis fuscis; alis nigricantibus basi apiceque albidis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 316. 3. ♂♀. *Tachydromia* Meig. Dipt. 3. 71. 5. ♂. Macq. Buff. 1. 350. 4. ♂♀. Fall. Empid. 14. 19. ♂♀.

Hab. in truncis arborum & in graminosis per Sueciam meridionalem & mediam. 21 Jun. — 15 Aug., vulgaris, in copula sæpe capta; sed in provinciis magis borealibus rarius, & intra limitem Lapponiæ vix nisi rarissime obvia; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. vulgatissima; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp &c. frequens; in Gottlandia ad Nähr &c. passim.

♂♀. Antennæ breves, flavæ, articulo ultimo sæpe fusco-testaceo, seta longa. Palpi ♂ albi, ♀ flavi, apice in utroque sexu nigro-setigeri. Caput cinereum, epistomate ob o-

culos connexos vix conspicuo. Oculi obscure brunnei, unicolores. Alæ nigro-fuscæ, basi apiceque, anguste albidæ. Pedes ochracei, coxis flavis; tibiis anticis parum infuscatis; postici fusci, femorum, tibiarum tarsorumque basi pallida. Alarum nervi ut in *T. arrogante* directi.

5. *T. Truncorum:* fusco-nigra, parum nitida, antennarum basi pallida; pedibus fusco-testaceis aut nigricantibus, anticorum coxis, femorumque apice late, posticorumque tibiarum medio & metatarso, pallide flavis; alis cinerascentibus, basi dilutioribus, nervis longitudinalibus 3 & 4 non parallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 547. 4. ♂♀. *Tachydromia* Fall. Empid. 14. 20. certe. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 71. 6? Macq. Buff. 1. 350. 6.

Hab. in Scania, Ostrogothia, Uplandia ad Holmiam passim; in Jemtlandia ex. gr. ad Åreskutan & Mullfjellet freq.; in Norvegia ad Suul & Garnæs, freq.; & in Lapponia rar; Jun. — Aug. obvia

♂♀. Obscura, parum nitida, subtus grisescens. Thorax distincte lobatus. Abdomen nigrum. Alarum nervus, costalis & longitudinalis tertius reliquis distinctiores, fusci ad apicem alæ nonnihil approximati. Pedes fusco-testacei, antici: coxis, femoribus extus supra indeterminate, tibiis basi, tarsisque fere totis, pallide flavis; intermedii: geniculis tarsisque pallide flavis; postici: tibiis basi late, metatarsoque albo-flavis; trochanteribus omnibus pallidis. Femora maris antica infra, ante apicem, puncto nigro & sæpe latere interiori punctis 3—5 ejusdem coloris. Reliqua ut in *T. fuscipenni* & diagnosi. Variat sæpe ala sinistra nervis 2 & 3 longitudinalibus ad apicem (ante stigma) per nervulum transversum connexis

Not. Specimina nostra neque "nitida" sunt, neque femoribus anticis "apicibus nigris" instructa, quare de identitate nostræ cum *Meigeni* specie dubius sum.

6. *T. nervosa:* fusco-nigra, parum nitida; antennis pallidis; pedibus flavis, femoribus anterioribus macula superna, posticisque fere totis, fuscis, tibiis anticis posticisque apice nigricantibus; alis hyalinis, nervis fuscedine cinctis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 72. 8? ♂. — Zett. Ins. Lapp. 517. 5. ♂♀. — Sub *Tachydr. truncorum* Fall. Empid. 14. 20. etiam latet. Nec *Tachydromia nubila* Meig. 3. 71. 7 multum ab hac nostra abludere videtur.

Hab. in parietibus & truncis arborum per Scandinaviam temperatam, 21. Jun. — 16 Aug., passim; in copula inventa; scilicet in Scania ex. gr. ad Abusa, frequenter; in Smolandia ad Ishult Calmariæ; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum, non raro; in Gottlandia ad Westös på Hall; in Jemtlandia ad Lund & Forsa juxta radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, passim; in Norvegia & ejus jugo alpino ad Suul & Garnæs Værdaliæ, haud infrequenter; sed in provinciis magis borealibus rarissime tantum obvia. E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Priori valde similis, sed duplo fere minor, & pedum anticorum colore præcipue distincta. Antennæ fere totæ albidæ s. pallidæ, articulo ultimo breviter conico, sæpe plus minus fusco; seta longa fusca. Abdomen nigricans subnitidum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervo costali loco stigmatis atro, & longitudinalibus 3 & 5 nigredine cinctis; 3 & 4 non exacte parallelis. Pedes flavi, antici: femoribus macula superna parva ante apicem fusca, quæ interdum magis dilatata fasciam latiorem ante apicem superne efficit, & hinc forte *T. nubila*, Meig. l. c. exstat; tibiis ejusdem paris versus apicem distincte incrassatis, totis nigris, ima basi pallida, & metatarsis basi nigris; intermedii: femoribus externe macula longitudinali tibiisque basi, obsolete fuscis; postici: fe-

moribus rufo-testaceis, basi pallidis, tibiis flavo-albidis, basi fuscis, apice nigris, tarsis flavis, apice fuscis; coxis omnibus, inprimis anterioribus, flavo-subpellucidis.

Not. Cum Cl. *Meigen* l. c. corpus nigrum, nitidum describit, sed antennarum colorem omnino silet, de identitate ejus speciei cum nostra manet dubium, licet reliquæ notæ quadrent. Nobil. *Winthemi Tachypeza sabulosa* Meig. 6. 342. 56. valde affinis nostræ *Tachyp. nervosæ* etiam videtur, sed illa palpis flavis, nec altis, & thorace nigro, nec fuscco-subopaco, a nostra differt.

7. *T. fenestrata:* nigra, nitida, pedibus concoloribus, anticorum femoribus basi geniculisque late, flavis; alis nigro-fuscis, basi maculaque ad marginem interiorem prope apicem, albidis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Stæg. in litt. 21 Aug. 1839.

Hab. in Dania rarissime; in silvis Jutlandiæ borealis a Scrutatore eximio D. *Stæger* semel deprehensa, mihique ad descibendam amicissime mutuo communicata. — In Suecia forte etiam hospitatur, sed ibi hactenus non inventa, quantum novi.

♀. *T. nervosæ* affinis, sed in multis differt, & ab illa aperte distincta. Multo minor. Antennæ nigræ, basi fuscæ. Palpi albi. Alæ nigricantes, basi ad tertiam fere alæ partem albæ, & macula parva, sed perspicua ejusdem coloris intra marginem interiorem paullo ante apicem alæ. Halteres albi. Pedes, antici cum coxis flavi, femoribus annulo medio lato perspicuo, tibiis apice, tarsisque, nigris; intermedii nigri, coxis concoloribus, femoribus basi genubusque, flavis; postici nigri, femoribus basi leviter fuscis.

8. *T. Heeri:* nigra, thorace fusco-opaco; antennis pedibusque griseo-flavis, horum anticis in mare nigropunctatis, posticorum femoribus totis tibiisque apice in utroque sexu fuscis; alis hyalinis, medio subinfuscatis,

nervis fuscis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, costali in medio crasso, ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 547. 6. ♂♀.

Hab. in provinciis septentrionalibus Scandinaviæ in parietibus ligneis & truncis, 21 Jun. — 28 Aug., passim; in copula capta; scilicet in Jemtlandia ad radices alpium Åreskutan & Mullfjellen, vulgaris; in Ångermannia, Botnia boreali & Lapponiis Suecicis omnibus per regionem sylvaticam, passim; in Norvegia quoque a Suul & Garnæs Værdaliæ usque ad Nordlandiam & Finmarkiæ Nord-Cap haud raro deprehensa.

♂♀. *Tachypezæ Truncorum* simillima, sed antennis totis flavis, alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 ab origine usque ad summum apicem exacte parallelis, nec in medio nonnihil latiori spatio quam ad apicem remotis, nervo costali in medio incrassato atro (præsertim in ♀ perspicuo), ut & pedibus anticis in mare totis flavis, punctura nigra notatis, facile dignoscenda. Palpi albi. Antennæ plerumque totæ flavæ, articulo ultimo brevi, ovato, interdum fusco, præsertim in ♀. Oculi in viva obscure brunnei, immaculati. Alæ hyalinæ, basi albidæ, in medio subinfuscatæ, nervis longitudinalibus 1:mo in regione stigmatis, 3:tio toto, quintoque, distinctioribus atris, at 4:to valde obsoleto. Post mortem & in speciminibus vetustis nervos omnes pallescentes vel tantum fuscos vidi. Halteres albi. Pedes maris flavi, antici: femoribus crassissimis, subpellucidis, extus parce & indeterminate fusco-brunneo-maculatis, macula ad apicem plerumque distinctiori; in latere inferiori punctis 4—7, difformibus, in medio femoris conglomeratis, interdum quasi radiantibus, maculaque intra apicem, nigris; tibiis flavis, punctis 3—5 nigris, plerumque discretis, in lineam quasi dispositis; tarsis pallidis, apice fuscis; intermedii: femoribus latere posteriori, tibiis fere totis, tarsisque brunneo-fuscis; postici nigricantes, tibiis præter apicem atrum totis, metatarsisque, flavis. Coxæ anticæ totæ, & posteriores apice,

flavo-subpellucidæ. Pedes feminæ ut in mare, sed antici non nigro-punctati, femoribus tantum superne late brunneis & tibiis fere totis fuscis.

9. *T. terricola:* atra, nitida, antennis pedibusque flavo-luteis, tarsis nigro-annulatis; alis basi pallidis, apice infuscatis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Tachydromia Zett. Act. Holm. 1819. 81. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 72. 9. & 6. 341. ♂♀. Fall. Dipt. Suec. Empid. Suppl. 1. p. 6. 20—21. ♂♀.

Hab. in littoribus & ripis arenosis maris, lacuum & fluminum, per Scaniam meridionalem campestrem, 16 Jun. — 8 Sept., passim copiose; scilicet ad Lomma, amnem Kjeflinge & lacum Silfåkra, frequens, in ipsa terra celeriter currens.

♂♀. Parva angusta. Atra. Humeri albo-micantes. Caput globosum. Oculi per lineam angustam, nitidam, nigram disjuncti. Antennæ parvæ, flavæ, seta nigra. Haustellum breve a palpis squamæformibus, argenteis fere totum tectum. Alæ basi pallidæ, versus apicem & præsertim ad costam leviter infuscatæ, nervis tenuibus. Halteres albi. Pedes cum coxis flavi l. lutescentes, tibiis plerumque obscurioribus, & tarsorum articulis apice semper anguste nigris. Variat femoribus posticis apice subinfuscatis.

10. *T. graminum:* thorace nigro, antennarum basi pedibusque flavo-luteis; fronte alba; abdomine livido; alis cinereis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis. (Long. $\frac{1}{3}$ lin.).

Var. a. ♂♀. alis cinereis.

Tachydromia Fall. Empid. 15. 21. var. *α*. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 72. 10.

Var. b. ♂♀ alis fuscis, basi, apice margineque interiori albidis.

Fall. l. c. var. β.

Var. c. ♂♀. abdomine toto fusco. Fall. l. c. var. γ.

Hab. in graminosis per prata Sueciæ meridionalis & mediæ, 21 Jun. — 16 Sept.; passim frequens, motu saltatorio sæpe effugiens; scilicet in Scania ad Lund, utrumque Esperöd & alibi, vulgaris; in Ostrogothia ad Lärketorp passim; in Gottlandia ad Nähr, Westös på Hall, Garde &c. frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; e Dania a D. *Stæger* missa. Omnes varietates sæpe simul habitant.

♂♀. Minima nostratum. Interstitium frontale angustum, niveum. Antennæ minutæ flavæ, articulo ultimo lentiformi, apice obscuro, seta fusca. Haustellum breve, palpis squamæformibus, albis tectum. Abdomen lividum, ano obscuriori. Alæ angustæ, nervis brunnescentibus. Halteres albi. Pedes cum coxis toti flavi, femoribus anticis crassissimis.

** Halteres palpique obscuri.

11. *T. Winthemi:* nigra, antennis, palpis, halteribus pedibusque concoloribus, metatarsis flavescentibus; alis infuscatis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigris, tarsis flavis, alis totis infuscatis.

Zett. Ins. Lapp. 548. 7. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus nigris, metatarsis flavis, alis costa late fusca, margine interiori albido-hyalino.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. pedibus rufo-piceis, alis fusco-hyalinis.

Zett. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in truncis arborum & parietibus ligneis, per Scandinaviam septentrionalem, 15 Jun. — 5 Aug., passim;

scilicet in Botnia boreali, Lapponiis Suecicis per regionem sylvaticam, & in inferalpinis Finmarkiæ Norvegicæ, capta.

♂♀. *Tachypezæ Truncorum* in multis similis, sed paullo minor, & corporis partiumque colore nigro & ab hac & ab aliis affinibus dignoscenda. Antennæ & palpi nigra. Thorax supra nigricans, opacus, trilobatus, humeris cinerascentibus, pleuris nigris, nitidis. Abdomen nigrum, ut in *T. Truncorum* constructum. Alæ ut in diagnosi varietatum coloratæ, nervis longitudinalibus 3 & 4 non exactissime parallelis, sed versus apicem levissime quidem, forte tamen nonnihil magis quam in medio, approximatis. Halteres fusci. Pedes ut in diagnosi. Coxæ anticæ interdum apice flavæ.

12. *T. cursitans:* obscure cinerea, opaca, pilosula; pedibus concoloribus aut ferrugineis; palpis halteribusque obscuris; alis cinereo-hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. vix ½ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus cinereo-nigricantibus, aut totis obscuris, aut geniculis tarsisque ferrugineis.

Empis Zett. Act. Holm. 1819. p. 82. 36. ♂♀. *Tachydromia* Fall. Dipt. Svec. Empid. Suppl. 1. p. 7. 20—21. (*Tachydr. cursitans* Fabr. Antl. 143. 3. & Meig. Dipt. 3. 83. 38 longe alia species est).

Var. b. ♀. pedibus totis flavo-testaceis.

Hab. in terra arenosa ad littus maris & ripas lacuum fluminumque, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 29 Maj—15 Sept., passim copiose, in copula multoties inventa; scilicet var. a. in Scania ad Rydebäck, Esperöd & lacum Silfåkra &c., vulgaris; in Ostrogothia ad lacum Wettern, frequens; in Ölandia, D. *Boheman;* at var. b. non nisi in littore maris Gottlandiæ ad Öja, Bursviken & Carlsön, mense junio deprehendi. Utraque varietas celerrime currit, volare nolens.

♂♀. Minuta, tamen firma. Tota nigro-cinerascens, parce pilosa, opaca. Antennæ parvæ, seta deflexa. Palpi obscuri, certo situ albo-micant; squamæformes. Alarum nervi longitudinales: 2:dus brevis, 3 & 4 paralleli, præterea ut in *T. terricola* directi. Femora antica intermediis nonnihil crassiora. — Habitus omnino *Tachydromiæ nigritellæ* (n:o 32). — Var. b. pedibus flavis, magis pilosis, an propria species?

13. *T. brevipennis*: obscure cinerea, opaca, pilosula; pedibus rufo-brunneis; antennis, palpis halteribusque fuscis; alis brevissimis, subinfuscatis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. vix ½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 548. 8. ♂.

Hab. in littore maris borealis, 2—14 Jul., passim; scilicet in Norvegia ad Levanger & Thynæs parœciæ Skogn, frequens, & in inferalpinis Nordlandiæ ex. gr. ad Björkvik prope Ofotenfjord, parce lecta.

♂♀. Simillima priori, sed differt: alis abbreviatis, abdomine scilicet paullo brevioribus, magis infuscatis, pedibus piceis, (nec nigris, nec ferrugineis, nec flavis), ut & loco natali alio. Nigro-grisea, subpilosa. Epistoma cinerascens, subconvexum. Palpi brevissimi, fusci, apice setigeri. Haustellum breve. Halteres fusci. Pedes obscure lividi seu fuscescentes, femoribus omnibus subæqualiter crassis.

43. ARDOPTERA Macq.

Corpus minutum, elongatum, glabriusculum. Palpi parvi. Oculi in viva obscure brunnei, immaculati. Antennæ parvæ breves, biarticulatæ, articulo ultimo conico-rotundato, seta antenna duplo longiori, curva. *Color* griseus, pictura alarum interdum albo-guttata in fundo fusco. *Motus* haud celer. *Habitatio* in graminosis. *Differentia sexus* ut in *Tachypeza*, a qua per pedes magis simplices & directionem nervorum in alis paullo diversam præcipue dignoscitur hoc

genus, cujus typus est *A. irrorata*, & generibus *Hemerodromiæ* & *Wiedemanniæ* per varias notas affine.

1. *A. irrorata:* grisea, antennis nigris; halteribus pedibusque flavis; alis fuscis, albo-guttatis, nervis 2 & 3 longitudinalibus per nervulum transversum prope apicem connexis. ♂♀. (Circiter 1 lin. long.).

Macq. Buff. 1. 358. 1. *Tachydromia* Fall. Empid. 13. 17. ♂♀. *Hemerodromia* Meig. Dipt. 3. 66. 9. Zett Ins. Lapp. 544. 9. ♂♀.

Hab. in graminosis, libenter locis paludosis, per Sveciam & Lapponiam Svecicam, 4 Jun.—10 Sept., minus frequens; scilicet in Scania: ad Esperöd, D. *Fallèn*, & in parietem domus Academiæ Lundensis e quisquiliis terræ assurgens, semel ipse; in Westrogothia, D. *Dalman*; in Häradshammar Ostrogothiæ pluries capta a D. *Stenhammar*; in Uplandia ad Stockholmiam, in horto Bergiano 1840, D. *Stenhammar*; in Helsingia ad Kårböle, rarissime; in Jemtlandia ad Laforsen; in Lapponia Umensi ad Elgsjön, D. *Dahlbom*; in Lapponia Tornensi ad Kengis rarissime; & in Norvegia ad Thynæs specimen unicum inveni. In Finlandia a D. *Sahlberg*, & circa Hafniam a D. *Stæger* æstate 1841 in utroque sexu, deprehensa.

♂♀. Caput perpendiculariter nutans. Epistoma nonnihil infra oculos oblongos descendens. Haustellum crassum, oblique porrectum. Palpi albi. Frons nigra, orbita oculorum cana. Vertex setulosus. Corpus angustum. Thorax fuscus, dorso setulosus, linea media obsoleta, albida; subtus cinereo-micans. Abdomen fuscum, nudum. Alæ angustæ, elongatæ, nigro-brunneæ s. fuscæ, in singula guttulis circiter 14 albidis, quarum 6 ad costam. Nervi fere ut in *Phyllodromia vocatoria* directi. Area scilicet discoidalis inæqualis tres nervulos in marginem interiorem emittit; sed nervus tertius longitudinalis furcatus, ramulo superiori furcæ

cum nervo 2:do longitudinali juxta hujus apicem, connexo. Halteres tenues, flavi. Pedes graciles, femoribus elongatis, muticis, sed coxis minus quam in *Hemerodromia* elongatis; toti flavi aut lutei, tibiarum summo apice, tarsorum articulis ultimis, coxisque posterioribus, nigro-fuscis. — In Europa meridionali hæc species jam mense Majo occurrit; apud nos serius.

2. *A. nivalis:* grisea, pedibus concoloribus; antennis nigris; alis albidis, nervis fuscedine cinctis, secundo longitudinali cum tertio prope apicem, & tertio cum quarto fere ad medium alæ, per nervulum connexis. ♀ (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hemerodromia Zett. Ins. Lapp. 545. 10. ♀.

Hab. in Lapponia Svecica septentrionali rarissime; in Lapponia scilicet Tornensi in summo jugo alpino, unicum individuum in ipsa nive perenni circiter 3000 ped. supra mare ambulans d. 12 Jul. 1821 inveni.

♀. Statura prioris, sed forte nonnihil major. Affinis generibus *Brachystom.* & *Wiedemanniæ*, a priori vero epistomate breviori, & ab utroque, nervorum in alis directione, ut & coxis anticis longioribus distincta. — Tota grisea aut cinerascens, opaca, nuda, parum pilosula. Caput rotundatum. Antennæ ut in priori. Oculi rotundi microscopice puberuli; in fronte late distantes. Epistoma latum, breve, argenteo-nitidum. Os parum infra oculos descendens, apertura magna, hanstello proboscide saccata haud exserto, repleta. Anus acutus. Alæ albido-hyalinæ, nervis transversis fuscedine cinctis; nervi de cetero ut in *A. irrorata* directi, at tertius & quartus longitudinales quoque in medio fere alæ per nervulum transversum (inferiori adjacenti oppositum), connexi. Halteres in nostro specimine, alias bene conservato, mutilati. Pedes simplices, sat graciles, nudi, cinerei, coxis anticis sat elongatis.

44. ELAPHROPEZA Macq.

Corpus minutum, Tachydromiæforme, glabriusculum. Haustellum breve, perpendiculare, palpis squamæformibus tectum. Antennæ breviter conicæ. Pedes simplices. Alæ sublatiores, area discoidali nulla. Nervi fere ut in *Tachypeza* directi, horum longitudinalium 2:do brevi, in costam mox pone medium excurrente, 3 & 4 in apice alæ longius quam ad originem distantibus, 5:to in marginem interiorem integro descendente, & 6:to nullo. *Color* flavus. *Motus* celer. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum. *Sexus* differt; *mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. — A sequente genere parum discrepans.

1. *E. ephippiata*: flava, antennis basi pedibusque pallidis; capite, thoracis postico linea utrinque abbreviata, scutelloque atris; abdomine nigro, basi pallescente; alis hyalinis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Macq. Buff. 1. 359. 1. *Tachydromia* Fall. Empid. 11. 14. ♂♀. *Hemerodromia* Meig. Dipt. 3. 65. 8. t. 23. f. 10. ala.

Hab. vel in graminosis locis uliginosis, vel in foliis fruticum Populi, Betulæ &c., per Sveciam meridionalem & mediam, 25 Jun.—28 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund & Paradislyckan, ad Östra Ljungby in Kullen, ad Esperöd in parœcia Tranås, ad Silfåkra & Lindholmen; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ölandia rar.; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp, ipse. E Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Nitida. Caput globosum nigrum, oculis æneo-brunneis & infra & supra antennas fere connexis. Antennæ flavæ, articulo ultimo fusco, seta deflexa obscura. Haustellum testaceum. Palpi pallide flavi. Vertex setulosus. Thorax convexus, subpubescens, luteus aut flavus, postice nigropictus. Abdomen nigricans, segmento 1:mo sæpe etiam 2:do

flavis. Alæ hyalinæ. Halteres pallidi. Pedes pallide flavi, tarsorum articulo ultimo fusco; pubescentes, simplices, validiusculi, non autem multo crassi, coxis anticis parum elongatis.

---

45. DRAPETIS Meig.

Corpus minutissimum, oblongo-ovatum, gibbum, nitidum, glabrum. Antennæ capite nonnihil breviores, adscendentes. Haustellum perpendiculare, palpis squamæformibus fere totum tectum. Oculi microscopice puberuli. Thorax non lobatus. Pedes nudi. Alarum nervi ut in *Elaphropeza* directi, at secundus longitudinalis fere adhuc brevior, magisque incurvus. Nervuli transversi ut in figura Macquarti remoti, nec ut in figura Meigeni approximati. *Color* ater. *Motus:* cursu celerrimo, nec nisi perterrita volatu aufugit. *Habitatio* in truncis arborum viventium, in quarum rimis corticalibus sæpe latitat; plerumque in his truncis vel in foliis agilissime currens, insecta minora prædatura. *Differentia sexus; mas:* abdomine subcylindrico, ano obtuso; *femina:* abdomine subovato, ano acuto. — *Elaphropezæ* valde affinis; an ejusdem generis?

1. *D. minima:* atra, halteribus fumato-albidis; pedibus testaceis; alis hyalinis. ♂♀ (Long. ½ lin.).

Meig. Dipt. 6. 100. 4. ♀. *Drapetis exilis* Zett. Ins. Lapp. 551. 1. ♂♀. (exclus. Syn. Meig.). — *Tachydromia assimilis* Fall. Empid. 8. 5. & 34. 5. ♂♀.

Hab. in truncis arborum viventium, celeriter currens, timida, in fenestris quoque interdum errabunda, per Sueciam, 24 Jul. — 26 Aug., passim frequens, in copula capta; nempe in Scaniæ hortis & in truncis arborum Pyri, Pruni &c. ad Lund, Esperöd &c., passim; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Wadstena &c.,

freq.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi rarissime, & vix nisi in Sorbo Aucuparia ad Degerfors inventa.

♂♀. Valde minuta, gibba, illæsa omnium subtilissime pubescens. Similis *Tachydromiæ curvinervi* (n:o 36) & *Tachypezæ cursitanti* (n:o 12) var. b., sed a priori femoribus æqualiter crassis, & a posteriori alarum nervis longitudin. 3 & 4 non parallelis præcipue differt. Ab *Elaphropeza*, cui adhuc similior, vix nisi antennarum forma, colore & habitatione dignoscitur. Atra. Haustellum brevissimum. Palpi revera albi, sed certo situ nigri videntur. Epistoma ob oculos infra antennas connexos vix conspicuum. Antennæ capite paullo breviores forte 3-articulatæ, subrecurvæ, articulo ultimo semilenticulato, seta longitudine vix duplo totius antennæ. Alæ hyalinæ, nervis fuscis. Halteres sordide albescentes. Abdomen segmentis æqualibus nigrum; incisuris anguste, & interdum etiam ventre, in abdomine feminæ tumido fusco, luteis aut lividis. Pedes cum coxis flavi aut luteo-flavi, femoribus posticis versus apicem plerumque brunneis. Femora omnia æqualia, valida, sed non notabiliter crassa. Nec coxæ anticæ elongatæ.

2. *D. exilis:* atra, halteribus obscuris; pedibus testaceis, femoribus nigris; alis hyalinis. ♂. (Long. ½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 91. 1. t. 23. f. 27—28. ♂♀. Macq. Buff. 357. 1. ♂♀. — (*D. exilis* Zett. Ins. Lapp. ad præcedentem speciem pertinet).

Hab. in Scania rarissime; ad Lindholmen 10 Jul. 1838 semel inventa a D. *Dahlbom.*

♀. Simillima priori, a qua non differt nisi femoribus nigris, nec flavis, halteribus forte nonnihil obscurioribus, & antennis, ut videtur, paullo minoribus, brevioribus. In Europa media & meridionali hæc species secundum Auctores frequenter occurrit.

46. CYRTOMA Meig.

Corpus minutum, molle, Empidiforme gibbum, totum pubescens. Caput parvum, globosum. Palpi incumbentes, nec erecti l. recurvati. Haustellum perpendiculare. Alarum area discoidalis nulla. Pedes postici elongati, tibiis apice incrassatis (excepta in specie 4:ta,) & tarsis interdum dilatatis. Coxæ anticæ non elongatæ. ***Color*** in nostris niger. ***Motu*** tarda; volatus fixus & determinatus, etsi non celer. ***Habitatio*** in pratis, graminosis & interdum floribus. ***Metamorphosis*** ignota. ***Sexus*** differt; ***mas:*** oculis (in vivo) rufis, abdomine breviore, ano obtuso, appendiculato; ***femina:*** oculis (in viva) brunneis, abdomine longiore, ano vaginato. Alarum nervi longitudinales 4 & 5 obsoleti; areæ basales inæquales.

1. *C. spuria:* atra, opaca, pilosa, alis nigricantibus, pedibus nigris, tarsis omnibus simplicibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: aterrimus, halteribus nigris;

Fem.: nigra, halteribus nigris aut sordide albidis; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 533. 1. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 33. 43. ♂♀. *Cyrtoma atra* Meig. Dipt. 4. 2. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 360. 2.

Hab. in uliginosis, graminosis, per totam Scandinaviam, 15 April. — 2 Octob., ubique vulgatissima, in copula multoties capta; scilicet in Svea, Gothia cum Ölandia & Gottlandia, Norrlandia, Lapponia sylvatica usque ad regionem alpinam, atque tota Norvegia a Christiania usque ad Nord-Cap, frequenter & passim copiose.

♂♀. Tota distincte pilosa. ***Mas:*** alæ, halteres & pedes saturate nigra; ***femina:*** alæ nigricantes, halteres nigri, interdum albescenti nigri l. sordide albidi, pedes nigri aut nigropicei, oculi in fronte arctissime cohærentes, abdomen, ni

fallor, 8-annulatum, licet ultimum segmentum retractum, antennæ nonnihil longiores quam in mare. Variat uterque sexus in juvenilibus speciminibus pedibus piceis & præsertim posticis vi quadam compressis, unde a latere visi toti dilatati videntur; cum specie sequente minus longe pilosa non confundenda est hæc varietas, in provinciis frigidioribus ex. gr. in Jemtlandia ad alpes Åreskutan & Mullfjellen in primis vulgaris.

2. *C. nigra:* nigra, opaca, pilosula; alis fumatis; pedibus fuscis, tarsis posticis incrassatis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: halteribus fuscis, abdomine sæpe obscure livido;

Fem.: halteribus flavo-albis; in copula.

Meig. Dipt. 4. 3. 2. ♀. (exclus. Syn. Fall. *Empis pulicaria*, quæ ad genus *Platycnemam* nob. pertinet). Macq. Buff. 1. 360. 1. Zett. Ins. Lapp. 533. ♂♀.

Hab. cum priori, per Scandinaviam, 2 Jul. — 26 Aug., rarius, in copula capta; scilicet in Scania ad Räften (specimen femineum solito fere duplo majus), Lindholmen & Esperöd, minus frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, ipse, ad Gusum, in foliis Coryli, mense Sept., D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Åreskutan, passim; in Norvegia & in jugo alpino Værdaliæ ad *Kong Carl Johans Klev*, rar.; & ad Björkvik Nordlandiæ, passim; — specimina sub hoc nomine a D. *Stæger* e Dania communicata, pedibus nigris, & metatarsis posticis parum incrassatis, potius, ut mihi videtur, ad *Cyrt. spuriam* referenda.

♂♀. Similis priori, sed normaliter paullo minor, minusque pilosa, & differt præcipue colore corporis fusco-nigro, nec atro, halteribus plerumque dilutioribus & in femina semper flavo-albis, pedibus in utroque sexu fuscis l. fusco-ferrugineis, metatarsis posticis magis incrassatis, nec simplicibus,

ut & alis minus obscuris, nec nisi similis cum simili in copula juncta deprehenditur.

3. *C. sulcata:* nigricans, opaca, pilosula; alis fumato-hyalinis, halteribus fuscis; pedibus fusco-ferrugineis, posticis compressis, canaliculatis; tarsis omnibus simplicibus. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Stæg. in litteris.

Hab. in Succia meridionali rarissime; in graminosis aridis ad fabricam Arrendala Scaniæ prope viam regiam 25 Jun. 1838 individuum unicum masculum detegit Clar. *Dahlbom;* sed utrumque sexum, in Dania inventum, a Nobil. D. *Stæger* obtinui.

♂♀. Affinis & similis prioribus, sed a *C. spuria* colore corporis in utroque sexu nigro-cinerascente, halteribus sordide albo-fuscis, alis fumato-hyalinis, nec nigris, pedibus fusco-piceis seu obscure ferrugineis, ut & pilositate tenuiori & forte etiam breviori; a *C. nigra* præcipue tarsis posticis simplicibus, & ab utraque magnitudine nonnihil minori, femoribus tibiisque posticis compressis, secundum totam fere longitudinem leviter dilatatis (nec ut in prioribus, tibiis basi perspicue angustioribus), & in medio obsolete canaliculatis, facile dignoscitur.

4. *C. simplicipes:* atra aut nigricans, tenuiter pilosula; pedibus omnibus simplicibus. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: aterrimus, halteribus pedibusque nigris, alis nigricantibus, nervis 3 & 4 longitudinalibus ad originem unitis furcam longissimam formantibus;

Fem.: nigro-cinerascens, pedibus concoloribus, halteribus albidis, alis cinereo-hyalinis, nervis 3 & 4 longitudinal. obsoletissimis, in medio unitis, furcam breviorem formantibus.

Stæg. in litteris 22 Maj 1841.

Hab. in Suecia rarius, mihi hactenus tantum in provinciis mediis, 8 Jul., 29 Aug., obvia; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena minus freq.; at in pratis Gottlandiæ ad Öja & Gothem mens. Jul. 1841 plura specimina utriusque sexus invenimus D. *Dahlbom* & ipse; e Dania a D. *Stæger* communicata 1839—1841.

♂♀. Similis *C. spuriæ*, sed sæpe duplo fere minor, multo brevius & tenuius pilosa, pedibus subnudis. Ab omnibus differt: pedum posticorum & tibiis & tarsis simplicibus, minime incrassatis. — Var. ♀ (juvenilis) pedibus fusco-testaceis. Wadstena.

---

47. PLATYCNEMA Zett.

Corpus cum capite, palpis, haustello & oculis ut in *Cyrtoma.* Antennæ parvæ, brevissimæ, articulo ultimo ovato, seta longa. Alarum area discoidalis nulla, at angularis adest; reliquæ basales subæquales, fere ad tertiam partem alæ extensæ; nervi longitudinales omnes distincti, simplices, quorum 1:mus paullo pone medium costæ excurrit, 2, 3 & 4 subparalleli. Costa a basi ad medium distincte ciliata. Pedes validi; postici parum elongati, tibiis totis distincte dilatatis, & metatarsis subincrassatis. *Color* obscurus. *Motus, habitatio & differentia sexus* ut in *Cyrtoma.*

1. *P. pulicaria:* cinerascenti nigra, subnitida, halteribus concoloribus; alis subinfuscatis; pedibus fusco-lividis, tarsis obscuris; tibiis posticis distincte dilatatis & matatarsis modice incrassatis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Empis Fall. Empid. 33. 44. ♂. *Cyrtoma* Zett. Ins. Lapp. 534. 3. ♂♀.

Hab. in Suecia media & meridionali, 10—16 Jul., rar., in copula deprehensa; nempe in Scania ad Esperöd

parœciæ Mellby passim; in Smolandia, D. *Boheman*; in Gottlandia, teste D. *Wahlberg*, mihi ibi non obvia. — E Fauna Lapponica hæc species forte excludenda, nam specimen, ut Lapponiæ incola olim mihi communicatum & inter insecta Lapponica descriptum, in Suecia meridionaliori captum ipse jam melius edoctus audivi.

♂♀. Tota pilosa. Alæ cinereo-hyalinæ, stigmate brunnescente, nervo auxiliari (longitudinali primo) paullo ultra medium costæ extenso. Pedes fusco-lutescentes, tarsorum articulis 4 ultimis obscuris. Tibiæ posticæ totæ evidenter dilatatæ, ciliatæ, & metatarsi postici modice incrassati, pubescentes. — Variat ♀ pedibus flavis, in copula cum var. a. capta. An *Cyrtoma pallipes* Meig. Dipt. 6. 357. 4?

2. *P. tibiella:* cinerascenti nigra, subnitida, halteribus concoloribus; alis subinfuscatis; pedibus flavis, tibiis posticis crassis cylindricis tarsisque omnibus, nigris. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; in parte boreali insulæ Gottlandicæ ad Westös på Hall, d. 28 Jul. 1841 specimen descriptum inveni.

♀. Magnitudo, pilositas, color corporis, alæ & omnia ut in *P. pulicaria*, a qua tamen pedibus flavis, nec lividis, tibiis posticis crassis, cylindricis, nec compressis, totis nigris ima basi tantum flavis, nec totis lividis, undique breviter pubescentibus, nec ciliatis, ut & tarsorum omnium articulis 4 ultimis intensius nigris, nec obscuris l. fuscis. Metatarsi postici flavescentes, parum incrassati.

---

48. MICROSANIA Zett.

Corpus minutum, molle, gibbum, pubescens. Caput cum antennis ut in *Platycnema*. Haustellum occultum. Alarum area discoidalis nulla. Area angularis minuta cum reliquis

æqualibus adhuc propius ad basin, quam in *Platycnema*, retracta. Nervi longitudinales omnes simplices; 1:mus in medio costæ desinit; 2, 3 & 4 ad apicem divergentes, ita ut 4:tus pone apicem alæ excurrat, & inde tres (nec ut in *Platycnema* tantum duo) nervi longitudinales ad marginem interiorem descendant (scilicet 4:tus, 5:tus & 6:tus). Pedes validi, postici tibiis nonnihil, & metatarsis distincte, incrassatis. *Color* niger. *Motus, habitatio & differentia sexus* ut in *Cyrtoma.*

1. *M. stigmaticalis:* subnitida, nigra (♂), aut cinerascens (♀), halteribus in utroque sexu nigris; alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, costa mutica; pedibus fuscis, posticorum tibiis tarsisque subincrassatis.* ♂♀. (Long. ♂ $\frac{1}{2}$, ♀ $\frac{2}{3}$ lin.).

Cyrtoma Zett. Ins. Lapp. 534. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi per regionem alpinam, rarissime; in alpe Brattiksfjell prope Umenäs marem unicum in nive, ad altitudinem circiter 3000 ped. supra mare, reptantem d. 8 Jul. 1832 detegit D. *Dahlbom*, & die sequente unicam feminam ad radicem ipsius alp. ipse inveni. Forsitan etiam in Suecia inferiori hospitatur, nam individuum hujus speciei in fenestra Hafniæ d. 4 Oct. 1841 deprehensum esse mihi asseveravit Nobiliss. D. *Stæger.*

Mas: subpubescens, gibbus, parum nitidus, niger. Vertex pilosus. Abdomen subcylindricum, opacum, subpilosum, ano sat longe inflexo. Alæ latæ, subtriangulares, albo-hyalinæ, nervis tenuibus, obsoletis. Costa a basi ad apicem nuda. Linea stigmaticalis distincta, nigra, in medio costæ sita. Inter nervos longitudinales 3 & 4 ad apicem alæ nervulus inchoans, abbreviatus observatur. Pedes validi, ferrugineo-fusci, tibiis metatarsisque posticis nonnihil tantum incrassatis.

Femina: mari descripto similis, sed paullo longior, cinerascens, opaca, anoque non inflexo.

2. *M. pectinipennis:* nigricans; alis hyalinis, costa pectinata; pedibus fuscis, metatarsis posticis incrassatis. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Cyrtoma pectipennis Meig. Dipt. 6. 356. 5. ♀.

Hab. in Succia rarissime, ad Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg* inventa, mihi nunquam obvia.

♀. Frons lata, nigra, pilosa. Thorax schistaceus. Abdomen nigrum, parum pilosum. Pedes postici nonnihil elongati, metatarsis distincte incrassatis. Alarum costa a basi ad medium ciliata. Nervi ut in priori directi, eamque ob caussam hanc speciem meliori jure ad *Microsaniam*, quam ad *Platycnemam* referendam puto, licet posteriori generi valde etiam affinis videatur.

49. HILARA Meig.

Corpus parvum aut minutum, raro mediæ magnitudinis (long. 1—2$\frac{1}{2}$ lin.), oblongum, subpilosum. Oculi in viva æneescentes. Palpi recurvi. Alarum area discoidalis 3 nervulos in marginem interiorem emittens. Nervus 3:tius longitudinalis furcatus. *Color* niger l. cinerascens. *Volatus* sat celer: tempestate serena mares vespere supra aquam l. in vicinitate ejus choreas in aëre quasi hilaritate sæpe instituunt. *Habitatio* in foliis fruticum. Dipterorum minorum rapina victitat, mel florum non respuens. *Metamorphosis* ignota. Larvas quarundam in aqua degere, non desunt rationes. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte angustius disjunctis, abdomine cylindrico, ano obtuso, crasso, varie appendiculato, & metatarsis anticis sæpissime incrassatis, a *femina:* oculis latius distantibus, abdomine oblongo, apice acuminato, & metatarsis anticis simplicibus, facile dignoscitur.

*) Metatarsus anticus in mare incrassatus.

1. *H. lurida:* pilosa, opaca, nigricans, thoracis vittis 2 fuscis, obsoletis; alis cinereo-hyalinis, stigmate nigricante, halteribus fuscis; pedibus flavis, tarsis nigris, tibiis spinulosis; metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Mas: abdomine basi livido;

Fem.: abdomine aut toto obscuro, aut ventre basi pallido.

Meig. Dipt. 3. 8. 12. ♂. *Empis* Fall. Empid. 22. 13. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, libenter in vicinitate aquæ, interdum in fenestris errabunda visa; 2 — 29 Jul., passim; scilicet in Scania ad utrumque Esperöd; in Blekingia; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum &c.; in Wermelandia ad Årås; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; & in Finlandia, D. *Sahlberg*. Feminam ova alba, concatenata 60 & ultra parientem d. 12 Jul. vidi.

♂♀. Inter majores generis. Distincte pilosa. Thorax nigro-cinerascens. Abdomen obscure fuscum. Pedes cum coxis toti luteo-flavi, tarsis nigris l. brunneis, metatarsis flavis. Alarum nervus furcatus ramis elongatis, superiori curvato. Halteres interdum dilute brunnei. Tibiæ parce spinulosæ.

2. *H. gallica:* breviter pubescens, opaca, cinerea, thoracis vittis 2 fuscis, obsoletis; alis cinereo-hyalinis, basi pallidis, stigmate dilute fusco, halteribus albidis; pedibus flavis, tarsis nigris, tibiis spinulosis, metatarsis testaceis, antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 9. 15. ♂. Macq Buff. 1. 313. 16. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 23. 14. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 20 Jun. — 2 Aug., passim; in copula sæpe inventa; scilicet in Scania ad Abusa, Björnstorp, Esperöd &c. freq.; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia, ad Gusum, Lärketorp &c. passim; in Gottlandia ad Thorsborg, rar.; e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Similis priori, sed differt colore corporis magis læte cinereo, thorace tantum breviter pubescente, nec longius piloso, vittis fuscis obsoletioribus (in ♀ vix conspicuis), alis basi pallidioribus, nervi furcati ramis nonnihil brevioribus & superiori forte minus curvato, halteribus albidioribus, ut & pedum colore flavo pallidiore. Pedes cum coxis flavi, tarsis nigris, metatarsis in ♂ testaceis, in ♀ fuscis. Tibiæ parce & breviter spinulosæ. Abdomen maris basi interdum cinereo-flavo-subpellucidum. Antennæ nigræ.

3. *H. abdominalis:* pilosa, opaca, cinerea, thoracis vittis 2 fuscis, obsoletis; alis cinereo-hyalinis, basi pallidis, stigmate obsoleto, halteribus pallidis; antennarum basi fusca; abdomine flavo-livido; pedibus flavis, tarsis fuscis, tibiis dense spinulosis; metatarso antico maris incrassato, late oblongo. ♂♀. (Long. $2-2\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 555. 1. ♂♀.

Hab. in ripis lacuum & littoribus maris, per Scandinaviam borealem, 2—27 Jul., passim, in copula; scilicet in Jemtlandia ad Mullfjellet rar.; in Lapponia Suecica meridionali Umensi ad Stor-Uman, Wojmsjön, & Umenäs, haud infrequenter; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ & in inferalpinis Nordlandiæ ad Björkvik juxta Ofotenfjord, rarius.

♂♀. Similis prioribus; sed ab *H. lurida* thorace lætius cinereo, alis pallidioribus, halteribus flavis, pedibusque palli

dius flavescentibus, ab *H. gallica*, cui adhuc similior, pilositate longiore, & ab utraque antennarum basi testacea, abdomine fere toto flavo-livido, tibiis crebrius spinulosis, metatarso maris antico (in mortua) compresso, late ovali, nec oblongo, cylindrico, ut & loco natali tantum in Scandinaviæ provinciis magis septentrionalibus. Antennæ maris basi testaceæ, feminæ obscure fuscæ. Alæ fere totæ pallescentes, nervis ut in *lurida* directis. Abdomen, in ♂ livido-subpellucidum, ano nigricante, appendicibus variis crassis, sursum flexis; in ♀ fusco-lividum, oviductu obscuro. Pedes cum coxis flavi, tarsis fuscis; femorum tibiarumque posteriorum apice dilute & leviter brunnescenti; coxis anticis pallide flavis. Articulus secundus tarsorum anticorum in ♂ quoque paullo incrassatus.

4. *H. fuscipes:* subpilosa, opaca, nigricans, aut cinerascens, thoracis vittis 2 fuscis, distinctis; alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus albidis, pedibus obscure fusco-ferrugineis, tarsis nigro-fuscis, tibiis pubescentibus, parum spinulosis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}-1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 6. 9. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *Emp. intermedia*). Macq. Buff. 1. 342. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 555. 2. ♂♀. *Empis fuscipes* Fabr. Ent. Syst. 4. 406. 14. *Emp. plumbea* ejusdem 406. 17.

Hab. in Scandinavia, mense Julio, passim; scilicet in Scania in foliis fruticum & in littore maris ad Esperöd &c., non infrequens; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ ex. gr. ad Björkvik in Betula, rarius, ipse. — (Eandem ad Hamburgum etiam collegit & nobiscum communicavit D. *Dahlbom.*

♂♀. Colore obscuriore, thoracis vittis 2 distinctioribus, alis purius hyalinis & nervis inde magis distinctis, a præceden-

tibus præcipue differt. Haustellum crassum, longitudine vix capitis. Antennæ nigræ. Alæ basi vix pallidiores. Pedes pilosuli, aut raro toto fusco-ferruginei, tarsis obscurioribus, aut plerumque nigricantes, anteriores plus minus ferruginei, geniculis plerumque dilutioribus. Coxæ omnes semper obscure cinereæ. Metatarsus anticus maris ut in *H. lurida.*

Obs. *Emp. intermedia* Fall. Descr. var. obscura "thorace bilineato" huc pertinet, sed non Ejus species genuina.

5. *H. quadrivittata:* breviter pubescens, opaca, nigricans, thorace cinereo, vittis quatuor fuscis, lateralibus abbreviatis; alis hyalinis, stigmate brunneo, halteribus albis; pedibus nigricantibus aut fuscis, subnudis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 7. 11. ♂♀. Macq. Buff. 1. 342. 12. ♂♀. *Emp. intermedia* Fall. Empid. 23. 15. ♂♀. var. minor.

Hab. in silvis, interdum in graminosis locis aridis, per Scandinaviam, 22 Jun. — 23 Aug., passim, in copula capta, sæpe choreas in aëre ducens prædamque capiens observata; scilicet in Scania ad Abusa, & ad Esperöd in parœcia Mellby, vulgaris, ad Lindholmen rar.; in Ostrogothia passim; in Helsingia ad Löfvik, rar.; in Jemtlandia ad Ristansfors, ad radicem Åreskutan & Mullfjellet, copiose; in Norvegiæ littore maris ad Thynæs, freq.; e Finlandia quoque communicata. Specimina plura utriusque sexus ut frequens Daniæ incola etiam a D. *Stæger* missa.

♂♀. Affinis *H. fuscipedi* & *littoreæ*, sed priore minor & posteriore major, atque variis notis ab utraque diversa. Tota cinerea. Antennæ nigræ. Vertex pilosus. Thorax breviter & vix nisi dorso seriatim pubescens; lineis 2 distan-

tibus integris, fuscis, in medio, & 2 lateribus utrinque abbreviatis ejusdem coloris. Scutellum setosum. Abdomen cinereum, parcissime pilosum, ano maris reflexo. Alæ hyalinæ aut cinereo-hyalinæ, basi pallescentes, stigmate brunneo. Nervi furcati rami breviores quam in *lurida*, superiori curvato. Halteres albi. Pedes subnudi s. tenuissime tantum pubescentes, tibiis parcissime spinulosis; toti plerumque nigri l. nigro-cinerascentes, geniculis summis ferrugineis; aut fusco-ferruginei aut tandem in junioribus fusco-flavescentes. Metatarsi antici maris distincte incrassati. Specimina borealia a meridionalibus differe videntur corpore magis griseo quam cinereo, & lineis thoracis mediis nonnihil magis approximatis. Vix vero specie distincta. Species abdomine nigro, & alis apice brunnescentibus a D. D. *Meigen & Macquart* l. c. describitur, quæ notæ in nostra non obtinent, sed ceteræ exacte quadrant. Lineæ thoracis 4 characteristicæ, cum nuditate pedum.

Obs. Nomen: *intermedia* Falleni, ut ansam confusionis facile præbens, rejiciendum, nam individua in collectione Cel. Viri asservata sub hoc nomine partim ad *fuscipedem*, partim ad *quadrivittatam*, partimque ad *littoream* (var. "thorace immaculato") pertinent.

6. *H. bistriata:* leviter pubescens, opaca, nigro-cinerea, halteribus concoloribus; thoracis dorso nigro-bistriato; alis hyalinis, stigmate obscuro, distincto; pedibus parum pilosis, metatarso antico maris oblongo-ovato. ♂. (Long. circiter 1 lin.).

Stæg. in litt. 24 Aug. 1839.

Hab. in Dania rarissime, D. *Stæger*, qui specimen unicum inventum mihi ad comparandum benigne mutuo communicavit.

♂. Affinis & similis *H. 4-vittatæ*, sed paullo minor & obscurior, magis curva, antennis pedibusque nonnihil brevioribus, thoracis lineis 2 dorsalibus paullo magis approximatis, ut & halteribus obscuris, præsertim distincta. Thoracis vit-

tæ laterales adsunt, sed valde obsoletæ. Alarum stigma oblongo-ovatum, nigro-fuscum. Pedes toti nigricantes.

7. *H. maura:* nuda, subnitida, nigra, thorace obscure cinereo, vittis 3 atris; alis hyalinis, stigmate nigro, halteribus fuscis; pedibus nigris, tibiis muticis, femoribus simplicibus, metatarso antico maris oblongo-ovato. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 555. 3. ♂♀. *Empis* Fabr. Antl. 139. 9. Fall. Empid. 23. 16. ♂♀. An *H. globulipes* Meig. Dipt. 3. 3. 2.? (exclus. Syn. Panz. *Bibio senilis*, quæ alia est species, paullo major, corpore subvilloso, scilicet *H. pilosa* infra).

Hab. in Scandinavia, 27 Maj — 15 Sept., passim frequens, choreas supra aquam ducens, sæpe in copula capta; scilicet in Scania, vulgaris; in Smolandia & Ostrogothia ubique frequens; in Gottlandiæ paludosis ad Öja & Gothem, copiose; in Dalecarlia & reliquis provinciis borealibus, rarior; sed in Norvegia ad littus maris ex. gr. ad Björkvik Nordlandiæ iterum frequenter observata. E Dania a D *Stæger* uterque sexus missus.

♂♀. Obscura, glabriuscula, capite pilosulo. Thoracis vittæ dorsales 3 nigræ, distinctæ, æquali spatio remotæ. Haustellum capite fere dimidio brevius. Alarum nervi furcati ramus superior haud elongatus, parum inflexus. Halteres nigricantes. Pedes nudi, inermes. Anus maris non reflexus. Variat pedibus totis l. saltem geniculis obscure ferrugineis.

Meigeni & Macquarti H. globulipes: corpore nitido, pedibus pubescentibus & metatarso antico maris subgloboso, vix eadem ac nostra videtur. Synonymon *Falleni* certum, sine dubio etiam *Fabricii.*

8. *H. lugubris:* pilosa, opaca, nigra, thorace cinereo, vittis 3 atris integris; alis halteribusque nigri-

cantibus, stigmate obscure brunneo; pedibus nigris, geniculis ferrugineis, tibiis spinulosis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Empis Zett. Act. Holm. 1819. p. 81. 35. ♂♀. Fall. Dipt. Suec. Suppl. p. 8. ♂♀. Vix. *Empis acephala* Panz. Fn. 54. t. 24? (Nb. *Hilara lugubris* Meig. 3. 10. 18. triplo minor & longe alia est, atque forte tantum varietas *H. choricæ).*

Hab. in lucis locis umbrosis, per Scandinaviam meridionalem, 21 Jun. — 10 Jul., rar.; scilicet in Scania in nemore Stufvelund ad Abusa prope urbem Lund, & in silva Esperödensi, 1816 & 1818 specimina aliquot utriusque sexus inveni. In Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam quoque capta erit, teste D. *Wahlberg.*

♂♀. Magna in hoc genere. Tota distincte pilosa. Alæ nigricantes præsertim ad costam. Nervi validi; furcatus ramis elongatis, superiori distincte flexo ut in *H. lurida.* Vittæ thoracis integræ, distinctæ, nigræ, æquali spatio remotæ. Tibiæ omnes simplices, nec posticæ apice incrassatæ. Anus maris tumidus, reflexus.

9. *H. pilosa:* pilosa, opaca, nigra, thorace griseo-cinerascente, vittis 3 fuscis, lateralibus abbreviatis; alis in utroque sexu hyalinis, stigmate brunneo, halteribus nigricantibus; pedibus nigris, tibiis spinulosis, metatarso antico maris incrassato, ovato-oblongo; ano ♂ reflexo. ♂♀. (Long. fere 2½ lin.).

Bibio senilis Panz. Fn. 53. t. 3?

Hab. in Scania passim, ad Abusa & Esperöd in parœcia Mellby mens. Jul. inveni; in copula; in Jemtlandia ad Åreskutan & in Norvegia ad Thynæs frequenter; etiam ad Björkvik Nordlandiæ.

♂♀. Priori similis, sed paullo minor, alis non infuscatis, sed hyalinis, corpore minus obscuro, & præcipue vittis thoracis abbreviatis distincta. Tota obscure cinerea, distincte pilosa. Antennæ & haustellum crassum, capite brevius, nigra. Thorax supra griseus, vittis 3 latiusculis fuscis, media subintegra, lateralibus utrinque abbreviatis, omnibus minus perspicuis. Pectus cinereum. Abdomen depressum grisescens, pubescens, incisuris longe pilosis, ano, ut in priori, nigro, subnitido, reflexo. Alarum nervus furcatus fere ut in *H. lugubri*, sed ramo superiori basi minus curvo. Pedes nigri l. nigro-picei. Femina a sequente ægre distingvitur, nisi alas hyalinas observes.

10. *H. interstincta:* pilosa, opaca, nigra, thorace obscure cinereo, vittis 3 fuscis, lateralibus abbreviatis; alis hyalinis (♂), aut subfumato-hyalinis (♀), stigmate in utroque sexu nigro-brunneo, halteribus nigricantibus; pedibus nigris, tibiis spinulosis, metatarso antico maris incrassato, oblongo; ano ♂ non reflexo. ♂. (Long. 2—2½, rarissime fere 3 lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigris.

Zett. Ins. Lapp. 555. 4. (excl. Syn. Meigeni). *Empis* Fall. Empid. 24. 17. vera. ♂♀. *Hilara modesta* Meig. 3. 10. 17. ♂♀. verosimillima eadem.

Var. b. ♂♀. pedibus nigro-piceis aut ferrugineis. Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in fruticibus & graminosis juxta aquas, per Scandinaviam, 25 Maj — 30 Aug., sat vulgaris, in copula deprehensa; scilicet var. a. in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Esperöd &c. freq.; in Blekingia; in Ostrogothia ad Lärketorp, Häradshammar & Gusum, passim; in Ölandia, in Gottlandia ad Lausmyr (26 Jun. in copula); in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellet &

Skalstugan, copiose; in Lapponiis Suecicis omnibus usque ad regionem alpinam adscendens, frequens in ipsa nive perenni ambulans sæpe capta; in Norvegia a Dovre usque ad Finmarkiam, etiam vulgaris. E Dania a D. *Stæger* missa. Var. b. ad Esperöd Scaniæ, Lärketorp Ostrog., & ad Giebostad & Björkvik Nordlandiæ Norvegicæ inveni, Jul. — Sept.

♂♀. Tribus proxime præcedentibus affinis & similis, sed differt præcipue, ab *H. maura* pilositate corporis & armatura tibiarum, a *lugubri* thoracis vittis inæqualibus, nec integris, alis hyalinis, nec nigricantibus, pedibus totis nigris, nec geniculis ferrugineis, & ano maris horizontali, nec reflexo, & tandem a *pilosa*, cui adhuc similior, alis feminæ infuscatis, & ano maris minime reflexo. Haustellum longitudine saltem capitis. Thoracis vittæ fuscæ, latæ, obsoletæ. Alæ hyalinæ, nervis basi pallidis, stigmate longitudinaliter dimidiatim nigro & brunneo. Nervi furcati ramus superior basi minus curvatus, quam in *maura*. Abdomen maris subcylindricum, nec ut in *pilosa* depressum. Metatarsus maris anticus paullo incrassatus, cylindricus. Alæ ♀ fuscæ, nec ut in *pilosa* pure hyalinæ.

Obs. 1. Metatarsus anticus maris & in hac & in pluribus aliis speciebus fortuito interdum comprimitur, unde forma ejus oblonga, cylindrica in plus minus latam, ovatam, compressam mutatur. In aliis vero speciebus talis forma compressa naturalis est & constans.

Obs. 2. *Hilara interstincta* Meig. Dipt. 3. 6. 8. ♂♀. (citat. Fall.) "thorace vittis 2 cinerascentibus, alis maris brunnescentibus, feminæ subhyalinis, & metatarso antico maris ovato incrassato", alia omnino videtur species, mihi ignota, nisi sub *H. pilosa* nostra latet.

11. *H. spinimana:* pubescens, opaca, nigro-cinerascens thorace subvittato; alis fusco-hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus obscuris; pedibus sordide te-

staceis, tibiarum apice late, tarsisque totis, nigris; *mas:* tibiis anticis apice, metatarsoque toto incrassato, magno, elliptico, extus pilis longis, spinulosis. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 556. 7. ♂♀. *H. cilipes* Macq. Buff. 1. 310. 1. ♂♀. forte? vix vero Meig. Dipt. 3. 3. 1. eadem.

Hab. in convallibus rivulosis, umbrosis, per Scandinaviam borealem, totis mensib. Julio & Augusto, vulgaris, in copula visa; scilicet in Jemtlandia superiori ad Östersund & prædium Säther, præsertim vero in parœcia Undersåker ad Lund & Forsa juxta radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, frequentissima; in Lapponia Tornensi a D. *Frigelio* rarius lecta; sed in Norvegiæ littoralibus iterum frequenter occurrit, & in Dovre ad Drifstuen a D. *Boheman*, atque ad Thynæs, Levanger &c., a D. *Dahlbom* & me deprehensa.

♂♀. *H. lurida* fere longior, sed forte minus robusta. Similis & valde affinis *H. cilipedi* Meig. videtur, sed halteribus obscuris, nec albidis, & femoribus flavis, nec nigris distincta. Manet quoque dubium an *H. cilipes* Macq. eadem sit, in qua halteres quidem "obscuri" dicuntur, sed de femoribus flavis nihil affertur. Griseo-nigra, pubescens. Vertex pilosus. Haustellum longitudine fere capitis. Thorax obsoletissime vittatus. Abdomen maris angustum cylindricum, genitalibus appendiculatis, distincte reflexis, feminæ oviductu acuminato. Nervi furcati rami elongati, horum superior incurvus. Alæ ima basi pallescentes. Halteres fusci, petiolo basi pallido. Pedes cum coxis fusco-flavescentes, pilosuli, coxis anticis dilutius flavis, tibiis omnibus apice latissime, tarsisque totis atris, in femina simplicibus. Tibiæ vero in mare anticæ versus apicem modice incrassatæ, ut & metatarsus ejusdem paris valde compresso-dilatatus, ellipticus; ambo latere antico pilis longis & sat densis ciliata l.

quasi spinulosa; articulus 2:dus tarsorum etiam nonnihil incrassatus extus parce pilosus. Coxæ posteriores maris extus quoque ciliatæ. Tibiæ posteriores in utroque sexu parce & breviter spinulosæ.

12. *H. infans:* pilosa, opaca, nigro-cinerascens, thorace non vittato; alis subfusco-hyalinis, linea stigmaticali obscura, halteribus albidis; pedibus sordide testaceis, tibiarum apice late, tarsisque totis, nigris; *mas:* tibiis tarsisque anterioribus longe pilosis, metatarso antico oblongo. ♂♀. (Long. ♂ 1. ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. locis umbrosis, in graminosis & foliis inferioribus fruticulorum Alni & Salicum ad margines rivulorum, per Scandinaviam borealem, intra plagam, ut videtur, angustiorem quam præcedens, 4 Jul. — 2 Aug. rarius; scilicet in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & Mullfjellet, ut & in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ, & ad Thynæs in parœcia Skogn, circiter 10 exempla utriusque sexus, quorum quædam copula juncta, inveni.

♂♀. Simillima priori sed triplo & ultra minor, & halteribus albis in utroque sexu, nec non tibiis tarsisque intermediis in mare longe pilosis, &c. vere & facile dignota. Thorax griseus, immaculatus, pilosus. Abdomen omnino ut in priori. Alæ etiam ut in illa. Halteres albi. Pedes cum coxis sordide flavescentes, tibiis apice late, tarsisque totis, atris. *Mas;* pedes antici: tibiis a basi ad apicem sensim incrassatis, extus longissime nigro pilosis, pilis longitudine fere tibiæ, metatarso oblongo-ovato, extus longissime piloso, articulo sequente etiam nonnihil incrassato & pilosulo; intermedii: tibiis validis, metatarso subincrassato & articulo sequenti, longissime pilosis; postici: tibiis mediocriter pilosis. *Femina;* pedes ut in mare colorati, sed toti fere nudi, mutici, tibiis tantum breviter & parcissime pilosulis.

13. *H. pilipes:* pilosa, opaca, nigra, thorace non vittato; alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus

albidis; pedibus nigris, tibiis spinulosis; *mas:* pedibus anterioribus longe pilosis, metatarso antico elliptico, pubescente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{3}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 555. 5. ♂.

Hab. in graminosis, fruticibus & floribus Salicis per Scandinaviam, 2—20 Jul., passim rarius, in copula; scilicet in Scania ad Lund & Silfåkra non infreq.; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ölandia, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi, ipse, rarius. — Uterque sexus in Carice arenaria prope templum in Amager Daniæ d. 6 Jun. 1839 a D. *Stæger* copiose captus mihique benique communicatus.

♂♀. Similis *H. infanti*, sed differt præcipue alis magis hyalinis, pedibus nigris, nec flavis, anterioribus in ♂ multo brevius pilosis, metatarso tantum pubescente, articulo sequenti non incrassato, & ano haud reflexo.

11. *H. æthiops:* nigro-pilosa, opaca, atra, halteribus concoloribus; thorace non vittato; alis hyalinis, linea stigmaticali pedibusque nigris, tibiis spinulosis, metatarso antico maris incrassato, elongato. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 556. 6. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ, rarissime; ad Björkvik juxta Ofotenfjord d. 14 Jul. 1821 unicum tantum specimen inveni.

♂. Affinis & similis *H. lugubri, pilosæ & interstinctæ*, sed a prima harum differt halteribus nigris, nec fuscis, alis magis hyalinis, anoque tantum simpliciter obtuso, nec genitalibus reflexis; ab *H. pilosa*, ani nuper nominata forma; & ab *interstincta*, cui adhuc similior, thorace atro immaculato, qua nota etiam a duabus primum nominatis dignoscitur. Haustellum crassum, vix longitudine capitis. Alæ hyalinæ, stigmate & nervo costali crasso, atris, omnino ut in *interstincta*, cujus varietatem totam atram, exceptis alis, fere cre-

deres. Metatarsus anticus incrassatus, elongatus, cylindricus, pubescens. Species dubia donec uterque sexus & plura specimina collecta comparari possint.

15. *H. hirtula:* hirsuta, opaca, nigro-obscura, thorace subtrivittato; alis hyalinis, linea stigmaticali halteribusque fuscis; pedibus pilosis, tidiis spinulosis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂. (Long. fere 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 556. 10. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica Umensi, rarissime; ad Wilhelmina d. 15 Jul. 1832 unicum individuum inveni.

♂. Tota hirta, nigro-cinerea, thorace vittis 3 fuscis, obsoletis. Caput pilosum, haustello vix ejus longitudine. Abdomen subdepressum, ad incisuras pilosum, ano subreflexo. Alæ hyalinæ, basi nervis albidis. Halteres fusci, petiolo dilutiori. Pedes obscure ferruginei, parce pilosi, coxis cinereis.

16. *H. manicata:* pubescens, opaca, obscure cinerea, thorace vitta unica fusca; alis hyalinis, linea stigmaticali halteribusque obscuris; pedibus subnudis, fuscis, anticis dilutioribus, tarsis omnibus nigris; metatarso antico maris oblongo-ovato. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 5, 6. ♂♀? Macq. Buff. 1. 311. 8. ♂♀. forte.

Hab. in foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 1—17 Aug., passim; scilicet in hortis Scaniæ ad Esperöd, & Ostrogothiæ ad Lärketorp, in copula capta; ad Thynæs Norvegiæ d. 4 Jul. rarissime visa.

♂♀. Pedibus anticis flavescentibus, posterioribus fuscis ab aliis affinibus mox dignota. Griseo-cinerea, pectore præsertim in ♀ cano. Caput nigrum. Haustellum breve. Vertex pilosus. Thorax supra pubescens, vitta unica media subintegra dilute brunnea. Abdomen nigricans, subcylindricum, subnudum, ano maris rotundato, subnitido, apice reflexo.

Alæ albido-hyalinæ, basi albidæ, linea stigmaticali nigricante, nervis subtenuibus, ut in *gallica* directis. Halteres fusci, petiolo pallido. Pedes subnudi l. tenuissime tantum pubescentes, tibiis inermibus l. brevissime pilosulis; fusci, anticorum coxis, femoribus tibiisque, & posteriorum geniculis, sordide flavis; tarsis omnibus nigris, metatarso antico maris distincte crasso, oblongo, microscopice tantum pubescente. Variat ♀ pedibus omnibus, & præsertim anterioribus flavescentibus, tibiis posticis apice interdum, tarsisque omnibus totis semper, nigris.

17. *H. squalens:* subpubescens, subopaca, obscure cinerea, thorace haud vittato; alis hyalinis, linea stigmaticali halteribusque fuscis; pedibus sordide flavescentibus, subpubescentibus, tarsis nigris. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 556. 11. ♀.

Hab. in Norvegia; inter Dovre & Lerdals-ören a D. *Boheman* inventa.

♀. Similis priori; an ejus varietas? Nigricans, parum pubescens, vix nitida. Vertex pilosulus. Haustellum crassum, breve. Alæ fumato-hyalinæ, nervis ut in *H. hirtula*, sed ramulo superiori nervi furcati forte paullo longiori. Area discoidalis oblongo-ovata. Halteres nigro-fusci, scapo pallido. Pedes cum coxis sordide testacei, subpubescentes, tibiis parcissime l. vix spinulosis, summo apice tarsisque totis nigricantibus.

18. *H. tenuinervis:* subpubescens, subopaca, nigra, thorace haud vittato; alis albo-hyalinis, nervis tenuibus stigmateque obsoletis, halteribus nigris; pedibus nigrofuscis, subpubescentibus, tibiis vix spinulosis; tarsis obscurioribus. ♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 557. 12. ♀.

Hab. in Norvegia; in foliis Salicis ad Stuen in Districtu Trondhiem meridionalis a D. *Boheman* 21 Jun. 1832 inventa.

♀. Tenera, fusco-nigra. Haustellum capite duplo & ultra brevius. Thorax pubescens. Alarum nervi tenues, pallidi. Area discoidalis oblonga. Stigma valde obsoletum. Halteres toti nigri. Pedes subnudi, nigro-picei, tarsis obscurioribus, tibiis parcissime & brevissime tantum spinulosis.

19. *H. griseola:* subpubescens, opaca, cinerea, thorace obsolete bivittato; alis hyalinis, costa stigmaticali nigra, halteribus albidis; pedibus fuscescentibus nudiusculis, tibiis vix spinulosis, tarsis obscurioribus; metatarso maris antico incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 557. 13. ♂♀.

Hab. in provinciis Scandinaviæ borealibus, supra aquam sæpe natans & volans, 22 Jun. — 4 Aug., pass., in copula; scilicet in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & Mullfjellen sæpe copiose; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*, & ad Garnæs Værdaliæ frequens, ipse; in Lapponia Suecica Umensi specimen unicum a D. *Dahlbom* captum; & in Smolandiam etiam descendens a D. *Boheman* rarissime inventa.

♂♀. A ceteris 6—11 & 14—18 halteribus albis, nec obscuris, mox dignoscitur. Ab *H. gallica* magnitudine minori, pedibus obscurioribus, tibiisque parum spinulosis præprimis differt; & ab *H. 4-vittata*, cui tandem adhuc similior thoracis vittis 2, nec 4, fuscis, obsoletis, nec distinctis, ut & ano in mare simpliciter rotundato, nec genitalibus separatim reflexis. — Cinerea. Caput nigricans, pilosum. Haustellum longitudine capitis. Thorax parce pilosus. Scutellum pilosum. Abdomen subnudum, incisuris parce pilosulis. Alæ hyalinæ, basi pallidæ, stigmate præter nervum costalem nigrum fusco, obsoleto. Area discoidalis oblonga. Pedes subnudi l. tenuissime pubescentes, tibiis parcissime spinulosis; fusci, geniculis præsertim in ♂ testaceis; sed variat pedibus dilutioribus.

20. *H. nigritarsis:* subpubescens, opaca, cinerea, thorace non vittato; alis hyalinis, linea stigmaticali fusca, obsoleta, halteribus albidis; pedibus fusco-flavescentibus, nudiusculis, tibiis vix spinulosis, tarsis obscurioribus; metatarso maris antico incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 557. 14. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali, 30 Jun. — 2 Aug, pass.; scilicet in Jemtlandia ad Åreskutan & Mullfjellet, freq.; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ, passim; in alpe Dovre, D. *Boheman.*

♂♀. Simillima priori, magnitudine forte paullo minori, sed inprimis thorace immaculato ab illa distincta. Caput, thorax & scutellum parce pilosa. Abdomen, alæ & halteres ut in præcedente. Pedes etiam ut in illa, sed sæpe paullo dilutiores. ♀ ab *H. infante* ægre dignoscitur.

21. *H. litorea:* subpubescens, opaca, cana, abdomine maris fusco, thorace maris uni-vittato; feminæ immaculato; alis in utroque sexu albido-hyalinis, tenuiter nervosis, linea stigmaticali atra, halteribus albidis clava infuscata; pedibus flavescentibus, tenuiter pubescentibus, tibiis vix spinulosis, tarsis obscuris; matatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 8. 13. ♀. Macq. Buff. 1. 313. 15. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 24. 20. ♂♀. certissime secundum Ejus collectionem. *H. univittata* Meig. Dipt. 3. 9. 14. ♂.

Hab. in fruticibus, in pratis & hortis, libenter in vicinitate aquarum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 14 Jul. — 12 Sept., passim frequens, in silvis etiam choreas ducens observata, in copula capta; scilicet in Scania ad utrumque, Esperöd, Röstånga, Absusa &c. vulgaris; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad

Häradshammar, Gusum & Lärketorp, rarius; in Gottlandia ad Lummelund & Fårön; e Dania a D. *Stæger* missa, sub nomine: *H. univittata* Meig.

♂♀. Albedine corporis in ♀, thoracis vitta unica in ♂, nervorum tenuitate in utroque sexu, ut & pedum colore flavido, ab affinibus dignota. Caput canum pilosum. Antennæ nigræ. Haustellum crassum, breve, atrum. Thorax in ♀ canus immaculatus, in ♂ griseus, vitta media fusca; dorso pilosulus. Abdomen ♀ canum, in ♂ obscurius; in ♀ interdum pallescens, ventre livido. Anus maris obtusus, genitalibus scilicet reflexis, sed segmento ultimo supra tam arcte applicatis, ut anus obiter intuenti simpliciter rotundatus videatur. Alæ albo-vitreæ, nervis tenuibus, pallidis, linea costali stigmaticali angusta, atra. Pedes cum coxis plus minus pure flavescentibus, tarsorum articulis 4 ultimis obscuris l. brunneis.

Var. b. ♂♀. promiscue in copula cum var. a.; pedibus fuscis præsertim posticis. In Scania ad Esperöd & Lindholmen mense Aug. freq. — E Dania a D. *Stæger* similem quoque obtinui.

Obs. Hanc speciem in Collectionibus sub nomine & *H. gallica* & *interstincta* Fall., vidi, quod saltem affinitatem ejus cum his prodit, licet notis allatis vere diversa.

22. *H. niveipennis:* subpubescens, opaca, cana, thorace non vittato; alis lacteis, linea costali obsoleta, tenuiter nervosis, ramo superiori nervi furcati brevi, subrecto; halteribus albis; pedibus fusco-testaceis nudis; metatarso antico maris subincrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀ in copula; long. $1\frac{1}{4}$ lin. thorace immaculato, pedibus ferrugineo-fuscis, geniculis omnibus tarsisque saltem posticis, pallidis.

Var. b. ♀. long. $1\frac{1}{4}$ lin., thorace lineis 2 obscuris, obsoletis, de cetero varietati a. similis.

Sub nomine *Empis intermedia* in coll. D. *Falleni* asservata. — An detrita?

Var. c. ♀. long. $\frac{3}{4}$ lin., thorace immaculato, pedibus fusco-testaceis, tarsis obscurioribus. Ut *H. litorea* Fall. a D. *Stæger* 22 Maj 1841 missa, indicante marem "metatarso antico incrassato, oblongo-ovato gaudere".

Hab. in Suecia meridionali & media rarissime; scilicet var. a. in Ostrogothia ad Lärketorp in copula semel inventa; var. b. in Scania in unico specimine olim lecta; & var. c. in Suecia mihi non obvia, a D. *Stæger* e Dania communicata.

♂♀. Var. a. & b. magnitudinem prioris fere attingunt, var. c. duplo minor. A præcedente, cui valde similis, constanter differt: alis lacteis, nec albo-hyalinis, linea costali ad stigma tenuiori, dilute tantum fusca, nec atra, halteribus totis albis, nec clava fusca, ut & thorace in utroque sexu cinereo-albicante, immaculato. — Nervi furcati ramus superior quoque brevior est & rectior in costam excurrit, quam in præcedente. (In var. c. tamen ramus hic similiter fere ac in *H. litorea* elongatur & inflectitur. Pedes subnudi & inermes, ut in diagnosi colorati.

Obs. Hæc species eo minus sub *H. litorea* Falleni numeranda ut voluit D. *Stæger*, quod ejus var. a. & b. in Svecia rarissime, & var. c omnino non, occurrant. Nec in collectione cl. auctoris exstat nisi unicum individuum var. b., quod cum *Emp. intermedia* (*H. interstincta* nob.) commixta fuit.

23. *H. tenella:* subpubescens, opaca, testacea, thoracis abdominisque dorso albomicante; capite cinereo, antennis fuscis; alis cinereo-hyalinis, immaculatis; halteribus pedibusque pallide flavis subnudis; metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. 1—1$\frac{1}{4}$ lin.)

Meig. Dipt. 3. 9. 16. ♀. *Empis* Fall. Empid. 25. 21. ♂♀.

Var. b. ♀. abdomine toto albo-micante, vacuo.

Hab. in graminosis & foliis fruticum locis umbrosis pratorum, in Scania 17 Jul. — 29 Aug., rar.; scilicet e var. a. plura specimina, sed ad prædium Beckaskog semel tantum, lecta; var. b. ad Esperöd 6 Aug. rarissime inventa.

♂♀. Mollis, capite thoraceque breviter & tenuiter pilosulis. Testacea. Caput canum, antennis fuscis, palpis pallidis, haustello brevi, nigro. Thoracis discus cinereo-albo-micans, sed non vittatus. Abdomen supra albo-micans, ano maris obtuso, genitalibus non separatim reflexis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis ut in *lurida* & *litorea* directis. Halteres flavi. Pedes toti pallide flavi, nudiusculi, tibiis posticis extus spinulosis.

21. *H. nigrina:* pilosa, opaca, nigra, halteribus concoloribus; alis nigricantibus, stigmate obscuriore; pedibus nigro-piceis, pilosis, metatarso antico maris incrassato, oblongo, tibiis posticis feminæ versus apicem dilatatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 4. 5. ♂♀. t. 22. f. 5. ♀. Macq. Buff. 1. 341. 6. ♂♀. — *Empis* Fall. Empid. 24. 19. ♂♀.

Hab. in Scania rarius, in copula deprehensa; in silva ad Esperöd 22—30 Jul. utrumque sexum aliquoties inveni. — E Dania a D. *Stæger* etiam communicata.

♂♀. Tota nigra, pilosa, thorace ♀ nigro-cinerascente, lineis 3 obscuris. Alæ nigricantes, in ♀ fumato-hyalinæ, in utroque sexu stigmate nigro, & ramo superiori nervi furcati elongato, basi valde flexo; nervus interior marginalis vix ullus. Halteres nigri. Anus maris rotundatus, genitalibus reflexis, sed a segmento ultimo superne vix nisi vi separatis. Pedes nigri aut nigro-picei, tibiis spinulosis, posticis

in ♀ versus apicem distincte dilatatis. Affinis *H. mauræ* (n:o 7), pilositate corporis, in ♀ tibiarum posticarum forma, &c. facile dignoscenda.

25. *H. nitidula:* glabriuscula, nitida, atra, halteribus concoloribus; thorace non vittato; alis hyalinis, stigmate nigro, ramo superiori nervi furcati basi flexo; pedibus nigris, nudis, geniculis rufis, femoribus posticis crassis, curvis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 556. 9. ♂♀.

Hab. in foliis Betulæ albæ &c., in provinciis borealibus sat frequens, in meridionalibus rarius, 15 Jun. — 2 Aug., in copula aliquoties capta; scilicet in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele, Badstuträsk & Åsele, passim; in Jemtlandia ad Grimnäs, Fanbyn, Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan, vulgaris; in Værdalia Norvegiæ a Thynæs & Garnæs usque ad Suulstuen in jugo alpino sito, frequenter adscendens; in Dalecarlia, rar; infra hanc provinciam mihi non obvia, sed in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg* etiam reperta erit, nisi hæc, quam non vidi, potius ad unam sequentium (*H. femorellam*, aut *clypeatam*) referenda.

♂♀. Similis *H. mauræ*, sed nuditate corporis & præsertim crassitie & curvatura femorum posticorum & ab hac & a reliquis affinibus statim dignoscitur. Tota nigra, nitida, omnium brevissime puberula. Haustellum crassum, breve. Frons atra, opaca. Epistoma cano-micans. Thorax immaculatus. Stigma distinctum. Anus ♂ rotundatus simplex. Pedes nudi, inermes, geniculis summis plerumque ferrugineis. Metatarsus anticus ♂ cylindricus oblongus, sæpe casu compressus, ovatus.

26. *H. femorella:* pilosa, nitida, atra, halteribus concoloribus, thorace non vittato; alis fumato-hyalinis,

stigmate nigro, ramo superiori nervi furcati basi flexo; pedibus nigris nudis, femoribus posticis crassis, curvis, metatarso antico maris crassissimo, ovali. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. cum priori, 21 Jun. — 2 Aug., in Scandinavia boreali passim; scilicet ad Suulstuen, in alpibus Mullfjellen & Åreskutan sat frequens, in summa cacumina usque ad regionem nivalem sæpe adscendens & inventa.

♂♀. Priori in omnibus simillima, sed differt constanter: magnitudine paullo minori, alis magis fumatis, nec pure hyalinis, & præcipue capite thoraceque distincte, licet breviter, pilosis, nec pube brevissima tectis. Metatarsus maris quoque paullo brevior, sed magis incrassatus, ovalis, nec oblongus.

27. *H. clypeata:* pilosa, nitida, atra, halteribus concoloribus; thorace non vittato; alis hyalinis, stigmate nigro, nervo furcato subrectangulatim ramoso; pedibus nigris, pubescentibus, femoribus posticis simplicibus, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Meig. Dipt. 3. 4. 4. Macq. Buff. 1. 341. 5.

Hab. in Suecia meridionali, forte rarissime; in Scania ad Lund semel inveni; sed e Dania a D. *Stæger* utrumque sexum obtinui.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus iterum valde similis; sed ab *H. nitidula*: magnitudine duplo minori, capite thoraceque conspicue pilosis, pedibus totis nigris pubescentibus, tibiis tenuiter spinulosis, nec inermibus; a *femorella*: alis hyalinis, parum fumatis, pedibus non nudis; & ab utraque: femoribus posticis simplicibus, nec incrassatis, differt. Metatarsus maris ut in *nitidula.* Pectus cinerascens. Variat uti *nitidula* & *femorella* pedibus piceis l. fusco-testaceis.

28. ***H. chorica:*** pilosa, nitida, atra, halteribus concoloribus, abdomine supra opaco; thorace non vittato; alis fumato-hyalinis, stigmate nigro, nervo furcato acutangulatim ramoso; pedibus nigris, pubescentibus, femoribus posticis simplicibus, metatarso antico maris incrassato, globoso. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 4. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 556. 8. ♂♀. *Hilara nana* Macq. Buff. 1. 311. 4. ♂♀. teste D. *Stæger.* — *Empis chorica* Fall. Empid. 24. 18. ♂♀.

Hab in graminosis & foliis fruticum humiliorum, præcipue locis paludosis, per totam Sueciam, & Lapponiam meridionalem, 15 Jun.—20 Sept., ubique vulgaris, in copula multoties visa; scilicet in Scania, Ostrogothia & Gottlandia frequentissima, & sæpe copiosa, choreas supra aquam in aëre instituens haud raro observata; deinde paullo minus frequenter occurrit, in Uplandia ad Holmiam a D. *Wahlberg* capta &, in Jemtlandia ad Faxelfven & Åreskutan parce inveni; in Lapponia Umensi ad Åsele & Stöttingsfjellet legi, sed in Norvegia mihi non obvia. E Dania utrumque sexum a D. *Stæger* obtinui, & ex Hamburgo eam reportavit clariss. *Dahlbom.*

♂♀. Affinis & similis *H. clypeatæ*, a qua distinguitur magnitudine nonnihil minori, abdomine supra opaco, nec nitido, alis subfumato-hyalinis, ramo superiori nervi furcati subrecto, nec basi distincte curvato, & hinc furca acutangula, tibiis anticis paullo crassioribus, ut & metatarso antico maris fere globoso, nec oblongo. — Variat pedibus piceis.

29. ***H. brevivittata:*** pilosa, opaca, atra, halteribus concoloribus, thorace cinereo, vittis 4 atris, intermediis postice, lateralibusque utrinque, abbreviatis; alis hyalinis stigmate nigro; pedibus nigricantibus, subpubescenti-

bus; metatarso antico maris incrassato, breviter ovali. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Macq. Buff. I. 312. 13. ♀. Meig. Dipt. 7. 80. 21. ♀.

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad Lund juxta radicem alpis Åreskutan d. 21 Jun. 1840 utrumque sexum in individuis solitariis inveni.

♂♀. Similis *H. choricæ*, sed differt: thorace opaco, nec nitido, obscure cinereo, vittis 4 abbreviatis, atris, alis magis hyalinis, & metatarso antico maris non globoso, sed ut in *femorella* crasso, breviter ovali. Pedes simplices, & ut in *chorica* breviter pubescentibus & tenuissime spinulosis. Anus ♂ genitalibus reflexis obtusis. Reliqua ut in *chorica.*

30. *H. longivittata:* pilosa, opaca, atra, halteribus concoloribus; thorace cinereo, vittis tribus latioribus atris, integris; alis fumato-hyalinis, stigmate nigro; pedibus nigricantibus, subpubescentibus; metatarso antico maris incrassato, breviter ovali. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali, rarius; in Scania ad Lund locis paludosis, d. 20—28 Jun., duo paria in copula juncta, & duas feminas solitarias, inveni.

♂♀. Similis *H. choricæ* & *brevivittatæ*, sed a priori metatarsi antici in mare forma, a posteriori alis paullo obscurioribus, & ab utraque signaturis thoracis differt. Thorax dorso ater, lineis 5 angustissimis, subintegris, cinereis. Pleuræ obscure cinereæ. Alæ ut in *chorica*, sed ramulus superior nervi furcati basi forte nonnihil magis curvatus; caveas autem ne ex certo luminis situ illudaris, & furcam hujus nervi basi subrectangulatam, ubi vere est acutangulata, sumas. Pedes colore, simplicitate & pubescentia ut in *chorica*, tibiis anticis maris etiam validis ut in illa, sed metatarso antico ovali, nec globoso, ut in *H. brevivittata.* Anus ♂ rotundatus, simplex, genitalibus vix separatim reflexis.

**) Metatarsus anticus in mare simplex.

31. *H. minuta:* pilosula, subopaca, nigra, halteribus concoloribus; thorace non vittato; alis fumato-hyalinis, stigmate fusco, area discoidali trapezina; pedibus subnudis, obscure rufis; tibiis anticis maris validis, metatarso simplici. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund d. 3—5 Jun. 1831 4 specimina in copula deprehendi; ♀ in fenestra cubiculi mei jam d. 20 Maj. visa.

♂♀. Minutissima. Affinis & similis videtur *H. obscuræ* Meig. Dipt. 3. 11. 20. ♂., sed magnitudine triplo saltem minore & alis non hyalinis aperte differt. Ab omnibus præcedentibus dignoscitur forma areæ discoidalis trapezina, scilicet valde elongata, nec ovata, subtriangulari, angulo exteriori anguste truncato, & exinde nervis duobus ad marginem interiorem excurrentibus ad basin magis approximatis, quam in prioribus. Nervi igitur similiter atque in *Gloma* sunt directi, præter quod area discoidalis in *H. minuta* magis sit elongata & angusta. Ramus superior nervi furcati basi vix incurvus, unde furca acutangulata. Stigma obsoletum. Pedes nigro-ferruginei, simplices, nudiusculi, tibiis anticis maris reliquis crassioribus. An non hæc species melius ad genus *Brachystomam* referri potest?

Obs. Specimen unicum masculum: tenuissime pubescens, opacum, nigrum, halteribus concoloribus; pedibus simplicibus, nudis, fuscis; alis cinereo-hyalinis, stigmate fusco, area discoidali ovato-oblonga, apice exteriori subtruncata; ano superne appendiculis 2 brevibus, filiformibus, erectis, nigris; inferne filum elongatum, recurvatum, ferrugineum emittente; in silva Wittangi Lapponiæ Tornensis d. 14 Jun. 1821 inveni, *H. obscuræ* Meig. l. c. affine quoque videtur; sed ex individuo solitario, nec bene conservato, & femina ignota, nihil certi djudicare audeo.

50. BRACHYSTOMA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, nudum seu parum pilosum, interdum holosericeo-subpubescens; opacum. Haustellum proboscide saccata in apertura oris ampla fere retractum. Oculi rotundi in fronte late distantes, microscopice puberuli, in viva nigro-brunnei, unicolores. Epistoma subconvexum, infra oculos parum descendens. Alæ elongatæ angustæ. Directio nervorum fere ut in *Hilara*, at area discoidalis paullo longior. Ramulus superior nervi furcati in costam curvatim flexus. Pedes elongati, tenues, simplices. *Color* obscurus. *Motus* celer. *Hospitatur* in vicinitate aquæ, supra quam agilissime volat & in cujus superficie bene currit. Insectum casu inundatum, mox exsurgit & aquam repellit corpore pube holosericea tecto. *Metamorphosis* latet. *Mas:* oculis infra antennas conniventibus & ano appendiculato, a *femina:* oculis undique distantibus anoque simplici, differt. Genus valde affine *Clinoceræ* Meig. *Dolichopum* quoque obiter intuenti simulans.

1. *B. Westermanni:* supra grisea, subtus cinerea, antennis brevibus, halteribus pedibusque nigro-fuscis, geniculis testaceis; tibiis nudis & inermibus; alis hyalinis, subimmaculatis, area discoidali oblongo-ovata, apice exteriori subobtusa. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 558. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica boreali Tornensi rarissime; tantum in ripa fluminis Lindainen prope pagum Juckasjervi 23 Jun. 1821 pauca specimina utriusque sexus inveni, captu valde difficilia, & mascula præsertim rara.

♂♀. Tenera & angusta, *Hydrophorum bipunctatum* minorem mentiens. Caput supra griseum, parce setulosum, epistomate in femina lato, argenteo. Proboscis in utroque sexu saccata, parum exserta, palpique, nigra. Antennæ capite transverso triplo breviores, articulis 2 basalibus brevissimis fere unitis, ultimo rotundato, seta capillari antenna triplo

longiori terminato; totæ nigræ. Thorax supra griseus, parce setulosus, vittis 2 angustis fuscis, postice abbreviatis; pectore cinereo-micante. Abdomen subdepressum, cinereum, dorso vitta longitudinali fusca, ano filato, filo sæpe erecto. Alæ hyalinæ, nervis distinctis, transversalibus subinfuscatis, unde maculæ 3 fuscæ obsoletæ in disco alæ conspiciuntur. Area discoidalis cuneiformis, ad apicem exteriorem latior ibique per nervulos 2 in lineam obtuse (nec acute) angulatam ductos, clausa. Linea stigmaticalis nulla. Halteres fusci. Pedes omnino nudi & inermes, elongati, tenues, nigro-cinerei, femorum summo apice testaceo. Affinis *B. Wesmælii* (n:o 6).

2. *B. Bohemanni:* supra fusca, subtus cinerea, antennis brevibus, halteribus pedibusque totis, nigris; tibiis nudis & inermibus; alis obscure hyalinis immaculatis, area discoidali elongata, utrinque subacuta. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 558. 2. ♂♀.

Hab. in Norvegia; ad ripam lacus Av-sjön inter Jerkind & Fogstuen in alpe Dovre d. 26 Jul. 1832 detecta a Cel. D. tunc Capitaneo, nunc Professore *Boheman*, qui unicum par mihi benigne communicavit.

♂♀. Similis priori, sed magnitudine nonnihil majore, colore obscuriore antennarum seta breviori, alis undique cinereo-fumato-hyalinis, vestigio macularum in disco nullo, ramo superiori nervi furcati basi minus curvato, area discoidali longiori, angustiori, sublanceolata, ut & pedibus totis nigris, nec genubus testaceis, abunde differt. Caput ut in priori, sed articuli antennarum basales nonnihil longiores, magis discreti, & seta apicalis brevior (longitudine scilicet antennæ), crassior. Anus maris appendicibus 2 magnis, lyratis, erectis, intra quas genitale subulatum, flavum flectitur; feminæ acutus simplex. Halteres nigri, petiolo basi

testaceo. Pedes nudi, microscopice tantum brevissime pubescentes.

3. *B. Escheri:* supra fusca, subtus cinerea, antennis brevibus, halteribus pedibusque nigris; tibiis nudis & inermibus, femoribus ad apicem utrinque setula nigra; alis obscure hyalinis, macula stigmaticali fusca, area discoidali elongata, utrinque subacuta, costa mutica. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigricantibus.

Zett. Ins. Lapp. 558. 3. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus lividis l. fusco-testaceis; forte juvenilis.

Hab. in ripis & littoribus fluminum lacuumque, per Sueciam, 12 Jul. — 1 Aug., rar.; scilicet in Ostrogothia ad diversorium Holkaberg prope lacum Wettern a D. *Boheman* in pluribus speciminibus lecta; in Lapponia Suecica Umensi ex. gr. ad Tresunda prope littus Wojmsjön, in ripa rivuli ad Grankräsk, ut & ad rivulum in monte subalpino Stöttingsfjellet individua haud pauca inveni.

♂♀. Simillima *B. Bohemanni*, a qua tamen magnitudine nonnihil minori, capite thoraceque magis pilosis, antennarum seta capillari paullo longiori & tenuiori, alarum macula stigmaticali oblonga nigricante magis l. minus obsoleta, semper vero præsente, nec non femoribus intra apicem utrinque setula parva armatis, tandemque appendicibus analibus in mare paullo minoribus, subcylindricis, nec basi subglosis, pilosis, minus complicatis, vere distincta videtur. Supra olivacea, pilosa. Oculi puberuli. Epistoma fuscum. Coxæ utrinque, & femora subtus, ciliata.

4. *B. Zetterstedti:* subænescens, supra fusca pilosa, subtus cinerea, antennis brevibus, nigris, halteri-

bus obscuris, pedibus lividis aut fuscis, tibiis brevissime spinulosis, femoribus ad apicem setula nigra; alis obscure hyalinis, macula stigmaticali fusca, area discoidali elongata, utrinque subacuta, costa spinulosa. ♂♀. (Long 3 lin.).

Empis Zetterstedti Fall. Dipt. Sv. Empid. Supplement. 1. p. 7. 36—37. ♂♀.

Hab. in littoribus & ripis per Sueciam rarius; scilicet in Wermelandia ad prædium Årås juxta lacum Wänern medio mensis Julii 1811 primum haud infrequenter legi, deinde etiam in Scania ad ripam amnis Kjeflinge d. 10 Jun. 1825 individua pauca inveni.

♂♀. *B. Escheri* iterum valde affinis & similis, sed facile dignoscitur: magnitudine majori, corpore leviter æneo-micante, pedibus plerumque lividis, tibiis posterioribus leviter spinulosis, & præsertim alis undique ciliatis, costa tota pilis parce, sed distincte spinulosa. Supra olivacea, immaculata, subtus cana. Epistoma griseum. Vertex & thoracis dorsum parce, sed longe pilosa. Oculi rotundi, magni (ut sæpissime in insectorum speciebus littoralibus l. ripariis), & puberuli. Frons antice lutescens. Antennæ & abdomen cum structura ani ut in priori. Alarum nervi quoque ut in illa directi. Halteres fusci, petiolo medio pallido. Metathorax cinereus. Pedes toti cum coxis aut plerumque livido-testacei, aut raro nigricantes, tibiis præsertim posticis a medio ad apicem semper spinulosis. Cetera ut in priori.

5. *B. longicornis:* nigra, antennis elongatis concoloribus, halteribus femoribusque flavis, tibiis posterioribus spinulosis; alis obscure hyalinis, macula stigmaticali fusca, obsoleta, area discoidali oblongo-ovata, apice exteriori subobtusa. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipl. 3. 12. 1. ♂♀. t. 22. f. 6. Macq. Buff. I. 344. 2.

Hab. in Suecia certe rarissime; in Ostrogothia ad Gusum inventa, teste D. Prof. *Wahlberg*; mihi nunquam obvia.

♂♀. Antennis longis a ceteris præcipue diversa, articulo scilicet 1:mo cylindrico, & tertio subulato, longissimis, 2:do brevissimo, omnibus nigris. Seta longa arcuata. Oculi maris, teste *Meigen*, supra conniventes, feminæ distantes. Thorax subnudus, nitidus, niger. Abdomen nigrum. Alarum nervi ut in *B. Westermanni* directi. Pedes cum coxis flavo-testacei, coxis anticis longitudine dimidii femoris. Tibiæ & tarsi fusca. Metatarsus longitudine articulorum reliquorum.

6. *B. Wesmælii:* supra fusca, pilosa, subtus cinerea, thoracis dorso univittato; antennis brevibus, nigris; halteribus brunneis; pedibus luteis, tarsis fuscis, tibiis submuticis; alis cinereo-hyalinis, maculis 4 l. 5 brunneis, area discoidali oblongo-ovata, apice exteriori subotusa. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 7. 79. 3. ♀. *Paramesia Wesmælii* Macq. Buff. 1. 656. 1. certe. ♀. *Brachystoma nebulosa* Zett. Ins. Lapp. pag. 559. in observatione.

Hab. in Suecia rarius: ad aquas & rivulos locis umbrosis ad Esperöd in parœcia Mellby Scaniæ orientalis, 2—16 Sept. 1818, plura specimina utriusque sexus inveni, sed neque ante, neque post illud tempus observata. In Dalekarlia Sueciæ borealis etiam a D. *Boheman* lecta.

♂♀. Alis nebulosis a reliquis mox distingvitur. Antennæ & instrumenta cibaria omnino ut in *B. Westermanni.* Epistoma in ♀ latum, argenteum in ♂ non conspicuum. Oculi puberuli, maris infra antennas connexi, feminæ distantes. Vertex & thorax supra olivacei, pilosi. Thoracis dorsum vitta media virescente, anguste nigro-marginata. Metatho-

rax, pleuræ & venter cana. Anus simplex. Alæ cinereæ, metallice nitentes, maculis 5—6 brunneis, plerisque nervos transversos cingentibus. Ramus superior nervi furcati basi subrectangulatim curvatus. Pedes testacei, nudi & inermes, coxis cinereis, anticis elongatis; femoribus anticis basi nigro-cinereis ibique subtus setis 3—4 armatis; tibiis posticis a medio ad apicem pubescentibus; tarsis omnibus apice fuscis. Affinis *B. Westermanni.*

---

51. WIEDEMANNIA.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, parum pubescens, opacum. Antennæ longitudine vix capitis transversi, seta antenna parum longiori & horizontaliter arcuata terminatæ. Caput perpendiculariter nutans, epistomate infra oculos descendente, in utroque sexu sub antennis lato. Apertura oris ampla. Alæ elongatæ, angustæ, nervis ut in priori genere directis. Pedes elongati, simplices, tenues. *Color* obscurus. *Motu* agilis. *Habitatio* ad aquam, supra quam natat & volitat celerrime. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* ano producto, reflexo, lamellis 2 rotundatis, pilosis, intra quas genitale; *femina:* ano acuto, oviductu acute triangulariter compresso. Affinis *Clinoceræ* Meig.

Obs. Nomen *Wiedemannia* hujus generis jam in itinere meo Lapponico 1832 p. 207 conditi & deinde in Insectis Lapponicis 1837 descripti, retinui, bene noscens, Clar. *Meigen* in Dipteris Europæis 7. p. 253 anno 1838 pro *Muscæ* cujusdam specie (*Musca rufiventre* Fall.) idem adhibuisse. Hoc autem Meigeni genus inter Tachinarias ejus relatum, hodie apud nos *Dexia* audit, & in "Familia 23 Dexiariæ" exstat.

1. *W. borealis:* supra fusca, subtus cana, antennis sublongiusculis, halteribus pedibusque, nigris; alis subfumato-hyalinis, nervis distinctis, nigris, macula stig-

maticali rotunda, atra, ramulo superiori nervi furcati simplici. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. It. Lapp. 1832. p. 207. Ins. Lapp. 559. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi, rarissime; in ripa rivuli prope Novaccolarum sedem Granträsk, in monte subalpino Stöttingsfjellet sitam d. 31 Jul.—1 Aug. individua utriusque sexus inveni, supra aquam velocissime volitantia, etiam supra lapides Hypnis variisque muscis tectos & ab aqua vicissim inundatos sedentia, captu difficillima.

♂♀. *Hydrophoro bipunctato* habitu & moribus subsimilis, sed minor, angustior & variis notis distincta. Caput nudum, argenteo-micans, vertice setuloso, fusco. Antennæ capite transverso paullo breviores, articulo primo elongato, cylindrico, secundo brevissimo, transverso, ultimo breviter ovato, acuto. Oculi subrotundati, puberuli, in utroque sexu & supra & infra antennas disjuncti, in viva nigro-brunnei. Thorax supra fuscus, pilosulus, subtus argenteo-micans, nudus. Metathorax & venter cana. Alarum area discoidalis elongata, angusta, lanceolata, apice utrinque distincte acuta, nervis longitudinalibus 4 & 5 in apice exteriore hujus areæ exacte coëuntibus. Nervus furcatus ut in *Brachyst. Bohemanni.* Inter costam & nervum secundum, loco stigmatis macula orbicularis, atra. Pedes subpubescentes, nigri, coxis cinereis, anticis modice elongatis.

2. *W. juvenilis:* supra fusca, subtus cana, antennis sublongiusculis, nigris; halteribus pedibusque, fusco-flavescentibus, tarsis apice obscuris; alis fumato-hyalinis, macula stigmaticali rotunda, fusca, obsoleta, ramulo superiori nervi furcati simplici. ♂♀. (Long. vix 2 lin.).

Hab. in Suecia boreali, rarissime; sub foliis deciduis in Helsingia d. 27 April. utrumque sexum invenit mihique benigne communicavit D. Prof. *Boheman.*

♂♀. Simillima priori, a qua tamen magnitudine duplo minore, halteribus pedibusque pallidioribus, flavescentibus l. cinereo-rufescentibus, & alarum macula stigmaticali valde obsoleta, nec intense nigra. Genitalia quoque in mare reflexa magis membranacea, oviductus feminæ compressus ensiformis; in utroque sexu sordide flava. Forte species distincta, & vix tantum exempla immatura prioris.

3. *W. appendiculata:* cinerea nuda, vertice thoracisque dorso fuscis, pilosulis, antennis brevibus, halteribus pedibusque, nigris; alis cinereo-hyalinis, nervis fuscedine obsoleta cinctis, ramulo superiori nervi furcati appendiceo. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 559. 2. ♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ rarissime; in insula Schiervœ d. 27 Jul. inventa.

♀. A *W. boreali* dignoscitur: antennis nonnihil brevioribus, ore minus elongato parumque infra oculos descendente, alarum nervis præsertim ad costam & transversis umbra fusca leviter cinctis, & præcipue ramo superiori nervi furcati basi nervulo inchoante, retroflexo, abbreviato, appendiculato. Halteres nigri, basi fusci. Pedes nudi, fusco-nigri, coxis cinereis, anticis subelongatis, tibiis posticis a medio ad apicem tenuiter pubescentibus. Alarum area discoidalis inæqualis, oblongo ovata, subcuneiformis, fere ut in *Brach. Westermanni.*

Obs. Species hæc media quasi inter *Brachyst. Westermanni* & *Wesmælii* ambabus in multis affinis & similis, in aliis vero affinitatem cum *Wiedemannia boreali* prodens, in hoc genere interea reponitur, donec alter sexus & plura individua inventa comparari possint.

---

52. EMPIS Linn.

Corpus majoris, mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum, sæpe pilosum, parum nitidum. Antennæ elongatæ, capite

longiores, articulo, cylindrico, 2 cyathiformi, 3 reliquis longiori. Haustellum longum, tenue, pectori plerumque inflexum. Oculi in viva brunnei, ænescentes, unicolores. Alarum area discoidalis ovata. Ramulus superior nervi furcati brevis, rectus, cum nervo tertio longitudinali angulum fere rectum formans. Pedes plerumque simplices, nec incrassati, posteriores elongati. *Color* niger, raro testaceus. *Motu* haud agilis, at sole sereno tempestateque tranquilla choreas in aëre instituunt mares, volatu velocissimo perpendiculari, instar *Ephemerarum*. *Habitatio* in floribus, quorum mel sugunt; sed rapina insectorum libenter quoque victitant, tigrides Dipterorum. *Metamorphosis* non rite cognita. *Larvæ* forte in terra degunt. *Differentia sexus* varia, perspicua; *mares:* oculis supra antennas cohærentibus, abdomine cylindrico, ano obtuso sæpe filatim appendiculato aut vesiculoso, pedibus quam in femina plerumque longioribus, &c.; *feminæ:* oculis distantibus, haustello quam in mare sæpe longiori (quemadmodum rostro apud *Curculionides* secundum diversum sexum), abdomine oblongo, apice longe acuminato, femoribus posterioribus interdum pennatis, &c. dignoscuntur.

Sect. I. Pedes in utroque sexu nudi (non pennati; sed in *E. grisea* n:o 6 femora intermedia, & in *E. chioptera* n:o 9 pedes postici, apud feminam utrinque ciliata).

a) *Corpore nigricante.*

1. *E. tessellata:* pilosa, opaca, obscure cinerea, antennis nigris, thorace nigro-trivittato; abdomine fusco-maculato; alis obscuris, basi flavis, halteribus pallidis; pedibus aut totis testaceis, aut nigris, tibiis tarsorumque articulis 2 basalibus, testaceis. ♂♀. (Long. 3½ — fere 5 lin.).

Var. a. ♂♀. long. 4—5 lin., pedibus nigris, tibiis totis tarsisque basi rufo-testaceis, haustello longitudine pectoris, aut hoc dimidio breviore.

Fabr. Antl. 140. 13. Latr. Gen. 4. 303. Wied. Zool. Mag. 1. 2. 25 Fall. Empid. 17. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 17. 1. Macq. Buff. 1. 327. 2.

Var. b. ♂♀. long. 4—5 lin., pedibus rufo-testaceis, tarsis apice geniculisque summis nigro-fuscis, coxis omnibus femoribusque anticis basi plerumque, nigro-cinereis, haustello ut in var. a.

Fall. l. c. var. *β*. *Empis livida* Fabr. Antl. 139. 10. (excl. synonymis). — *Asilus tipuloides* Linn. Fn. 1915. *Emp. rufipes* Stæg. in litt.

Var. c. ♀. long. tantum 3½ lin., pedibus rostroque ut in var. a. & b. variantibus.

Hab. in nemorum lucorumque fruticibus & floribus, per totam Scandinaviam, excepta Lapponia, 20 Maj—30 Jul., vulgaris; varietates omnes certis locis mixtæ occurrunt; scilicet var. a. b. c. in Scania tempore præsertim vernali ubique frequentissima; in Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia, passim; in Jemtlandia ad Åreskutan tantum var. a. & c. (femoribus nigris), rar.; in Norvegia ad Garnæs & Oestre-Næs Værdaliæ ut & ad Thynæs & Levanger, var. a. & c. iterum frequentes. Var. a. in Selandia meridionali, ubi non occurrit var. b.; e contrario vero var. b. circa Hafniam vulgaris, teste D. *Stæger*.

♂♀. Inter nostrates maxima, robusta, tota pilosa, opaca, cinerea. Nigra sunt: antennæ, palpi, haustellum, pubescentia, vittæ thoracis, tessellæ abdominis, & ginitalia. Thorax dorso pubescens, lateribus setosis. Anus maris lamellis 2 sat magnis, convexis, conniventibus, subnitidis, hirsutis; feminæ simplex, acutus. Pedes nitidi, distincte pilosi & tibiis præsertim spinulosi.

Obs. In Norvegia præcipue hujus speciei varietas a. rostro longiori & breviori & id in utroque sexu varians promiscue sæpe copiose occurrit, quare individua eo mode ludentia

non ut distinctas species considerare possum, ut voluit D. *Meigen* in Dipt. 6. p. 337. Add — Var. a. e Finlandia & Dania quoque obtinui. An var. a. & b. diversæ species? ut contendit D *Stæger.*

2 *E. borealis:* pilosa, opaca, nigra, thorace obscure cinereo, nigro-quadrivittato; alis brunneis, dilatatis, halteribus pallidis; pedibus posterioribus ad partem rufo-testaceis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Mas: haustello longitudine vix dimidii pectoris, alis modice dilatatis, ano obtuso, inflexo, piloso, pedibus nigris, femoribus intermediis basi, posticisque ultra medium, rufo-testaceis;

Fem.: haustello longitudine pectoris, alis valde dilatatis, apice obtuse rotundatis, ano acuminato, pedibus posterioribus rufo-testaceis, coxis, trochanteribus, geniculis, tibiarum apice, tarsisque totis, nigris; in copula:

Linn. Fn. Sv. 1895. Fabr. Antl. 137. 1. Fall. Empid. 16. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 36. 37. Zett. Ins. Lapp. 560. 1. var. a. & b. ♂♀. — Macq. Buff. 1. 328. 6. ♀.

Hab. in floribus Salicum, fruticibus &c., præcipue per Scandinaviæ provincias septentrionales, 15 Maj--1 Aug., circa vesperam quando serenam choreas in aëre instituens, copiose, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, in vicinitate paludum, vulgaris; in Ångermannia, Botnia, & Lapponiis omnibus per partem sylvaticam, frequentissima; in Norvegiæ littoralibus a Thynæs & Levanger usque ad Finmarkiam ubique etiam occurrit, & in alpes usque ad finem regionis Salicis adscendit, ex. gr. in ipso jugo alpino ad Suul, Kongsstuen & Källahögar Værdaliæ, haud infrequenter visa. E. provinciis borealibus in mitiores raro descendit, & in Uplandia circa Stockholmiam

a D. Prof. *Wahlberg* inventa; in parœcia Häradshammar Ostrogothiæ primo vere 1840 plura exempla legit D. *Stenhammar;* tandem specimina quædam in Scania sylvatica boreali ad Stoby d. 17 Maj 1829 omnino inexspectate a D. Demonstrat. *Jac. Agardh* capta vidi.

♂♀. Alis præsertim feminæ magnis, dilatatis, brunneis, femoribusque posterioribus flavicantibus primo intuitu a reliquis dignoscitur. Corpus proportione alarum gracile. Haustellum in mare plerumque (non semper) brevius quam in femina. Abdomen & pedes subnitida, pilosa, tibiis spinulosis. Coxæ cinereæ. Variat femina femorum tibiarumque anticorum basi indeterminate rufo-testacea.

3. *E. rustica:* pilosa, opaca, griseo-cinerea, abdomine obscuro, nitido; antennis apice, thoracis vittis 3, geniculis tarsisque, nigris; halteribus pedibusque flavis; alis fuscanis, basi pallescentibus, nervis longitudinalibus 4 & 5 ad summum marginem interiorem extensis. ♂♀. (Long. 3 lin. & ultra).

Fall. Empid. 18. 3. ♂♀. *E. nigricans* Meig. Dipt. 3. 31. 35. ♂. Macq. Buff. 1. 328. 4. ♂♀.

Hab. præsertim in floribus Cardui, per Sueciam mediam & meridionalem, 9 Jun.—15 Aug., rarius; scilicet in Scania ad Esperöd in parœcia Mellby certis annis haud infrequenter; in Gottlandia ad Ahlskog, rarissime. — In palude sylvatica juxta Hafniam d. 11 Aug. 1839 marem semel invenit D. *Stæger.*

♂♀. Haustellum pectore nonnihil brevius, nigrum. Labium superius ferrugineum, longitudine circiter haustelli. Antennæ basi testaceæ. Thoracis vittæ laterales utrinque abbreviatæ. Abdomen nigrum, nitidum. Alarum nervus longitudinalis tertius in apice (nec ut in *E. tessellata* ante apicem) cum nervo costali conjunctus. Pedes cum coxis toti flavi, genubus, tibiarum spinulosarum apice, tarsisque, nigris.

Anus ♂ deflexus. Femora intermedia in ♂ extus lineola abbreviata, obscura.

4. *E. livida:* subpilosa, opaca, flavescenti cinerea, thorace fusco-trivittato, antennis, geniculis, tibiarum apice, tarsisque, nigricantibus; halteribus pedibusque flavis; alis maris fuscanis, feminæ hyalinis, nervis longitudinalibus 4 & 5 ad summum marginem interiorem in utroque sexu non extensis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Linn. Fn. 1897. Fall. Empid. 18. 4. ♂♀. (excl. syn. Fabr.). Meig. Dipt. 3. 35. 36. ♂♀. Macq. Buff. I. 329. 7. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 560. 2. ♂♀. *E. lineata* Fabr. Antl. 141. 19. ♂.

Hab. in graminosis, fruticibus, floribus, ab initio mensis Jun. usque ad Septemb. tota æstate, omnium vulgatissima per Sueciam meridionalem & mediam, in copula juncta frequenter capta; scilicet in hortis & pratis Scaniæ, ubique; in Smolandia, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia quoque vulgaris; sed supra Nericiam mihi parum obvia antequam in Jemtlandia ad Hofverberget & in parœcia Undersåker passim; in Norvegia ad Næs & Thynæs, freq. — Ut frequens Daniæ incola etiam a D. *Stæger* missa.

♂♀. Similis priori, sed nervis longitudinalibus 4 & 5 nonnihil abbreviatis s. non ad summum marginem productis, & ab hac & ab aliis affinibus mox dignota. Oculi in viva rufo-ferruginei. Thoracis vittæ paullo tenuiores, quam in præcedente. Femora intermedia ♂ non lineata. Abdomen maris lividum, subnitidum, ano rufo, forcipe rotundata, horizontali, nec ut in prioribus flexa; feminæ cinereum, crassum, oviductu nigro. Reliqua vel ut in diagnosi, vel ut in *E. rustica.* — Femina femoribus subtus nigro-ciliatis.

Obs. Specimina e Wienna & ex insula Helgoland nobis communicata nostris simillima.

5. *E. lucida:* subpilosa, nitida, atra, halteribus albis; alis fusco-hyalinis, basi flavicantibus, stigmate obscuro. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigris.

Zett. Ins. Lapp. 561. 3. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus piceis, forte juvenilis;

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis, locis paludosis, per Scandinaviam septentrionalem, 20 Jun.—24 Jul., passim copiose, in copula capta; scilicet in Lapponiis Tornensi, Kemensi & Umensi, a parte sylvatica usque ad regionem alpinam procedens, frequenter; e Lapponia in provincias adjacentes descendit, in Botnia boreali ad Luleå & in Jemtlandiæ parœcia boreali Undersåker tota, ut ex. gr. in Åreskutan, Mullfjellen & ad Skalstugan, vulgatissima, ad cacumina ipsa alpium sæpe adscendens, in nive perenni circiter 3000 ped. supra mare deprehensa; in Norvegia a Suul & Kälahögar Værdaliæ, atque per totam Nordlandiam usque ad Finmarkiam frequenter etiam occurrit, radicem & latera jugi alpini fideliter sequens.

♂♀. Tota atra, nitida, pilosula. Haustellum jam longitudine vix duplo capitis, jam pectore longius, & ita in utroque sexu varians. Oculi obscure brunnei. Thorax supra, certo luminis situ, albomicat, vittis 3 atris; subtus cinerascens. Tibiæ spinulosæ. Metatarsi antici & postici in mare oblongi, subincrassati. Cauda maris deflexa. Var. b., pedibus piceis, in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi præsertim legi.

6. *E. grisea:* subpilosa, opaca, griseo-cinerea, thorace fusco-trivittato; antennis nigris, basi testaceis; abdomine nigro-griseo, nitido; alis cinereo-hyalinis, basi pallidis; halteribus pedibusque totis, flavis, tarsis apice obscuris. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Fall. Empid. 22. 12. ♂♀. Descriptio.

Hab. in floribus Chærophylli sylvestris & aliarum Umbellatarum, etiam Cardui palustris &c., locis umbrosis, in hortis & pratis Sveciæ meridionalis, 21 Jun.—15 Aug., passim; scilicet in Scania: ad Lund in Paradislyckan & horto botanico, ad Abusa, utrumque Esperöd & Lindholmen, frequens; e Smolandia (ni fallor) a D. *Boheman* communicata; in Håradshammar Ostrogothiæ, D. *Stenhammar*; & e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Antennæ testaceæ, articulo ultimo nigro. Haustellum longitudine pectoris, hoc interdum brevius, labio superiori ejusdem fere longitudine, flavo. Palpi flavi. Oculi in viva rufo-brunnei. Caput griseum. Thorax griseus, lineis 3 fuscis, obsoletis, pilosis; sqamula infra humeros flava. Abdomen nigrum, nitidum, cinereo-micans, pubescens. Pedes toti flavi, nitidi, nigro-pilosi, tarsis articulis ultimis obscuris. Coxæ ciliatæ, basi cinerascentes. Femora posteriora basi plerumque dilute brunnea præsertim in ♀. Femora intermedia in ♀ subtus dense & manifeste nigro-ciliata. Cauda maris fusco-testacea, tota nigro-pilosa, tuberculo sub ano inflexo, & appendice membranacea, erecta, hiante, cum filo albo!, instructa. Oviductus feminæ elongatus, articulatus, acuminatus, ferrugineo-fuscus.

Obs. Emp. picipes Meig. 3. 19. 5. ♂: "femoribus nigris, & alis fuscanis," cui *E. grisea* Fall. ut synonymon alligatur, alia videtur species, mihi ignota. Specimina plurima in Collectione *Falleni* ad nostram *griseam* pertinent, quæ igitur genuina; quædam vero ad speciem sequentem. Individua heic descriptæ *E. griseæ* olim sub nomine *Emp. flavipes* n. sp. Amicis meis Entomologicis divulgavi. — *Emp. grisea* Meig. Dipt. 3. 30. 24. ♂. anno 1822 descripta, est Europ. meridionalis incola & valde diversa ab *E. grisea* Fall. cujus nomen, 1815 fictum, prioritatem habet.

7. *E. maculipes*: subpilosa, opaca, cinerea, thorace fusco-trivittato; antennis nigris; abdomine nigricante;

alis fusco-hyalinis, basi pallidis, halteribus flavis; pedibus testaceis, coxis cinereis, tarsis apice obscuris. ♂♀. (Long. 2 lin.).

E. grisea Fall. Empid. 22. 12. Diagnosis. (Vix *E. picipes* Meig. Dipt. 3. 19. 5. ♂.). *E. incompta* ♂ Wahlb. in litt. ut varietas obscurior, pedibus nigrioribus, minor, ad Gusum capta, forte etiam huc referenda.

Hab. in Suecia media & boreali, 4—21 Jun., passim rarius; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Fredensborg & Gusum; in Ölandia ad Glömminge, rar.; in Gottlandia, D. *Wahlberg;* in Uplandia ad Stockholmiam, Idem; in Gestricia, ipse.

♂♀. Summa affinitas præcedentis, sed præcocior, antennis totis nigris, alis præsertim in ♂ magis fuscanis, femoribus maris in medio brunnescentibus, ano maris simplici, nigro, femoribus intermediis feminæ subtus non ciliatis, omnibus flavis, vix maculatis, ut & coxis trochanteribusque in utroque sexu nigro-cinereis, satis superque dignota. Haustellum pectore brevius. Genicula summa ut in priori, nigra. Tibiæ nigro-spinulosæ. Alæ maris fumatæ, basi pallidæ; feminæ totæ pallescentes. Anus maris minus exsertus, simplex, triangulariter compressus (in specim. exsiccatis); forcipe scilicet lamellis 2, ovatis acutis, sursum oblique vergentibus, nigris, nitidis, parum pilosis, filum nullum emittente. Reliqua omnia ut in priori, aut in diagnosi. Maris macula stigmaticalis obsoleta.

8. *E. geniculata:* subpilosa, opaca, cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato; antennis, abdomine pedibusque, nigris, geniculis testaceis; halteribus fuscis; alis albis, nervis distinctis maculaque stigmaticali, nigricantibus. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Hab. — E Suecia superiori exemplum descriptum olim a D. *Marklin* mihi communicatum.

♀. Cinereo-nigricans. Haustellum capite vix duplo longius, nigrum. Palpi nigri. Thorax pubescens. Anus acuminatus. Alarum area discoidalis sat magna, ovata, apice exteriori truncata. Nervi distincti, validi, nigri, fuscedine cincti, præsertim transversi. Ramus superior nervi furcati obliquus, nec verticalis, unde angulus furcalis acutus, nec ut in plerisque subrectus. Macula stigmaticalis nigro-brunnea. Pedes subnudi & inermes. Halteres nigro-fusci, petiolo basi dilutiori. — Cetera ut in diagnosi.

9. *E. chioptera:* pubescens, opaca, nigricans, thorace cinerascente, obsoletissime fusco-trivittato; halteribus fuscis; alis albis (♂), aut fuscanis (♀); pedibus nigris l. piceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Mas: alis lacteis, nervis albis obsoletis; metatarso antico posticoque incrassatis, oblongo-cylindricis, tibiis posterioribus spinulosis; abdomine griseo-pubescente; ano subsimplici, obtuso;

Fem.: alis fuscis, nervis concoloribus; tarsis omnibus simplicibus, femoribus posterioribus compressis utrinque ciliatis; abdomine glabriculo; in copula.

Var. a. ♂♀. pedibus nigris.

Fall. Empid. 21. 11. ♂♀. certissime. Meig. Dipt. 3. 27. 20. ♂. verus t. 22. f. 19; ♀? — Macq. Buff. 1. 330. 14. ♂. (exclus. ♀.) — Zett. Ins. Lapp. 561. ♂♀. — *Emp. crassipes* Schrank Ins. Austr. 988. ♂. — An var. *E. morosæ* Meig. Dipt. 26. 17. ♀. (exclus. ♂)? *E. brevipennata* Macq. Buff. 1. 332. 23. ♀.

Var. b. ♂♀. pedibus piceis freq.

Hab. in graminosis ad littora maris, sed etiam juxta aquas interiores, nec non in floribus Pruni Padi & Sorbi &c., per Sueciam mediam & meridionalem, 20 Maj—24 Aug., passim frequens, tempore vernali præsertim obvia, multoties in copula capta, & prædans lecta; scilicet in

Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Esperöd &c., vulgaris; in Ostrogothia ad Lärketorp rar.; in Ölandia ad Glömminge & in Gottlandia ad Nähr, minus frequens. E Finlandia missa a D. *Sahlberg*, & e Dania a D. *Stæger*, cui etiam synonymiam politam hujus speciei debeo.

♂♀. Parva. Nigro cinerea, parum pubescens. Antennæ & haustellum capite fere duplo longius, nigra. Alarum ramulus superior nervi furcati verticalis. Nervus costalis a medio ad apicem alæ crassus, ater, in maris alis lacteis in primis conspicuus. Tibiæ posticæ feminæ compressæ, extus breviter ciliatæ, at femora posteriora in *Insectis Lapponicis* l. c. immerito "simplicia" dicta, utrinque breviter quidem, sed sat dense ciliata seu subpennata. — Variat uterque sexus sæpe pedibus piceis aut rufescentibus. — Cfr. de cetero *E. morosa* infra n:o 22.

b.) *Corpore pallescente.*

Antennæ longæ, caput subpyriforme, oculi in utroque sexu distincti, color corporis constans, ramus superior nervi furcati flexus, &c. genus distinctum forte produnt.

10. *E. stercorea:* glabricula, nitida, flava, antennarum articulis ultimis, haustelli apice, macula verticis, thoracis testacei linea media abdominisque vitta dorsali, nigris; tarsis fuscis, nigro-pubescentibus. ♂♀. (Long. circiter 3 lin. & ultra).

Linn. Fn. Sv. 1819. Fabr. Antl. 141. 21. Fall. Empid. 18. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 36. 38. Macq. Buff. 1. 330. 12. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 560. 5. ♂♀.

Hab. in floribus Achilleæ Millefolii, Umbellatarum aliarumque, per Scandinaviam totam, 28 Maj—30 Jul., ubique vulgaris; in copula; scilicet in Scania, copiose; in Ostrogothia, freq.; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Hoburg, Wamblingbo &c., passim; in Uplandia

ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Östersund atque circa Mullfjellen & Areskutan, valde freq.; in Norvegia, a Thynæs & Suul Værdaliæ usque ad Finmarkiam frequenter etiam obvia, sed infra latera alpium manet nec in Lapponia Suecica a me visa. E Dania & Finlandia quoque communicata, & ex Hamburgo a D. *Dahlbom* reportata.

♂♀. Rufo-flava. Antennæ longæ, nigræ, articulo 1:mo concolore vel nigro-fusco. Oculi in utroque sexu distantes, brunnei. Haustellum longitudine pectoris, a medio ad apicem nigrum. Abdominis vittæ 3 dorsales, nigræ, laterales obsoletæ. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis validis, obscuris; area discoidalis ovata; ramulus superior nervi furcati basi flexus; maculæ stigmaticalis fuscæ vestigium. Halteres pallidissimi. Pedes toti flavi, geniculis summis tarsisque obscurioribus. Cauda maris ciliata, hians, filum flavum emittens. Oviductus feminæ acuminatus.

Var. b. ♂♀. haustello breviori, vertice cinereo, vitta thoracis dorsali nigra duplo latiori & alarum nervis minus validis, de cetero var. a. simmillimam aliquoties in Scania ad Lindholmen inveni; & alia vice specimen masculum, in quo alarum ramulus superior nervi furcati in utraque ala basi abbreviatus h. e. cum nervo tertio longitudinali non cohærens, vidi.

11. *E. testacea:* glabricula, parum nitida, ochracea, thoracis dorso vitta lata cinerea, brunneo-marginata; antennis, macula verticis, haustelli apice, tarsisque totis, nigris. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ $3\frac{1}{4}$ lin.).

Fab. Antl. 141. 20. Meig. Dipt. 3. 37. 9. *E. punctata var. β.* Fall. Empid. 19. 6.

Hab. in Umbellatis locis umbrosis, per Sueciam meridionalem, 21 Jun.–27 Jul., minus frequens; in sylva ad Esperöd in parœcia Mellby specimina 15 utriusque

sexus inveni. E Dania sub nomine allato etiam a D. *Stæger* missa.

♂♀. Priori simillima, sed differt: thoracis vitta dorsali latiori, grisea (nec nigra), margine tantum brunneo-nigra, & abdominis linea dorsali minus perspicua. Antennæ totæ atræ. Vitta thoracis media griseo-cinera, linea utrinque brunneo-nigra, vel si mavis lineis 2 longitudinalibus nigris a collo ad scutellum ductis interstitio toto griseo-cinereo. Ab humeris ad radicem alarum linea tenuissima fusca interdum etiam observatur, unde "lineæ 4 longitudinales, laterales abbreviatæ", quas in descriptione *Meigenus* l. c. affert, exstant. Scutellum cinereum. Abdominis vitta dorsalis plus minus conspicua. Cetera omnia exacte ut in priori.

12. *E. trigramma*: glabricula, subnitida, testacea, thoracis dorso vittis tribus inæqualibus abdominisque lineis totidem nigricantibus; antennis, macula verticis, haustelli apice, tarsisque totis nigris; pedibus flavis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt 3. 38. 42. ♀. *Emp. punctata* var. γ. Fall. Empid 19. 6.

Hab. in graminosis & floribus vernalibus, per Sueciam meridionalem, 18 Maj—30 Jun., passim copiose, in copula sæpe capta; scilicet in Scania ex. gr. in plantatione Universitatis Lundensis Paradislyckan, certis annis valde frequens, in aliis hortis Scanensibus rarius. E Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Haustellum (in ♂) capitis duplo, aut (in ♀) sæpe triplo longius. Vertex niger. Epistoma flavescens. Thoracis testacei dorsum opacum, nec nitidum, leviter albo-micans, vittis 3 nigris, media integra, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum cinereum. Abdomen nitidum, lineis 3 nigris, dorsali media latiori. Pedes toti flavi, tarsis obscuris. Reliqua ut in diagnosi, aut in *E. stercorea*.

13. *E. ignota:* glabricula, subnitida, testacea, thoracis dorso opaco, cinereo, vittis tribus brunnescentibus abdominisque lineis totidem nigris; capite cinerascente; antennis, haustelli apice tarsisque, nigris. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 6. pag. 338. Macq. Buff. 1. 329. 11. *E. punctata* Fall. Empid. 19. 6. ♂♀. var. *α.* & *δ.* (excl. syn. Fabr. teste Meig. l. c.). *E. punctata* Meig. Dipt. 3. 38. 41. (excl. syn. Fabr.?)

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ hortis, 10 Jun.— 1 Jul., passim frequens; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Grönby, utrumque Esperöd, &c., certis annis tempore vernali copiose; in Ostrogothia ad Gusum, nec non ad Lärketorp in copula rarius inveni; in Ölandia, D. *Wahlberg.*

♂♀. Thoracis pictura a prioribus præsertim dignoscitur. Caput pilosulum, opacum, cinereum, epistomate parum testaceo. Thorax testaceus, supra cinereus, ad latera pilosulus, lineis dorsalibus 3, angustis, dilute brunneis, media integra, perspicua, lateralibus utrinque abbreviatis, obsoletis. Maculæ pectoris supra pedes cinerascentes etiam plerumque adsunt. Abdominis nitidi, flavi, nudi lineæ 3 nigræ, quarum media evidentior, dentata, e punctis majusculis conflata, laterales e punctis parvis, discretis, sæpe obsoletis constantes. Reliqua ut in diagnosi, aut in prioribus.

Sect. 2. Pedes in femina ad partem pennati Color corporis niger. (*Emp. grisea* & *chioptera* femoribus intermediis aut posticis in femina utrinque tantum ciliatis, in *Sect.* 1 sub. n:ris 6 & 9 inveniendæ).

*) Halteribus albis l. pallidis.

14. *E. pennipes:* subpilosa, subnitida, nigra, alis infuscatis, stigmate obscuro, halteribus flavis; haustello

pectore longiore; pedibus piceis, maris longe pilosis, feminæ tibiis omnibus femoribusque posterioribus pennatis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Linn. Fn. 1896. Fabr. Antl. 138. b. ♀. Panz. Fn. 74. f. 18. ♀. Meig. Dipt. 21. 8. ♂♀. *E. ciliata* Fall. Empid. 20. 8. var. a & b. ♂♀.

Hab. in floribus, libenter Geranii sylvatici &c., per Scandinaviam mediam & meridionalem, 1 Jul.—25 Aug., passim, ♂ & ♀ in copula juncti, & ♀ ovipara, sæpe capti; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Grönby, & locis aridis in littore maris ad Esperöd, frequens; in Smolandia passim; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp haud raro; in Ölandia nec non in Dovrefjeld, D. *Boheman*; in Jemtlandia ad Åreskutan & in Norvegia ad Næs Værdaliæ, ipse. E Finlandia a D. *Sahlberg* & e Dania a D. *Stæger* quoque obtinui.

♂♀. Nigra. Haustellum longitudine fere totius corporis, & ita sæpe in utroque sexu. Thorax obscure schistaceo, obsoletissime nigro-trivittato. Abdomen nitidum nigrum. Alæ præsertim in ♀ fuscanæ, versus marginem interiorem magis hyalinatæ, stigmate obscuro. Ramulus stigmaticalis superior nervi furcati ut in speciebus nigris Sectionis 1:mæ, brevis, rectus, fere verticalis vel tantum leviter obliquus. Halteres flavi. Pedes nitidi, nigri aut picei, in ♂ distincte pilosi, metatarso postico elongato, cylindrico, leviter incrassato; in ♀: antici tibiis utrinque ciliatis, posteriores femoribus tibiisque bifariam distincte pennatis; tarsis omnibus pilosis l. subciliatis. Anus maris subsimplex, sed filum elongatum, sursum flexum, flavum emittens.

15. *E. ventralis:* pilosa, subnitida, nigricans, thorace opaco, cinerascente, vittis tribus obsoletis, nigris; ventre basi livido; alis fumato-hyalinis, basi pallescentibus, stigmate obscuro, halteribus flavis; haustello pecto-

re longiore; pedibus nigro-piceis, maris longe pilosis, feminæ tibiis omnibus femoribusque posterioribus pennatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Stæger in litt. 29 Sept. 1838.

Hab. in Scania rarissime, ad Högestad semel a D. *Sundevall* inventa, & a me olim *abdominalis* vocata; at e Dania a D. *Stæger* uterque sexus communicatus.

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed differre videtur; magnitudine nonnihil majori, paullo distinctius pilosa, thorace dilutius schistaceo (unde vittæ dorsales obscuræ magis evidentiores), ventre basi testaceo & alis minus infuscatis, in ♂ fere hyalinis. Haustellum maris pectore nonnihil longius, feminæ longitudine fere corporis. Venter basi lividus, qui color in mare in abdominis latera fere ad dorsum assurgit & segmenta saltem quatuor prima tingit. Anus maris subsimplex, hians, filum ordinarium emittens.

Obs. Simillima etiam videtur *E. Bistortæ* Meig. 3. 29. 22. ♂♀; sed cum in *Bistorta* macula stigmaticalis deest, hæ ejusdem speciei vix esse possunt.

16. *E. plumipes:* pilosa, subnitida, atra, thorace opaco, cinerascente, vittis tribus obsoletissimis, nigris; alis subfumato-hyalinis, basi pallescentibus, stigmate obscuro, halteribus flavis; haustello longitudine pectoris; pedibus nigro-piceis, maris longe pilosis, feminæ tibiis omnibus femoribusque posterioribus pennatis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

E. ciliata var. γ. Fall. Empid. 20. 8. ♂. var. pedib. dilutioribus.

Hab. in Suecia mens. Julio & Aug. rar.; in copula; scilicet in Scania ad Esperöd, rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp in floribus Epilobii angustifolii, frequens; in Jemtlandia ad Åreskutan, Hofverberget, Åsarne &

Säther prope Krokumselfven, passim; in Norvegia ad Næs, rar.

♂♀. Similis duabus proxime præcedentibus, sed ab *E. pennipede* alis fere hyalinis, parum infuscatis, a *ventrali* abdomine toto atro, & ab utraque haustello longitudine vix capitis pectorisque simul sumtorum, ut & cauda maris subsimplici, hamis 2? e segmento ultimo ventrali oriundis, sursum curvatis corneis, flavis instructa, præcipue differt. Abdomen nitidum, in ♂ breve subrecurvatum, albido-pilosum. Pedes in utroque sexu nigri l. nigro-picei, raro rufo-flavi, tibiis tarsisque anticis in ♀ ciliatis, tarsis posterioribus pilosis. Pedes postici maris subcompressi. Reliqua ut in *pennipede*.

17. *E. pennaria:* subpilosa, opaca, nigricans, thorace cinerascente, subimmaculato; halteribus albis; alis albo-hyalinis (♂), aut subfuscis (♀), stigmate nullo; pedibus rufo-testaceis, pilosis, in mare posticis subincrassatis, in femina femoribus posterioribus tibiisque posticis, pennatis; haustello in utroque sexu longitudine pectoris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: alis albidis, inde nervis tenuibus albescentibus (præter costales distinctiores) parum perspicuis; abdomine cinerascente, ano fere ut in *E. plumipede;* pedibus pilosis, posticorum tibiis metatarsisque subincrassatis;

Fem: alis subfuscanis; abdomine nigro; femoribus intermediis & posticis breviter pennatis, tibiisque posticis ciliatis; in copula.

Fall. Empid. 20. 9. ♂♀. certe var. "pedibus subtestaceis" (excl. Syn. Fabr. & Panz.). — Meig. Dipt. 3. 23. 13. ♂♀. Macq. Buff. 1. 331. 19. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 562. 7. ♂♀. var. "pedibus rufo-testaceis".

Hab. in graminosis per Sueciam meridionalem & mediam, 6 Jun.— 10 Aug., vulgaris; e margine foliorum

fruticum & herbarum mares & feminas copula junctos mense Julio sæpe observavi, & mares choreas in aëre ad margines agrorum medio mensis Junii instituentes copiose haud raro vidi; scilicet in Scania ubique vulgatissima, præsertim tempore vernali; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c., passim; in Ölandia ad Glömminge; in Gottlandia ad Sanda, Ahlskog &c., frequens; sed in provinciis Sueciæ magis borealibus non nisi rarissime mihi obvia, in Uplandia tamen circa Holmiam inventa erit a D. *Wahlberg*.

♂♀. Oculi in viva rufi. Thoracis vittarum 3 in speciminibus illæsis vestigium. Pedes variant rufo-picei l. rufo-testacei. Marem monstrosum nervo tertio longitudinali in una ala furcato in altera simplici semel observavi. — Maculæ stigmaticalis vestigium tantum in umbra obsoleta in hac specie conspicitur; sed nervus costalis loco stigmatis ater perspicuus.

18. *E. vernalis*; subpilosa, opaca, nigricans, thorace cinerascente, obsolete fusco-trivittato; halteribus albis, alis albo-hyalinis (♂), aut subfuscis (♀), stigmate nullo; pedibus atris, pilosis, in mare posticis subincrassatis, in femina femoribus posterioribus tibiisque posticis, pennatis; haustello in utroque sexu longitudine pectoris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Mas & *Femina* omnino ut in *Emp. pennaria* discrepantes.

Meig. Dipt. 3. 27. 19. ♂. (*E. leucoptera* Meig. Dipt. 3. 27. 18. ♂ vix a nostra differre videtur.) *Emp. pennaria* var. "pedibus nigris & thorace sublineato" Fall. Empid. 20. 9. Zett. Ins. Lapp. 562. 7. ♂♀ specimina Norrlandica.

Hab. in foliis Salicis & graminosis, per Scandinaviam, 17 Jun.—2 Aug., certis locis frequens, in copula

capta; priore longius divulgata; scilicet in Scania circa Lund & Grönby, vulgatissima; in Ostrogothia ad Omberg; in Jemtlandia ad Mullfjellen & Åreskutan iterum frequens; in Norvegia: a Thynäs & Levanger usque ad Suul & Kong Carl Johans Klev in ipso jugo alpino situm adscendens, copiose; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiæ, & ad Giebostad atque Evenäs haud raro inventa. E Dania sub nomine allato etiam a D. *Stæger* uterque sexus communicatus.

♂♀. Præcedenti, ut ovum ovo, similis, nec differt nisi thoracis vittis plerumque paullo magis perspicue indicatis, præsertim in ♀, sed inprimis pedibus nigris, nec rufis l. rufo-testaceis, & ita in utroque sexu; nec nisi similem cum simili in copula junctam vidi. — Ad interim igitur speciem ut distinctam propono, præsertim cum *E. pennariam* in Scandinavia septentrionali cum *vernali* mixtam nunquam inveni. — Anus maris forcipe brevi, parva, lamelliformi, intra quam hamulus recurvus, luteus, nitidus exsurgit, omnino ut in priori. Feminam oviparam, ovaque alba catenulata vidi. — Individuum femineum monstrosum ala dextra nervo longitudinali tertio simplici, & ala sinistra eodem nervo furcato, ad Thynæs semel inveni.

19. *E. hyalipennis:* pilosa, opaca, nigricans, thorace cinerascente, subimmaculato; haustello longitudine pectoris; halteribus albis, alis albo-hyalinis, lineola stigmaticali fusca, nervo quarto longitudinali abbreviato; pedibus rufo-testaceis, in mare metatarsis anticis posticisque, tibiisque posticis apice, incrassatis, in femina femoribus posticis pennatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

Fall. Empid. 21. 10. ♂♀ (ipsissima secundum Museum Falleni). Meig. Dipt. 3. 24. 11. (e Dipteris Svec. Fall. transscripta). — *E. proxima* Meig. Dipt. 7. 85. 61. ♂♀

parum a nostra differre videtur; forte eadem. *E. albinervis* Meig. Dipt. 3. 26. 16 sub hac forsitan quoque latet.

Hab. in fruticibus locis aridis, etiam in littore maris, per Succiam meridionalem & mediam, 30 Jun.—15 Aug., passim; scilicet in Scania ad Silfåkra & utrumque Esperöd, haud raro; in Ostrogothia ad Wadstena minus frequens; in Ölandia, D. *Wahlberg.*

♂♀. Alarum nervo 4:to longitudinali non usque in summum marginem producto a prioribus omnibus mox dignoscitur. Halteres flavo-albi. Nervus costalis loco stigmatis ater. *Mas:* thorax & abdomen cinerea, subimmaculata, pilosa, ano ut in priori; alæ albidæ, nervis tenuibus, albis, costalibus distinctioribus, stigmate dilute fusco; pedes distincte pilosi. *Femina:* thorax valde gibbus, cinereus, vittis 3 fuscis obsoletis, plerumque tamen indagandis; abdomen subnudum, nigricans; alæ sordide albidæ, nervis & stigmate ut in mare; pedes fusco-testacei, antici angusti, subnudi, postici femoribus breviter pennatis, tibiis tarsisque subdilatatis subnudis.

Var. b. ♂. haustello pectore paullo longiori, pedibus piceo-nigris, alias var. a simillimus, vix specie diversus; ad Lärketorp Ostrogothiæ 11 Aug. 1811 semel inventus.

20. *E. albipennis:* subpilosa, opaca, nigricans, thorace cinerascente, subimmaculato; haustello capite duplo longiori; halteribus albis, alis albo hyalinis, lineola stigmaticali obsoleta, nervo quarto longitudinali abbreviato; pedibus nigro-piceis, in femina femoribus posterioribus tibiisque posticis, pennatis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 81. 60. ♀.

Hab. in fruticibus & in littore maris Scaniæ ad utrumque Esperöd 20—30 Jul. inventa.

♂♀. Similis *E. pennariæ* (17) & *hyalipenni* (19), sed differt mox a priori per nervum abbreviatum &c., & ab *hyalipen-*

ni per femora intermedia & tibias posticas pennatas, ut & haustellum paullo brevius. Tibiæ intermediæ extus ciliatæ. Lineæ thoracis 3 fuscæ interdum sat perspicuæ. — Affinis videtur *E. vitripenni* Meig. 3. 25. 15. sed in illa halteres fusci. — Cel. *Meigen* l. c. marem *E. albipennis* ut "nigrum, nitidum" & præterea mari *E. hyalipennis* similem, describit; mihi vero talis in Suecia non obvius fuit.

**) Halteribus nigris l. obscuris.

21. *E volucris:* subpilosa, nitida, nigra, halteribus concoloribus, thorace immaculato; haustello capite duplo longiori; alis cinereo-hyalinis, stigmate obsoletissimo; pedibus nigris, femoribus posterioribus tibiisque posticis in femina breviter pennatis. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 3. 23. 11. ♀. (♂: alis hyalinis, macula stigmaticali vix observanda, pedibus præprimis intermediis utrinque perspicue pilosis, fere pennatis).

Hab. in monte insigni Thorsborg Gottlandiæ, 11 Jul. 1811 a me rarissime inventa. *Mas* etiam in Dania semel deprehensus, teste D. *Stæger*, mihi ignotus.

♀. Tota nigra, nitida, immaculata, parum pilosa. Alæ hyalinæ, nervis inferioribus tenuibus; versus costam subfuscæ, nervis distinctioribus, maculæ stigmaticalis vix vestigio, sed nervo costali a medio ad apicem atro, perspicuo. Venter (in specimine nostro gravido) tumidus, & exinde fuscus. Pedes nigro-picei, antici simplices, nudi; posteriores compressi, femoribus breviter sed distincte pennatis, tibiis etiam posticis pennatis, at tibiis intermediis extus tantum ciliatis Tarsi omnes simplices, breviter pubescentes.

22. *E. morosa:* subpilosa, subnitida, nigra, halteribus concoloribus, thorace levissime cinereo-micante, immaculato; haustello capite duplo longiore, alis cinereo-hyalinis, stigmate obsoletissimo; pedibus piceis, femoribus

tibiisque posterioribus in femina pennatis. ♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 26. 17. Macq. Buff. I. 332. 22.

Hab. in graminosis Sueciæ meridionalis & mediæ, 22 Maj—19 Aug., rarius; ad Abusa & Esperöd Scaniæ capta; & ni valde fallor quoque ad Nähr Gottlandiæ semel inventa.

♀. Similis priori, sed differt: thorace leviter albo-micante, pedumque posteriorum & femoribus & tibiis pennatis. Tibiæ intermediæ tantum breviter utrinque ciliatæ, ciliis sæpe vix nisi certo situ conspicuis. Reliqua ut in priore. *Mas* a D. *Meigen* l. c. "metatarsis anticis subincrassatis & pedum posticorum tibiis quoque subincrassatis, sed metatarsis dilatatis ovatis", etiam descriptus, mihi ignotus. — Cfr insuper synonymia *E. chiopteræ* n:o 9 hujus operis.

Obs. *E. longirostris* Meig. 6. 338. 50. ♂ "Atra, halteribus alisque fuscis; haustello longitudine corporis" de cetero *E. pennipedi* (n:o 14) similis, in Scandinavia etiam habitare fertur; mihi non obvia. — *E. pennipes* Fall. Empid. 19. 7. ♀. utpote valde dubia & in Museo Falleniano desiderata e numero specierum Scandinaviæ excludenda.

53. RHAMPHOMYIA Hoffmansegg.

Corpus majoris, mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum, pilosum, sæpe opacum. Antennæ ut in *Empide* constructæ. Oculi in viva ferruginei. Alarum area discoidalis plerumque trapezoidea seu obovata, aut oblonga (in nostris sæpissime completa), nervulos 3 integros in marginem interiorem emittens. *Nervi longitudinales omnes simplices.* Pedes sæpissime simplices, rarius in ♀ pennati, aut metatarso in ♂ incrassato. *Color* niger, cinereus, raro flavus. *Volatus* minus alacer; at masculi choreas in aëre interdum instituunt, vivaces. *Habitatio* in foliis plantarum, in floribus libenter Umbellatarum, sed etiam Geranii, Epilobii. &c. *Victus* e

rapina; sed mel florum non respuunt. *Metamorphosis* ignota. *Larvæ* quarumdam forte aquaticæ. *Discrimen sexus* ut in *Empide*, cui valde affine est hoc genus. Cfr præterea quod dicitur de structura ani in ♂ *R. spissirostris* & *albo-segmentatæ* &c.

Sect. 1. *Corpus nigrum aut cinereum.*

S*ubdiv.* 1*:ma.* Pedes in utroque sexu nudi (non pennati l. plumosi).

A. Halteribus albis l. pallidis.

1. *R. nigripes:* pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), cinerea, thorace nigro- 4-vittato; pedibus simplicibus, nigris; alis hyalinis, area discoidali irregulari. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: pilosus. Oculi in fronte anguste disjuncti. Vittæ thoracis laterales latæ, abbreviatæ, distinctæ. Alarum area discoidalis in medio alæ sita, obovata, costa ciliata;

Fem.: nuda. Oculi in fronte latius sejuncti. Vittæ thoracis laterales obsoletæ. Alarum area discoidalis magna, fere ad marginem interiorem descendens, nervis infra aream tribus, brevibus, costa mutica; in copula.

Meig. Dipl. 3. 48. 13. ♂♀. Macq. 1. 336. 9. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 562. 1. ♂♀. *Empis* Fabr. Antl. 141. 17. ♂. *Empis crassirostris* Fall. Empid. 31. 37. ♀.

Hab. in fruticibus, sæpe in vicinitate aquæ, per Scandinaviam, 20 Maj—30 Jul., passim, in copula pluries capta; scilicet in Scania: circa Lund tempore vernali certis annis copiose in copula juncta; ad Abusa & Skärali freq., D. Prof. *B. F. Fries;* in Smolandia, D. *Boheman;* in Calmariæ territorio ad Berga, passim; in Ostrogothia ad Gusum; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Uplandia ad Holmiam, Idem *Wahlberg;* in Jemtlandia circa Mullfjellet haud infrequens; in Norvegia vero ex. gr. ad Dovrefjeld, Thynæs, Levanger atque in Nordlandia,

vulgaris. — Var. monstrosam areola quadrata pone aream discoidalem eique inter nervos longit. 4 & 5 adjecta, e Jemtlandia communicavit (1836) D. *Boheman*, forte hujus, nam in ceteris similem.

♂♀. Tota cinerea, thorace 4-vittato. Antennarum articulus ultimus niger. Haustellum capite fere dimidio longius, proboscide crassa, nigra. Alæ albo-hyalinæ, nervis distinctis, fuscis, stigmate nigro; basi pallidæ. Pedes validi, simplices, nigri l. fusci, in ♂ pilosi, in ♀ nudi, coxis in utroque sexu cinereis. Anus maris variis appendicibus instructus, ferrugineo-pilosus, subtus hians, filum erectum, flexuosum, subulatum, nitidum nigrum emittens.

2. *R. spissirostris*: pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), cinerascens, thorace obscure bivittato; alis albo-hyalinis, area discoidali aut in medio alæ (♂), aut ad marginem descendente (♀); metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: undique cinereo-pilosus, thoracis lineis fuscis obsoletis, oculis in fronte anguste disjunctis, alarum area discoidali in medio alæ sita, metatarso antico incrassato, oblongo; ano ut in *R. nigripede* variis appendicibus & filo nigro instructo;

Fem.: subnuda s. brevissime & tenuissime griseo-pubescens, thoracis lineis fuscis distinctis, oculis sat late disjunctis, alarum area discoidali ita ad marginem interiorem retracta, ut angulus areæ inferior marginem fere attingat, nervulum scilicet emittente vix ullum l. brevissimum; pedibus nudis, simplicibus; ano simplici, acuminato; in copula.

Meig. Dipt. 3. 57. 31. ♀. Zett. Ins. Lapp. 563. 2. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 31. 38. ♀. *Empis nodipes* Fall. Empid. 25. 22. ♂. *Rhamphomyia nodipes* Meig. Dipt. 3. 50. 16. ♂.

Hab. semper in vicinitate aquæ, per Scandinaviam, 2 Maj—17 Jul., passim; scilicet in Scania ex. gr. in horto

botanico circa stagnum tempore vernali in copula multoties deprehensa; etiam ad Abusa freq., D. *B. Fries;* in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Lärketorp &c. haud raro; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; *in* Gottlandia ad Öja; in Norvegia in alpe Dovre, D. *Boheman*, & ad Björkvik Nordlandiæ, ipse. — E. Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Priori similis, sed certe diversa. Cinerea. Antennæ nigræ. Alæ albo-hyalinæ, basi albæ, nervis paullo tenuioribus quam in priore, linea sigmaticali atra, costa in utroque sexu mutica, non ciliata, maculis 2 ad marginem interiorem cinereis, valde obsoletis, vix nisi certo luminis situ conspicuis. Nervus superior ex area excurrens tenuis, levissime arcuatus. — Pedes nigri l. rufescentes. Anus maris ut in priori subsimilis; cauda scilicet hians seu forcipe duplici constans; harum inferior brevis, bivalvis, inter quam ex apice ventri erigitur filum nigrum, nitidum, apice capillare; forceps superior etiam bivalvis, longior, cinereo-pilosa, nigra l. picea, huic superne adhærit appendix elongata (& longior quam in *nigripede*), reflexa, dorso abdominis incumbens. Apparatus hic sexualis valde complicatus & typicus per varias modificationes in plerisque *Rhamphomyiæ* speciebus obtinet, & haud absimilis illi, quem Illustr. a *Linnè* in Fauna Suecica p. 466 suæ *Empidæ forcipatæ* competere dicit.

3. *R. anomalina:* subpubescens, opaca, cinerea, thorace subimmaculato; abdomine supra argenteo-micante; alis albo-hyalinis, stigmate nigro, area discoidali magna, difformi, margini interiori retracta; pedibus fusco-piceis, metatarso postico in ♀ subincrassato, oblongo; haustello longitudine capitis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 563. 3. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi raris-

sime; ad pagum Almsele d. 24 Jul. 1832 individuum unicum inveni.

♀. Affinis & similis *R. nigripedi* (n:o 1), sed fere dimidio minor, thorace obsolete vittato, abdominis dorso magis albo- seu argenteo-micante, & area discoidali aliter formata, vere distincta. Antennæ & haustellum crassum, nigra. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, supra læte canum, ani apice acuto, nigro. Alæ albo-hyalinæ, nervis basi albis, extus distinctis, obscuris, stigmate & nervo costali nigris; area discoidalis valde oblonga, versus apicem alæ retracta, magna, ad marginem interiorem tribus angulis descendit, nervulis tribus ordinariis emissis brevissimis, saltem medio, nec ut in *R. nigripede* ad partem perspicuis. Pedes validi, pubescentes, fusco-rufescentes, coxis cinereis, tarsis obscuris. ♂, area discoidali forte aliter formata, ignotus.

4. *R. filata:* subpilosa, opaca, nigricans, thorace cinereo, fusco-bivittato; alis hyalinis, radice albis, stigmate nullo; pedibus fusco-nigris, geniculis pallidis, metatarso postico in ♂ parum incrassato; haustello tenui, capite sublongiore. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund d. 9 Jun. semel inventa.

♂. *R. plumipedi* infra, in multis similis, sed in aliis valde diversa. Antennæ breviusculæ, haustellum tenue, stigma nullum, pedes simplices, ut & structura ani, speciem ab affinibus distinguere videntur. Oculi in fronte intime connexi. Antennæ capite nonnihil breviores, atræ, seta longitudine partis tertiæ articuli ultimi; deflexa. Haustellum capite paullo longius, tenue, nigrum, apice ferrugineum. Thorax cinereus, vittis 2 latiusculis, dilute brunneis. Abdomen nigricans, pilosulum. Anus subhians. Superne squamulæ 4 breves, ciliatæ, fuscæ; inferne ex apertura simplici emittitur filum recurvatum, ferrugineum. Alæ cinereo-hyalinæ, ima basi albæ, stigmatis vix vestigio in umbra obsoletissima, nervo vero costali a medio ad apicem nigro. Nervi non

validi. Area discoidalis in medio alæ, ovata. Pedes pilosi, nigricantes, coxis cinereis, geniculis anguste albidis. Tarsi antici tenuissimi; metatarsus posticus leviter incrassatus. — Forte ad hanc Subdivisionem pertinet. — Femina mihi ignota; an pedes in illa plumati?? — Specimen masculum pedibus rufescentibus & haustello validiori, alias varietati genuinæ simillimum, ad Abusa Scaniæ 27 Maj legi.

5. *R. albo-segmentata*; pilosa, parum nitida, cinereo-nigricans, thorace obsolete fusco-trivittato; halteribus aut sordide albidis (♂), aut albis (♀); segmentis summo margine canis; alis hyalinis, radice albis, stigmate obsoleto; pedibus atris, simplicibus, nitidis, spinulosis; haustello capite fere duplo longiori. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 563. 5. ♂. *R. arctica* Ins. Lapp. 566. 16. ♂♀ eadem omnino.

Hab. in Suecia boreali & Lapponia, 11 Jul.—16 Aug., rarius: scilicet in Jemtlandia in monte insigni subalpino Hofverberget juxta lacum Storsjön, nec non in parœcia Undersåker ad radicem Mullfjellet, ut & prope Skalstugan, uterque sexus inventus; in monte subalpino Stöttingsfjellet inter Åsele & Lycksele Lapponiæ Umensis ♀ a D. *Dahlbom* capta; in Ölandia & ad Gusum Ostrogothiæ etiam lecta, teste D. *Wahlberg*; in floribus Solidaginis virgaureæ Finmarkiæ Norvegicæ freq. vidi.

♂♀. Statura *R. spissirostris*. Antennarum haustellique longitudo, halterum color in diverso sexu diversus, pedes nitidi, simplices, spinulosi, nigri, structura ani simplicior in ♂ &c., speciem ab affinibus distingvunt. Obscure cinerea, pilosa opaca. Antennæ capite nonnihil longiores, atræ, basi fuscæ. Oculi in fronte connexi (♂), aut distantes (♀). Haustellum capite duplo (in ♀ fere triplo) longius, crassum, nigrum. Palpi atri. Abdomen opacum, cinereum, in

♀ acutum, in ♂ cylindricum, segmentorum margine summo certo situ dilutius cano; supra hanc marginem in singulo segmento series pilorum simplex, transversa cernitur. Anus ♂ simplicior, superne scilicet forcipe valvulis 2 brevibus convexis, & inferne ex apertura ventrali filo crassiori, breviusculo, cartilagineo, ferrugineo, parum arcuato, emisso, erecto, intra valvulas superuas desinente. Pedes in utroque sexu pilosi, atri, nitidi, coxis cinereis, opacis, tibiis spinulosis, metatarsis validis. Alæ maris hyalinæ, basi albidæ, nervis undique tenuioribus, stigmate obsoletissimo, at nervo costali atro, & præsertim loco stigmatis crasso; feminæ fumato-hyalinæ, nervis validioribus, radice albida, stigmate fusco, distincto; area discoidalis in utroque sexu oblonga, trapeziformis, nec breviter ovata. Halteres ♀ albi, ♂ clava subfusca l. sordide alba, petiolo albo.

6. *R. rufipes:* pilosa, opaca, læte cinerea, thorace immaculato; alis (♂) albis, aut fuscanis (♀), stigmate nullo; haustello longitudine capitis, pedibusque, rufescentibus, metatarso postico in ♂ incrassato. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 564. 7. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica boreali Tornensi, rarissime; ad Juckasjervi die 29 Jun. 1821 duo specimina mascula inveni; *femina* sine dubio hujus in Suecia inferiori 1824 deprehensa, & altera vice (1831) in Ostrog. capta.

♂♀. Cana, immaculata. Antennæ capite nonnihil breviores, ♂ fuscæ, ♀ obscuræ. Oculi in fronte maris connexi in ♀ distantes. Haustellum capite non longius, crassiusculum, fuscum. Abdomen pilosum. Anus ♂ rufescens, superne forcipe duplici, brevi, parva, valvulis internis rufis, ciliatis, segmento ultimo ventrali fornicato, truncato, e cujus apertura centrali filum, cauda duplo longius, capillare, flexuosum, flavum emittitur. Alæ cum nervis tenuibus in ♂

totæ albæ, in ♀ fuscanæ, nervo vero costali præsertim loco stigmatis, in utroque sexu fusco; area discoidali ovata l. cuneiformi. Halteres albi. Pedes maris pubescentes, toti rufo-testacei, coxis basi parum cinereis. Tarsi antici simplicissimi. Pedes postici subcompressi, pilosi, metatarso oblongo, modice incrassato. Pedes feminæ fusco-rufi, simplices, nudiusculi. — Specimen femineum vetustum hujus speciei in collectione *Falleni* sub nomine *E. lævipes* exstat.

7. *R. spinipes:* pilosa, opaca, cinereo-nigricans, thorace obscure trivittato; alis longis, brunnescentibus, stigmate obscuriori; haustello capite fere dimidio longiori; pedibus nigris, nitidis, femoribus posticis in ♂ subtus spina armatis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 3. 49. 15. ♂♀. Macq. Buff. 1. 337. 10. Zett. Ins. Lapp. 561. 11. ♂♀. E*mpis* Fall. Empid. 26. 24. ♂♀.

Hab. in fruticibus præsertim tempore autumnali, per totam fere Scandinaviam, 12 Jul.—28 Sept., multoties in copula deprehensa, scilicet in Scania ad Abusa & Esperöd, rarius; in Smolandia, Ostrogothia, Nericia, Uplandia, Dalecarlia, Helsingia, Herjedalia, & Jemtlandia usque ad Hofverberget, Frösön & Faxelfven, ubique vulgaris; in Lapponiis omnibus quoque haud raro occurrit, in alpes nivales adscendens, & in ipso jugo alpino circiter 1000 ped. supra mare elevato, in nive ambulans capta; deprehenditur tandem in Norvegiæ littoralibus, & a Dovre usque ad NordCap passim visa. — Larva in terra a D. *Bouchè* inventa.

♂♀. Antennæ capite transverso paullo longiores, articulo ultimo ovato, apice longissime acuminato. Haustellum crassiusculum. Oculi rufo-ferruginei, in ♂ conniventes, in ♀ distantes & in dimidietate inferiori macula ænea micantes.

Alæ magnæ, area discoidali ovato-triangulari. Halteres sordide albidi l. flavescentes. Cauda maris hians, superne forcipe duplici; harum interior bivalvis, valvulis seu squamis brevibus, rotundatis convexis, vesiculosis, nitidis, lividis, subelevatis; exterior etiam bivalvis, valvulis subcylindricis, horizontalibus, elongatis, nigris, longe pilosis, apice angustatis, in medio unidentatis. E segmento ventrali ultimo fornicato, truncato exseritur filum ordinarium, arcuatim recurvatum, flavescens, basi crassum, apice capillare. Pedes pubescentes & pilosi, nigri, coxis cinereis; metatarso postico subincrassato, & femoribus posticis in mare subtus versus basin spina e fasciculo pilorum 3—6 formata, armatis.

8. *R. sulcata:* pilosa, opaca, nigra, thorace cinereo, obscure trivittato; alis brunnescentibus, stigmate obscuriori; haustello capite fere dimidio longiori; pedibus nigris, nitidis, lateribus canaliculatis, femoribus posticis subtus spinulosis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 3. 46. 9. ♂♀. Macq. Buff. 1. 335. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 565. 12. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 26. 25. ♂♀. *R. canalicula* Macq. Buff. 1. 335. 4. ♂♀ tantum thorace nitido a nostra differt.

Hab. in fruticibus & in floribus Salicis tempore vernali sæpe visa, per Scandinaviam, 16 Maj—30 Jul., passim, in copula; scilicet in Scania ad Fogelsång, Esperöd &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Lärketorp & Fredensborg, nec non in Calmaria Smolandiæ, passim; in Uplandia ad Holmiam, D. W*ahlberg;* in Jemtlandia a Grimnäs & Fanbyn usque ad Areskutan, Mullfjellet & Skalstugan, vulgaris; in Lapponia Suecica Umensi ad Stensele, Tresunda &c., haud raro; in Norvegiæ littoralibus a Dovre usque ad Gam-

stenstind Finmarkiæ, frequens, at in Værdalia a Thynæs usque ad Suul & Kongsstuen in jugo alpino, copiose.

♂♀. Similis priori, a qua magnitudine sæpe nonnihil minori, pedibus validioribus, canaliculatis, nigrioribus & magis nitidis, halteribus albo-flavis, femoribus in mare non spina elongata distinctiori, sed spinulis pluribus in 2 series dispositis armatis, at in ♀ serie unica locatis; atque metatarso postico ♂ crassiori, tandemque ano simpliciter incrasso, appendicibus scilicet & filo exsertis nullis, differt. Thorax vittis 3 fuscis, media tenuiori ut in *R. spinipede.* Alæ basi subferrugineæ. Abdomen maris nitidum. Frons ♀ cinerea.

9. *R. dentipes:* pilosa, opaca, cinerea, thorace obsoletissime fusco-bivittato; alis hyalinis, radice albis, stigmate fusco; haustello longitudine capitis; pedibus nigris, posticorum femoribus in mare apice subtus dente gemino tibiisque basi, dente unico armatis. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Wahlberg in litt. 1842.

Hab. in Suecia media & boreali, passim; scilicet in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Stockholmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia pluribus locis ex. gr. ad diversoria Grimnäs & Fanbyn, nec non ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen d. 19—27 Jun. 1840, a me & D. *Dahlbom* inventa; in Dalecarlia quoque a D. *Boheman* lecta erit teste D. *Wahlberg.*

♂. Armatura pedum ab omnibus abunde distincta. Descriptionem Cel. *Wahlbergi*, secundum Ejus specimina constructam, mihique communicatam, afferre lubet: "Magnitudine, statura & colore *R. spissirostri* subsimilis, obscure cinerea, remotius pilosa. Haustellum capite dimidio longius, nigrum, *R. spissirostris* tenuius. Antennæ capitis longitudine, nigræ, articulo ultimo acuminato. Thorax valde con-

vexus, lineis 2 fuscescentibus, obsoletis, seriatim pilosus. Scutellum & abdomen cinerascentia. Anus ventre hians, superne squamis 2 majoribus, convexis, ovatis, obtusis, albido-micantibus, sutura recta velut elytra conniventibus. Sub squamis penicilli 2 nigri, minuti, & sub his corpora 2 apicem versus angustata, nonnihil exserta, pilosa, ferruginea, basi nigriora, apice pilis nigris terminata. Inferne denique ex apertura ventrali filum, abdomine longius, fusco-ferrugineum, capillare, in insecto mortuo saltem flexuosum, medio recurvum, exseritur. Pedes nigro-cinerascentes, postici præsertim spinuloso-pilosi, femoribus posticis subtus apicem versus dentibus 2 obtusis munitis, priori majori, tibiis posticis incurvis, dente unico obtuso, tibiis retractis inter dentes femoris recepto. Halteres & squamæ albidi. Alæ hyalinæ, stigmate pallide fusco, area discoidali in medio alæ". *Wahlberg.* Huic optimæ & sat sufficienti descriptioni insignis speciei, individuis meis comparatis, tantum hæc pauca addam: *R. spissirostri* paullo minor. Thorax & abdomen læte cinerea. Thoracis lineæ fuscæ valde tenues, in dorso subapproximatæ. Alæ albo-hyalinæ, nervis tenuibus, area discoidali cuneiformi l. trapezoidea. Metatarsi vix incrassati. — *Femina* deest.

10. *R. lævipes:* pilosa, opaca, cinerea, thorace fusco-quadrivittato; alis hyalinis, nervis validis, stigmate fusco; haustello capite paullo longiori; pedibus nigris simplicibus, femoribus nudis, tibiis spinulosis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Empis Fall. Empid. 27. 26. ♂ (specimen Ostrogothicum) certe, at individuum femineum, quod sub hoc nomine in collectione *Falleni* occurrit, potius ad *R. rufipedem* nostram n:o 6 referendum, & *Rh. lævipes* Meig. Dipt. 3. 49. 11. "cauda maris filo instructa" &c. longe alia videtur species, nostris *R. filatæ* aut *albo-segmentatæ* appropinquans.

Hab. in Suecia media & boreali, rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp ante plures annos inveni individua pauca mascula, quæ typi Fallenianæ descriptionis fuerunt. Femina e Dalecarlia a D. *Boheman* 1836 mihi communicata. Ad Gusum Ostrogothiæ & Holmiam Uplandiæ hæc species quoque lecta erit, testante Cel. *Wahlberg*. Exemplaria vero Scanica a Cel. *Fallén* l. c. allata, "in pratis Esperöd & Fogelsång, mense Junio" capta mares *Rh. nigripedis* tantum fuerunt.

♂♀. Thoracis pictura, alarum nervis validis, area discoidali breviori, metatarso postico elongato, femoribus nudis & ano maris simplici, a confinibus cito dignoscitur. Cinerea, pilosa. Antennæ capite longiores, atræ. Haustellum in ♂ capite dimidio, in ♀ fere duplo longius, atrum. Thoracis vittæ dorsales fuscæ, quarum mediæ subintegræ, late distantes & interdum stria tenuissima obscura per medium interstitii; laterales brevissimæ, obsoletæ, utrinque abbreviatæ. Alæ cinereo-hyalinæ, radice albescentes, stigmate obscuro; nervis validis, area discoidali in medio alæ brevi, triangulariter ovata. Pedes nigri, nitidi, simplices, non validi, spinulosi, femoribus nudis & inermibus, tarsis posticis elongatis, non incrassatis. Halteres albi. Anus maris obtusus, non incrassatus, simplex, appendicibus & filo nullis exsertis.

11. *R. maculipennis:* subpilosa, opaca, cinerea, thorace fusco-subquadrivittato; haustello longitudine capitis, crasso; alis hyalinis, stigmate nullo, maculis ad marginem interiorem duabus fuscis obsoletissimis; pedibus obscure rufescentibus nudis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Blekingia rarissime, semel tantum inventa.

♂♀. Similis priori, antennis brevioribus, alarum nervis tenuioribus, pedibus fuscis, nudis &c. mox dignota. Tota cinerea, parum pilosa. Antennæ capite nonnihil breviores,

nigræ. Haustellum capite vix longius, crassum, nigrum. Thoracis vittæ subquatuor brunneæ latiores, mediæ subintegræ, distinctæ, laterales utrinque abbreviatæ, valde obsoletæ. Alæ albo-hyalinæ, basi albæ, nervis haud distinctis, at costali loco stigmatis crasso, nigro. Area discoidalis ovato-triangularis, & infra illam versus marginem interiorem maculæ duæ oblongæ, obliquæ, liberæ, per nervulum ex area excurrentem separatæ, fuscæ, obsoletissimæ, sub lente tantum conspicuæ, ut in *spissirostre*, observantur. Halteres albi. Pedes nudi, inermes, simplices, opaci, testaceo-rufescentes, coxis cinereis.

12. *R. nitidula:* pubescens, nitida, atra, alis (♂) albo-hyalinis, aut (♀) fuscanis, halteribus in utroque sexu albis, area discoidali breviter ovata; pedum posticorum tibiis versus apicem dilatatis; metatarso postico maris incrassato, oblongo. ♂♀. (Long. fere 1½ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigris.

R. nitida Zett. Ins. Lapp. 556. 17. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus piceis. Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in floribus Salicis, foliis fruticum, &c., per Scandinaviam septentrionalem, 29 Jun.—1 Aug., passim frequens; scilicet in Dalecarlia passim; in Jemtlandia per totam paroeciam Undersåker ab Åreskutan usque ad Mullfjellen & Skalstugan, utraque varietas vulgaris; in Lapponiis Suecicis etiam usque ad regionem alpinam occurrit; in Norvegia etiam a Suul (in jugo alpino) Værdaliæ & Thynæs usque ad Björkvik Nordlandiæ haud raro obvia.

♂♀. Tota nigra, nitida, pleuris parum cinereo-micantibus. Vittæ thoracis 2 atræ, parum perspicuæ. Antennæ capite nonnihil longiores, atræ, opacæ, articulo ultimo, elongato, subcompresso, stylo apicis brevissimo. Oculi in ♂ connexi, in ♀ sejuncti. Haustellum in utroque sexu capite parum longius,

basi crassum. Alæ ♂ albo- l. cinereo-hyalinæ, nervo costali loco stigmatis nigro, sub quo umbra leviter fusca; feminæ alæ totæ fuscanæ. Abdomen nudum, in ♂ cylindricum, angustum, ano simpliciter incrassato, subelevato, non hiante appendicibus exsertis nullis, & filo ordinario, crassiori, nigro inferne tantum ad minimam partem denudatum, præterea inter forcipem tumidam occultum. Pedes utriusque sexus nitidi, sulcati, femoribus subnudis, subtus parce, tibiis metatarsisque extus distincte, spinulosis. Frons feminæ schistacea, opaca.

Obs. Cel. *Macquart* in Dipt. du Nord, p. 135. 12. jam 1827, & deinde in Buff. 1. 337. 15. speciem descripsit sub nomine *nitida*, a nostra abunde diversam; nomen igitur nostrum *nitidula* junius rejecimus, & in *nitidulam* mutavimus *R. tarsata*, huic simillima, pedibus vero feminæ pennatis, in Subd. 2:da quærenda.

13. *R. lugubrina:* pilosa, opaca, cinereo-nigricans, alis fuscanis, area discoidali oblongo-ovata; haustello longitudine capitis, crasso; pedibus nigris, subnitidis, pilosis, tibiis posticis versus apicem dilatatis; metatarso postico maris incrassato, oblongo. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan d. 24 Jun. 1810 unicum individuum inveni.

♂. Similis præcedenti, sed paullo major, magis pilosa & opaca, antennis nonnihil brevioribus, alis fuscis, & cauda maris aliter constructa, præcipue & bene dignota. Thorax obscure cinerascens, opacus immaculatus, pectore glauco. Abdomen obscure cinereum, opacum, pilosulum, ano hiante, superne appendicibus 4 subsimplicibus, parum elongatis, parumque separatis, nigris, subnitidis; inferne filo capillari, libero, longitudine appendicum, fusco, ex apertura ventrali emisso. Alæ fuscæ, basi hyalinæ, stigmate obscuro,

area discoidali oblongo-ovata, apice exteriori subtruncata. Halteres albi. Pedes nigri, subnitidi, cinereo-micantes, parce pilosi, in mortua compressi, tibiis posticis dilatatis, & metatarso incrassato. Pulvilli albi perspicui. Forte mas sequentis?

14. *R. fuscipennis:* pilosa, opaca, cinereo-nigricans, thorace nigro-trivittato; alis fusco-nigris, costa obscuriori, area discoidali oblongo-ovata; haustello capite nonnihil longiori, crasso; pedibus nigris, nitidis, pilosulis, simplicibus. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 567. 22. ♀.

Hab. in Suecia boreali rarissime, duo tantum, specimina inveni, unum in Lapponia meridionali Umensi ad Stensele d. 4 Jul. 1832, & alterum ad radicem Mullfjellet 28 Jun. 1840.

♀. Priori simillima & forte ejus femina; sed differt thoracis vittis 3 fuscis, quarum in individuo præcedentis bene conservato vestigium detegere non potui. Pedes etiam magis nitidi, nigri, simplices, alæ nigriores & haustellum paullo longius, quam in priore. Sed hæc minus valent, ut notæ potius pro sexu, quam specie distinguendis. Haustellum basi coarctatum.

15. *R. reflexa:* pilosa, opaca, obscure cinerascens, thorace fusco-trivittato; alis aut hyalinis (♂), aut dilatatis brunnescentibus (♀); haustello capite nonnihil longiore, crasso; pedibus subnudis, simplicibus, nitidis, rufo-testaceis; abdomine depresso, nigro, nitido; cauda in mare elongata, reflexa. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: Oculi interstitio frontali, angusto, cinereo, disjuncti; alæ elongatæ, albo-hyalinæ; abdomen subdepressum, cauda atra, nitida, superne incrassata, bivalvis, valvulis rotundatis, convexis, unidentatis, & corpusculis 2, longitudine valvularum, conniventibus, obtusis, sursum flexis; ex apertu-

ra ventrali excurrit filum crassum, ferrugineum, apice inter valvulas occultum ut in *R. albo-segmentata* (n:o 5).

Fem.: Oculi interstitio latiori distantes; alæ elongatæ, nonnihil latæ, totæ brunnescentes; abdomen ovatum, acuminatum, apice opaco-cinereum; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 566. 19. ♂♀.

Hab. in regione nivali Lapponiæ, rarissime; in summo alpium Tornensium jugo, circiter 4000 ped. supra mare elevato, d. 12—14 Jul. 1821 in copula inveni; 5 mares & 2 feminas legi.

♂♀. Obscura, robusta. Epistoma & pleuræ cinereæ. Thoracis vittæ laterales latæ, media tenuis. Antennæ longitudine capitis, nigræ. Alarum stigma tenue, fuscum; nervo costali nigro. Area discoidalis oblongo-ovata, apice exteriore subtruncata. Halteres & squama alba. Pedes rufo-picei aut rufo-testacei, pubescentes, simplices, nitidi, tibiis subspinulosis, coxis cinereis.

16. *R. flexicauda:* pilosa, opaca, obscure cinerascens, thorace fusco-trivittato; alis fumato-hyalinis; haustello capite nonnihil longiore, crasso; pedibus subnudis, simplicibus, nitidis, atris; abdomine depresso, nigro, nitido; cauda in mare elongata, reflexa. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. in jugo alpino Norvegiæ, rarissime; inVærdalen inter Suulstuen & Kongsstuen d. 16 Jul. 1840 specimen unicum inveni.

♂. Structura partium, habitu, pictura &c., præcedenti simillima, sed differt aperte magnitudine multo majore, alis nonnihil fumatis, saltem non albo-hyalinis, & pedibus totis atris, minime rufescentibus, coxis cinereis.

17. R. *metatarsata:* subpilosa, subnitida, nigricans, thorace albo-micante vix vittato; haustello longitudine capitis; alis hyalinis, stigmate fusco; pedibus fusco-rufis,

pilosis; in mare metatarsis, antico modice incrassato, postico elliptico, ano filato. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 569. 33. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi, minus freq.; in sylvaticis ad Barrsele, Stensele & Wilhelmina, d. 1—19 Jul. 1832, specimina 5 inveni.

♂. Nigricans. Antennæ capite vix longiores, basi fuscæ. Haustellum fuscum. Oculi in fronte modice distantes. Thorax cum pleuris leviter & læte cinerascens, subimmaculatus. Alæ albo-hyalinæ, nervis tenuibus, costali cum stigmate fuscis. Area discoidalis ovato-subtriangularis. Halteres albi. Abdomen pubescens, nigricans, nitidum, ad latera contra lumen visum basi livido subpellucidum. Anus simplex, ferrugineo-ciliatus, forcipe brevi, nonnihil reflexa; filo ordinario libero, capillari, arcuatim sursum flexo, flavo. Pedes pubescentes, nitidi, toti fusco- l. rufo-testacei, tarsis extus distincte pilosis, metatarso antico oblongo, cylindrico, subincrassato, postico (in mortuis) compresso, elliptico. An hujus subdivisionis?

18. *R. fuscula:* pubescens, opaca, cinerea, thorace vix vittato; haustello capite sublongiori, haud crasso; alis hyalinis, basi albidis, stigmate obsoletissimo; pedibus simplicibus, pilosis, fusco-rufis; ano maris filato. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 571. 44. ♂.

Hab. in Norvegia, ubi in alpe Dovre a D. *Boheman* detecta.

♂. Tota opaca, obscure cinerea, pubescens. Antennæ vix longitudine capitis transversi, nigræ. Haustellum fuscum. Alæ albido-hyalinæ, nervis inferioribus tenuibus. Area discoidalis ovata. Halteres albi. Anus cum filo ut in priori, sed minus pilosus & forceps forte brevior, simplicior. Pedes fusco-rufescentes, non nitidi, pubescentes, coxis rufe-

scenti cinereis, tarsis obscurioribus, tibiis posticis parce spinulosis.

19. *R. glaucella:* subnuda, opaca, læte cinerea, thorace immaculato; haustello longitudine capitis; alis hyalinis, radice albidis, stigmate nigricante; pedibus nigris. ♀. (Long. fere 1½ lin.).

Hab. in Jemtlandia, ad Mullfjellet d. 27 Jun. 1810 semel capta.

♀. Statura angusta proxime sequentium. Colore capitis thoracisque læte cinereo, fere glauco, alarum stigmate nigricante, distincto & pedibus subnudis, nigris, ab affinibus dignota. Antennæ capite nonnihil longiores, nigræ. Haustellum crassum, nigrum, basi coarctatum. Thorax supra parce pilosus. Alæ albido-hyalinæ, nervis inferioribus tenuibus, area discoidali oblongo-ovata. Halteres albissimi. Pedes tenues, simplices, nigri, nudi seu brevissime tantum pubescentes.

20. *R. pallidiventris:* subpilosa, opaca, læte cinerea, thorace non vittato; haustello longitudine pectoris, ferrugineo; alis albo-hyalinis, stigmate nullo; abdomine testaceo, maculis dorsalibus fuscis; halteribus pedibusque pallide flavis tibiis spinulosis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

Meig. Dipt. 3. 53. 21. *Empis* Fall. Empid. 28. 31. ♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 10 Jul.—17 Aug., rarius; scilicet in Scania ad Esperöd & Abusa; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*. ad Lärketorp, ipse; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*. — Mas rarissimus.

♂♀. Haustelli, humerorum, abdominis pedumque colore flavo ab affinibus dignota. Caput cinereum. Antennæ capite longiores, nigræ, basi fuscæ. Haustellum validum, ferrugineum, apice nigrum. Maculæ humerales rufæ in ♀ magnæ

fere ad pedes anticos dilatatæ, in ♂ minores, obsoletæ. Area alarum discoidalis oblongo-ovata. Pedes cum coxis pallide flavi, tibiis spinulosis, apice tibiarum tarsorumque articulorum nigro. Thorax & abdomen in ♂ paullo fusciora. — Specimen femineum Fallenianum typicum ante oculos habui diagnosem & descriptionem speciei conficiens. — Varietat. ♀. monstrosam, ubi in altera ala areola quadrata areæ discoidali subtus adjecta ut in *R. nigripede* vidi.

21. *R. lividiventris:* subpilosa, opaca, læte cinerea, thorace obsolete fusco-bivittato, haustello capite nonnihil longiore, ferrugineo; alis cinereo-hyalinis, stigmate nullo, abdomine livido; halteribus pedibusque pallide flavis, his pilosis, tarsis subfuscis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 528. 25. ♂♀.

Hab. in Scandinavia septentrionali, 3 Jul.—6 Aug., minus frequens; scilicet in Jemtlandiæ parœcia boreali Undersåker ex. gr. ad sedem Sacerdotis & ad radicem Mullfjellet, parce; in Lapponia Umensi ad pagos Stensele & Badstuträsk, rarius; & denique in Nordlandia Norvegica ad Björkvik semel lecta.

♂♀. Simillima priori, sed rostro multo breviori, thoracis maculis humeralibus rufis l. nullis l. tantum punctiformibus, pedibus totis pubescentibus, tibiis vix spinulosis, & tarsis evidentius infuscatis, differt. Thoracis vittæ vix nisi certo situ apparent. Pedes simplices. *Mas:* oculis in fronte connexis; ano brevi, rotundato, forcipe convexa, cinerea, paullo elevata, sub qua corpuscula 2, longitudine forcipis, testacea, apice serrulata, nigra latent; & inferne ex apertura ventrali, parum fornicata, emisso filo ordinario, flavo, brevi, recto, basi crassiori, apice capillari in apice corpusculorum desinente. Abdomen præterea maris fuscum, nitidum, basi subpellucidum; feminæ opacum, flavo-lividum, immaculatum. Alæ feminæ cinereo-flavescentes.

22. *R. tenuirostris:* distincte pilosa, opaca, ob-

scure cinerea, thorace subimmaculato; haustello tenui, longitudine circiter pectoris; alis cinereo-hyalinis, stigmate obsoleto; pedibus flavis, tarsis nigricantibus, tibiis spinulosis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 52. 20. ♂♀. Macq. Buff. 1. 337. 14. Zett. Ins. Lapp. 568. 29. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 29. 32. ♂♀.

Hab. in floribus, tempore autumnali locis aridis sæpe inventa, per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jul. —30 Aug., passim, in copula; nempe in Scania ad Esperöd & Absa, passim, etiam in Pinetis ad Kjeflinge, D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Häradshammar, Lärketorp & Omberg, minus frequens; in Gottlandia ad Lummelund, rarius; in provinciis magis borealibus rarissime.

♂♀. Pilositate totius insecti præsertim in mare distinctiori, & longitudine atque tenuitate haustelli in utroque sexu a proximis distingvitur. Antennæ longitudine capitis, nigræ. Haustellum fuscum. Abdomen fuscum. Area discoidalis ovata. Halteres pallidi. Coxæ basi cinerascentes. Tibiæ nigro-spinulosæ. Tarsorum articuli 4 ultimi nigricantes. Oculi ♂ in fronte connexi. Alæ ♂ ad costam infuscatæ. Anus maris obtusus, simplicissimus.

23. *R. variabilis:* distincte pilosa, opaca, nigricans (♂), aut cinerea (♀), thorace subimmaculato; haustello capite duplo longiore, valido; alis fuscanis (♂), aut hyalinis (♀); pedibus flavis, tarsis nigricantibus, tibiis spinulosis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: oculis in fronte arcte cohærentibus, distincte pilosus, supra nigricans, alis fuscanis, halteribus sordide albidis;

Fem.: oculis distantibus, parce pilosa, cinerea, thorace obsolete fusco-bivittato, ventre pallido, alis hyalinis, stigmate tantum infuscato, halteribus albidis; in copula.

Meig. Dipt. 3. 51. 18. ♂♀. Macq. Buff. 1. 337. 12. Zett. Ins. Lapp. 569. 30. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 29. 33. ♂♀. vera.

Hab. in floribus variis, ex. gr. in Achilleæ Millefolium tempore autumnali sæpe copiose obvia, per Sueciam meridionalem & mediam, 31 Jul.—12 Sept., passim vulgatissima; in copula; scilicet in Scania ubique communis, ad serum autumnum vigens, mares choreas in aëre sæpe ducentes; in Smolandia ad Anneberg, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Gottlandia ad Martebo in pratis, freq; in Upplandia, passim; in Gestricia ad Hamrånge &c., parce; deinde versus septentrionem rarissime tantum occurrit.

♂♀. Præcdenti simillima, nec differt nisi haustello breviori & crassiori; a *R. culicina* infra, cui etiam valde similis, corpore paullo minori & magis piloso, mox dignoscitur. Abdomen sæpe fuscum vel lividum ad incisuras in mare præcipue evidenter pilosum. Reliqua ut in diagnosi, vel in priore.

21. *R. albipennis:* pilosa, opaca, cinerea, thorace immaculato; haustello vix longitudine capitis, crasso; pedibus simplicibus, piceo-nigricantibus tibiis spinulosis; alis in mare lacteis, in femina albidis, nervis in utroque sexu tenuibus, costali nigro, area discoidali ovata; ano ♂ simplici. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigro-piceis

Meig. Dipt. 3. 59. 35. *Empis* Fall. Empid. 30. 36. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus testaceis.

Hab. in graminosis &c., sæpe locis paludosis l. ad littora maris; var. a. per Scandinaviam meridionalem & mediam, 4 Maj—31 Jul., passim, multoties in copula capta; scilicet in Scania ad Lund, Abusa & Esperöd, freq.,

choreas in aëre initio mensis Maji ducens; in Smolandia, pass.; in Ostrogothia mihi raro obvia, in Häradshammar, D. *Stenhammar;* in Gottlandia ad Gothem & Ejsta, minus freq.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia, D. *Boheman;* var. b. in Scania & Gottlandia observata.

♂♀. Parva, sed robusta, cinerea. Antennæ longitudine capitis, nigræ. Haustellum capite perpendiculari fere brevius, nigrum. Halteres albi. Pedes rufescenti nigri aut fusco-testacei, simplices, pubescentes, tibiis spinulosis, coxis cinereis. *Mas:* ano simplici, tantum corpusculis 2 filiformibus, brevissimis, nigris, apice conniventibus, forcipem mentientibus; alis lacteis, nervis inferioribus albis; *femina:* ano acuto, alis cinereo-albidis.

25. *R. niveipennis:* pilosa, opaca, schistacea, thorace immaculato; haustello longitudine capitis, subcrasso; pedibus simplicibus, nigris, tibiis spinulosis; alis in mare lacteis, in femina albidis, nervis in utroque sexu tenuibus, costali nigro, area discoidali ovata; ano maris hiante filum reflexum emittente. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 570. 36. ♂.

Hab. in Scandinavia boreali, 20 Jun.—12 Jul., minus frequens; scilicet in Dalecarlia, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad Östersund & in insula Frösön, ipse, rarius; in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele, rarissime; & in Norvegia non nisi in Værdalia ad Garnæs & in Skogn ad Thynæs, parcissime visa.

♂♀. Parva, statura robusta & similitudo prioris, sed organon copulationis in mare aliter constructum, & pedibus in utroque sexu nigris, nec piceis, in primis diversa. Schistacea vel cinerea. Oculi ♂ in fronte connexi. Haustellum in utroque sexu longitudine saltem capitis. Pedes nigri, vix

nitidi, leviter cinereo-micantes. Alæ ♂ totæ lacteæ, nervis omnibus tenuibus, albis, costali solum nigro; ♀ cinereo-hyalinæ, nervis costali, 2 & 3 longitudinalibus fuscis, reliquis tenuissimis. Anus ♂ hians, superne stylis 2 brevissimis filiformibus, nigris, sub quibus immediate corpuscula 2 fere triplo longiora, angusta, linearia, apice fusca, ferrugineo-pilosa; inferne ex apertura ventrali emittitur filum elongatum, capillare, flexuosum, flavum, apice recurvatum. Reliqua ut in diagnosi aut in præcedente.

26. *R. lacteipennis:* pilosa, opaca, cinereo-nigricans, thorace immaculato; haustello capite nonnihil longiore, tenui; pedibus simplicibus, piceis, tibiis spinulosis; alis in mare lacteis, nervis tenuibus, costali nigro, area discoidali apice exteriore truncata; ano maris hiante filum reflexum emittente. ♂. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 570. 37. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi, rarissime; ad Lycksele Jun. 1832 semel inventa.

♂. Duabus proxime præcedentibus simillima, sed a *R. albipenni* colore cinereo paullo magis in nigrum vergente, & ano ♂ magis composito; a *niveipenni* pedibus piceis, nec nigris; & ab utraque haustello nonnihil tenuiori & forte longiori, nec non area discoidali alarum ovata, apice exteriore truncato, nec ut in illis subangulato, differt. Anus maris omnino ut in *niveipenni*, sed penicilli (corpuscula 2 pilosa) forte adhuc dilutiores, & filum illud capillare flavum, (casu forsitan in specimine nostro?) non totum libere curvatum & reflexum, sed tantum suo apice supra appendices conspiciendum.

27. *R. piceps:* subpilosa, opaca, obscure cinerea, thorace immaculato; haustello capite paullo longiori; pedibus piceis; alis hyalinis, stigmate obsoleto, nervis tenuibus, area discoidali ovata. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Suecia media, rariss.; e Smolandia a D. *Boheman* olim missa, hodie mihi deest.

♀. Affinis proxime prioribus, paullo minor, alis hyalinis, &c. dignota. Subpilosa, obscura, immaculata. Halteres albi. Pedes simplices, picei.

28. *R. anomalipennis:* parum pilosa, opaca, cinerea, thorace fusco-subquadrivittato; haustellum longitudine vix capitis; alis hyalinis, stigmate fusco, area discoidali apice exteriori aperta; pedibus nudis fuscis. ♀. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 3. 55. 27. ♀. & tab. 23. f. 4. ala.

Hab. in Suecia rarissime; ad diversorium Forsa prope radicem alpium Mullfjellen in Jemtlandia boreali d. 27 Jun. 1840 unicum individuum inveni.

♀. Alarum area discoidali oblongo-ovata, per nervulum transversum in apice exteriori deficientem aperta, ab omnibus præcedentibus facile dignota. Antennæ longitudine capitis, nigræ. Thoracis vittæ subquatuor fuscæ, postice abbreviatæ, mediæ tenues, laterales obsoletissimæ. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis basi albidis, costali nigro, stigmate dilute fusco. Halteres albi. Pedes simplices, nudi, inermes, livido-nigri.

29. *R. tipularia:* pubescens, opaca, cinerea, thorace subimmaculato, haustello capite paullo longiori antennarumque basi testaceis; abdomine livido; pedibus simplicibus, nudis, flavis, tarsis subfuscis; alis hyalinis (♂), aut dilatatis extus subinfuscatis (♀); ano maris valvulis 2 elongatis, luteis, sutura nigra. ♂♀. (Long 2 lin. absque appendice anali).

Macq. Buff. 3. 336. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 339. Add. *Empis* Fall. Empid. 27. 28. ♂♀. *Rhamphom. cinerea*

Meig. Dipt. 3. 43. 2. ♀. (exclus. Syn. Fabric. & Gmelin.)

Hab. in Suecia media & boreali, mense Julio, rarius; scilicet in Ostrogothia in parietibus ligneis, soli non expositis, ad Lärketorp 1813 copiose inveni specimina utriusque sexus etiam in copula juncta, sed deinde a me ibi non observata; ad Gusum a D. *Wahlberg* capta; in provincia Calmariensi Smolandiæ ad Berga, rar.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Medelpad d. 18 Jun. 1840 unicum individuum masculum deprehendit D. *Dahlbom*.

♂♀. Alis feminæ amplis & cauda maris elongata, a prioribus statim dignota; sat magna videtur licet corpus minime robustum. Cinerea, pubescens, opaca. Antennæ capite nonnihil longiores, testaceæ, articulo ultimo atro. Haustellum extus validum. Thorax vittis 2 fuscis, tenuibus obsoletis, antice tantum conspicuis. Abdomen fusco-cinereum, plus minus lividum. Area alarum discoidalis oblongo-ovata. Halteres albi. Pedes cum coxis flavi, subnudi, parum pubescentes, tibiis inermibus, tarsis fuscis. *Mas:* oculi in fronte connexi; alæ longæ hyalinæ, simplices, radice ima albæ; abdomen pilosum; cauda cornea, elongata, horizontalis, flavo-lutea, subnitida, parum puberula, superne lamina triangulari lateribus deflexa, & deinde valvulis 2 concavis sutura flexuosa, superne nigra, basi conniventibus, apice nonnihil dehiscentibus, reliquum copulationis apparatum supertegentibus. *Femina:* oculi distantes; alæ cinereæ versus apicem dilatatæ & leviter infuscatæ, costa dilute ferrugineo-fusca; abdomen subnudum, ano longe articulato-acuminato.

30. *R. hybotina:* angusta, glabra, nitida, atra, haustello longitudine fere pectoris, basi late, ventre pedibusque, flavis, posticorum femorum tibiarumque apice, tarsisque omnibus, nigris; alis hyalinis, nervo tertio longi-

tudinali curvato; ano maris subsimplici. ♂♀. (Long circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 571. 41. ♂♀. *Rhamph. tenuicornis* ejusdem Ins. Lapp. 571. 42. ♂♀. var.

Hab. in foliis fruticum & in graminosis, per Scandinaviam borealem, 2 Jul.—23 Aug., passim abundans, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Gottlandia, rarissime; in Helsingia ad Löfvik, rarius; in tota Jemtlandia boreali præsertim ad radicem Areskutan & Mullfjellen, vulgatissima; in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele & Stöttingsfjellet, parce; sed in Norvegiæ inferalpinis littoralibus a Thynæs & Levanger usque ad Nordlandiam iterum frequens.

♂♀. Parva, angusta, tenera, glabra, nitida, atra. Antennæ capite fere duplo longiores, subulatæ, articulo 1 cylindrico, 2 brevissimo, cyathiformi, 3 longissimo, anguste conico, stylo apicali brevi. Haustellum capite in ♂ duplo, in ♀ fere triplo longius; pectori applicatum, tenue, flavum, apice determinate nigrum. Oculi in viva rufo-ferruginei, supra antennas in ♂ anguste, in ♀ latius distantes. Abdomen nigrum, ventre pallido. Anus in ♂ hians, cauda superne subelevata, inferne filum capillare, flavum, arcuatum emittente; ♀ longe acuminatus. Alæ fumato-hyalinæ, metallice nitentes, stigmate nullo. Area discoidalis trapezina. Halteres pallide flavi. Pedes elongati, tenues, simplices, microscopice pubescentes, inermes, cum coxis pallide flavi, tibiis apice tarsisque nigris, femorum posticorum apice fusco. Metatarsi antici posticique in ♂ leviter incrassatis. Metatarsus anticus in ♀ etiam subcrassior. — Vere *Ramphomyia.*

31. *R. œdalina:* glabricula, nitida, atra; haustello capite fere breviori, suboblique exserto; alis albo-hyalinis, stigmate fusco, area discoidali elongato-ovata; halte-

ribus pedibusque nudiusculis, fusco-testaceis. ♀. (Long. 1 lin.).

Zett. In. Lapp. 570. 38. ♀.

Hab. in Suecia boreali, rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis semel a me d. 21 Jun. 1821 lecta; in Jemtlandia? D. *Boheman.*

♀. Affinis *Oedaliæ pallipedi*, sed haustello longitudine fere capitis & oblique tantum, nec horizontaliter porrecto, distincta. Corpus tenuiter pubescens. Antennæ longitudine capitis, stylo apicali vix ullo. Oviductus acuminatus, apice bifidus. Alæ albido-hyalinæ, macula stigmaticali fusca, nervis tenuibus, pallidis. Area discoidalis oblongo-ovata, apice exteriori oblique truncata, nervis 4 & 5 longitudinalibus, basi approximatis, ex angulo superiori areæ excurrentibus. Halteres fusco-albidi. Pedes nudi, inermes, fuscescenti flavi, geniculis albis. — Forte *Anthaliæ* species. Ex individuo unico femineo nihil certi dijudicare valeo.

Obs. 1. *Rh. nigrita* Zett. Ins. Lapp. 567 in obs. sub *R. reflexa*, e Grönlandia a D. *Westermann* missa, similis *R. sulcatæ* (8) & *reflexæ* (15), sed a priori femoribus non sulcatis, a posteriori area discoidali breviori, & ab utraque antennis brevioribus, corpore magis hirsuto & alis nonnihil latioribus intensiusque brunneis, differt; in Scandinavia mihi non obvia. — *Empis forcipata* Linn. Fn. Sv. 1898, quam D.D. *Macquart* Buff. 1. 336. 7. ♂, & *Meigen* Dipt. 7. 90. 45, ♂, sub nomine *R. appendiculata:* "nigra, thorace cinerascenti, vittis 3 obscuris, halteribus flavis, alis subhyalinis; ano (♂) appendiculis exsertis" describunt, eandem speciem putantes; mihi haud rite cognita; anceps.

Obs. 2. Species (pedibus ♀ non pennatis) quasdam, in quibus halteres aut in altero sexu albi, sed in altero fusci, ex. gr. *R. fraternella* (38), *dispar* (39), *culicina* (40) & *holosericea* (46.), aut in utroque sordide albidi l. fusco-testacei sunt, ex. gr. in *R. morione* (33), *griseola* (36) & *sciarina* (42), in subdivisione proxime sequenti: B, descripsi, & id pro-

pter summam cum eis ibi adumbratis similitudinem. — *R. albo-segmentata* Ins. Lapp. 563. 5. & *R. arctica* Ins. Lapp. 566. 16. ejusdem sunt speciei, sub nomine priori (n:o 5) heic descriptæ. — *R. consobrina* Ins. Lapp. 571. 40. ex hoc genere abit, & jam *Anthalia rostrata* vocatur.

B. *Haltcribus fuscis aut nigris.* *)

†. Corpore oblongo, sed proportione magnitudinis robusto; pedibus validis.

32. *R. villosa:* distincte pilosa, subnitida, nigricans, thorace opaco, vix vittato; haustello capite subduplo longiore; alis hyalinis, nervo costali halteribusque nigris, area discoidali ovata; pedibus simplicibus, spinulosis, nigris; abdomine maris subcylindrico, ano simplici. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 563. 4. ♂.

Hab. in Norvegia rarissime; in alpe Dovre mense Jul. a D. *Boheman* detecta.

♂. *R. nigripedi* (n:o 1) affinis & similis, sed nigrior magis villosa, abdomine pedibusque nitidis, halteribus nigris &c. facile dignota. Similis etiam *R. sulcatæ.* Tota nigra, thorace obscure cinereo, vittis 3 dorsalibus atris. Palpi magni, atri, pilosi. Antennæ capite transverso paullo longiores, in specimine communicato (per vim forte) erectæ. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis validis, costali præsertim loco stigmatis crasso, nigro. Squamæ & halteres, nigra, petiolo albido. Pedes nigri, pilosi, femoribus posticis subtus, tibiisque omnibus, parce spinulosis; coxis nigro-cinereis. Anus simplex, brevis, nitidus, ater, forcipe rotundato-lamellata. Corpusculum filiforme, breve, crassum, ferrugineum, ex apertura ventrali emisso, parum conspicuum, suboccultum. — Oculi in fronte connexi.

*) Conferatur *Observatio* 2:da supra nuper allata.

33. *R. morio:* distincte pilosa, subnitida, nigricans, thorace opaco, vix vittato; haustello capite subduplo longiore; alis aut hyalinis (♂), aut subfuscanis (♀); nervo costali halteribusque nigro-fuscis, area discoidali oblongo-ovata; pedibus simplicibus, spinulosis, piceis; ano maris subsimplici. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 565. 13. ♂♀.

Hab. in Finmarkia occidentali Norvegiæ, rarissime; in silva betulina ad Alteidet prope mare glaciale haud longe a NordCap unicum par in copula junctum d. 1 Aug. 1821 inveni.

♂♀. Priori valde affinis & similis, sed alarum nervis paullo minus validis, costali fusco, nec intense nigro, area discoidali oblongo-ovata, nec ut in priori breviter ovata, pedibusque nigro-piceis, & hoc in utroque sexu, vere diversa. Antennæ ♂ (casu?) erectæ, feminæ horizontaliter porrectæ. Oculi ♂ in fronte connexi, ♀ late distantes. Thorax cinereo-nigricans, subimmaculatus. Anus maris ut in priori, sed filum ferrugineum minus occultum; anus igitur ut in *R. albo-segmentata* constructus; feminæ acutus bistylatus. Reliqua exacte ut in præcedente.

34. *R. alpina:* breviter pilosa, subnitida, nigricans, thorace obscure cinereo, opaco, vittis 3 fuscis; haustello capite subduplo longiore; alis fuscanis, basi determinate flavis, stigmate nigricante, area discoidali oblongo-ovata; pedibus simplicibus, spinulosis, nigris; ano ♂ hiante, filum emittente. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 565. 14. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi, rarissime; in alpe Brattiksfjellet d. 8 Aug. 1832 utrumque sexum inveni.

♂♀. Priori iterum similis, sed distincta: thorace evidentius fusco-trivittato, alis in utroque sexu fuscis, basi flavescentibus, stigmate latius nigro, area discoidali subcuneata seu apice exteriori fere truncata, corpore brevius & minus dense piloso, femoribus subtus non spinulosis, ut & ano maris hiante, piloso, superne forcipe oblique erecta subelongata, atra, nitida, inferne segmento ultimo ventrali fornicato, aperto, e quo filum elongatum, validum, liberum, flexuosum, flavum emittitur. Haustellum capite in ♂ duplo, in ♀ triplo longius. Cetera omnia ut in priori.

35. *R. caudata:* pubescens, nitida, atra; haustello longitudine capitis; alis aut hyalinis (♂), aut leviter fuscis (♀); area discoidali ovata; halteribus nigris; pedibus aut tibiis tarsisque pilosis (♂), aut totis nudis (♀); ano maris hiante, cauda elongata, cylindrica, oblique erecta. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 565. 15. ♂.

Hab. in Scandinavia septentrionali, rarius, 5 Jun.— 22 Jul. obvia; scilicet in Lapponia Suecica boreali Tornensi ad pagos Kardis & Juckasjervi in floribus Salicis 1821, maribus detecta; & deinde in alpibus insignibus Kälahögar, in jugo alpino Norvegiæ in Værdalia sitis, in ipsa nive d. 22 Jul. 1840 reptans a D. *Dahlbom* & me, uterque sexus inventus. — Ad Stockholmiam quoque lecta erit, testante D. Prof. *Wahlberg.*

♂♀. Species parva, cauda maris singulari ab omnibus dignota. Tota atra, nitida; mas pilosus, femina pubescens. Oculi ♂ cohærentes, ♀ interstitio nitido sejuncti. Alæ ♂ hyalinæ, ♀ fuscæ; nervo costali nigro. Anus maris, ater, nitidus, pilosus, hians, inferne fornicatus, filum elongatum valde capillare, fuscum emittens; superne cauda erecta, constans valvulis 4 conniventibus, quarum 2 brevioribus vaginantibus,

& 2 interioribus longioribus, omnibus simul cylindrum elongatum formantibus. Pedes picei, plerumque nigri, feminæ simplices, nudi, validi; maris tibiis tarsisque distincte & sat dense pilosis, metatarsis posticis subincrassatis,

36. *R. griseola:* pubescens, opaca, obscure cinerea; haustello capite paullo longiori; halteribus fuscis; alis albo-hyalinis, stigmate obsoleto, area discoidali ovata; pedibus simplicibus, pubescentibus, nigris; ano maris subhiante. ♂. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 571. 43. ♂.

Hab. in Værdalen Norvegiæ, rarius: ad Garnæs in floribus Salicis Capreæ 1832 a D. *Boheman* inventa; ad Suul in jugo alpino, d. 11—15 Jul. 1840 ipse legi.

♂. Parva, obscure cinerea, thorace obsoletissime trivittato, vitta media vix conspicua. Antennæ longitudine capitis, & haustellum validum, nigra. Alæ albo-hyalinæ, nitentes, nervo costali nigro, area discoidali in altera ala interdum incompleta (apice aperta). Halteres sordide albidi l. fusci. Anus subhians, pubescens, cauda superne parum longa, inferne e rictu ventrali fornicato filum valde capillare, liberum, haud elongatum, fuscum emittens. Pedes validi, nigricantes, pubescentes, tibiis leviter spinulosis.

37. *R. pusilla:* breviter pilosa, opaca, nigricans, thorace obsolete nigro-trivittato; haustello capite nonnihil longiori; halteribus nigris; alis hyalinis, ad costam subinfuscatis, stigmate obsoleto, area discoidali ovata; pedibus simplicibus, pilosis, nigro-piceis; ano maris simplicissimo. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 569. 34. ♀. (♂ & ♀).

Hab. in Finmarkia occidentali Norvegiæ, rarissime; inter Kauteokeino & Karesuando in jugo alpino d. 13 Aug. duo specimina simul inveni, quorum unum mascu-

lum, alterum femineum, ambo in Insectis Lapponicis l. c. ut feminæ introducta & descripta.

♂♀. Parva, gibba, obscure cinerea, opaca, pilosula. Antennæ capite transverso nonnihil longiores, nigræ. Abdomen nigricans, opacum, ano ♂ obtuso, simplici, ♀ acuminato. Alæ cinereo-hyalinæ, ad basin & versus costam leviter subinfuscatæ, linea loco stigmatis obscura. Pedes validi, piceo-nigri, pubescentes, tibiis præsertim maris distincte pilosis.

38. *R. fraternella:* glabricula, nitida, atra; haustello capite nonnihil longiori, suboblique exserto; halteribus aut nigris (♂), aut pallidis (♀); alis hyalinis, stigmate fusco, area discoidali elongato-ovata; pedibus simplicibus, subnudis, fuscis, geniculis pallidis; ano maris subsimplici. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins Lapp. 570. 39. ♂♀.

Hab. in Suecia septentrionali, rarius; in floribus Salicis Lapponiæ Tornensis a me aliquoties capta, scilicet marem ad Kardis 5 Jun., & feminam ad pagum Juckasjervi 29 Jun., inveni. — In Jemtlandia a D. *Boheman* lecta.

♂♀. Valde similis *R. oedalinæ* (n:o 31), sed differt haustello forte nonnihil longiori, pedibus paullo obscurioribus, & halteribus in ♂ nigris, quare etiam in hac subdivisione, licet anxius, locavi. — Nigra, tota nudiuscula, capite thoracisque dorso tantum leviter pubescentibus. Halteres maris nigri, feminæ pallidi. Antennæ in tribus meis speciminibus haud completæ. Anus maris simplex, superne stylis 2 parvis, brevissimis, filiformibus, erectis, fuscis, & inferne corpusculo brevi, arcuatim recurvato, filiformi, nigro. — Reliqua ut in *R. oedalina.*

39. *R. dispar:* pilosula, opaca, nigro-cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato; haustello capite paullo longiori, parum crasso; halteribus alisque aut albidis

(♂), aut fuscis (♀); area discoidali ovata; pedibus simplicibus, pubescentibus, fuscis; ano maris subsimplici. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Mas: pilosus, oculis in fronte connexis; alis simplicibus albo-hyalinis, stigmate obsoleto; halteribus albidis; ano subsimplici, piloso, leviter hiante, superne cauda parva, brevissima, exserta, inferne filum capillare, arcuatim reflexum, ferrugineum emittente;

Fem.: pubescens, oculis sejunctis; alis latis, brunneis, stigmate obscuro; halteribus fuscis; ano acuminato; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 570. 35. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum Scandinaviæ septentrionalis, 5 Jun.—3 Jul., passim frequens; scilicet in Lapponiis borealibus, vulgaris; sed in Lapponia meridionali Umensi parcior; in alpe Dovre, D. *Boheman*.

♂♀. Affinis *R. albipenni* (24), & mares utriusque speciei simillimi præter longitudinem & tenuitatem haustelli scilicet in *albipenni* capite fere brevioris & crassi, in *R. dispari* vero capite fere duplo longioris & tenuis. Feminæ magis discrepant; alis nempe in *albipenni* hyalinis, in *dispari* subdilatatis, totis brunneis. Variat pedibus fuscis, piceis vel piceo-testaceis, forte secundum ætatem diversam. In ♀ nervulus exterior areolam discoidalem includente obsoletissimus. Individuum unicum masculum haustello pectoris longitudine vidi.

40. *R. fuliginella:* pilosula, opaca, nigro-cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato; haustello capite paullo longiori, parum crasso; halteribus (♀) sordide albidis, alis (♀) latis, nigris, area discoidali ovata; pedibus simplicibus, pubescentibus, nigris. ♀. (Long. vix 1 lin.).

R. dispar var. b. ♀ Zett. Ins. Lapp. 570. 35.

Hab. in Scandinavia boreali, 29 Jun.—16 Jul., rarius, nec cum priori mixta mihi obvia; scilicet in

Jemtlandia boreali ad Skalstugan; & in jugo alpino Norvegiæ ad Suulstuen Værdaliæ 7 specimina inveni. In Norvegia quoque a D. *Boheman* lecta.

♀. Simillima priori, sed fere paullo minor, & alis nigris, minime brunneis, halteribus sordide albidis, nec non pedibus totis nigris, minime piceis l. rufescentibus, sine dubio distincta. Separatim quoque occurrunt. Nervi ad basin alarum albedine cinguntur. Area discoidalis breviter ovata, ad basin alæ subretracta omnino ut in priori, cui etiam in ceteris similis. — Individuum unicum nervulo exteriori aream terminante, deficiente, & exinde area aperta in ambabus alis inveni.

Obs. *R. hirtula* n. sp. tota atra, immaculata, subopaca, villosa, alis hyalinis, stigmate fusco. ♂♀. (long. $2\frac{1}{2}$ lin.), e Grönlandia a D. *Westermann* communicata, in Scandinavia mihi non obvia, *R. villosæ* (32) simillima; sed differt maris ano hiante, filum elongatum, flexuosum, liberum, fuscum emittente, pedibus posticis densius pilosis, & quod magis villosa.

††. Corpore gracili; pedibus longis, tenuibus. Species tipuliformes, alis saltem maris plerumque nigricantibus. Anus maris simplex, forcipe brevissima, parum exserta. Thorax & abdomen parcissime pilosa, in *lucidula* glabra. Pedes simplices, pubescentes, tibiis leviter spinulosis. Mas femina obscurior. Oculi ferruginei, in fronte maris connexi, feminæ distantes.

41. *R. culicina:* opaca, aut nigricans (♂), aut cinerea (♀), ventre pedibusque flavis, tarsis nigris; alarum area discoidali ovata; haustello capite paullo longiori. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: supra nigricans, thoracis vittis 3 obscuris; alis fuscanis, halteribus fuscis;

Fem.: supra cinerea, thoracis vittis 2 fuscis; alis cinereo-hyalinis, halteribus pallidis.

Meig. Dipt. 3. 52. 19. ♂♀. Macq. Buff. 1. 337. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 568. 26. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 28. 29. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, locis umbrosis, per Scandinaviam, tempore autumnali (1 Aug.—8 Sept.) vulgaris; scilicet in Scania minus frequens; in Ostrogothia ubique vulgaris; in Uplandia; in Helsingia freq.; in Jemtlandia ab Hofverberget usque ad Ristansfors in parœcia Undersåker sæpe copiose; deinde rarescit, & in Lapponia meridionali non nisi parcissime occurrit.

♂♀. In hac subdivisione major. Antennæ capite paullo longiores, nigræ. Abdominis latera & venter, flava. Pedes toti cum coxis flavi, tibiarum summo apice tarsisque nigro-fuscis. Alæ basi subpallescentes. Area discoidalis breviter ovata, apice exteriori subtruncata. — Affinis *R. variabili* (23) minus pilosa.

12. *R. unicolor:* nitida, atra, halteribus concoloribus; alis fuscanis; pedibus pilosis, piceis; haustello longitudine circiter capitis. ♂. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 568. 27. ♂.

Hab. in Nordlandia Norvegica, rarissime; ad Björkvik juxta Ofotenfjord d. 11 Jul. 1811 specimen unicum inveni.

♂. Affinis priori, minor, nigrior, nitidior. Pleuræ parum cinereo-micantes. Anus pilosus, subhians, filum capillare arcuatim reflexum emittens. Area discoidalis ovata; nervus longitudinalis 3:tius modice curvatus. Pedes pilosi, toti cum coxis nigro-picei, tibiis leviter spinulosis.

13. *R. lucidula:* glaberrima, nitida, atra, halteribus pedibusque nudis, fuscis; alis hyalinis, stigmate nigro,

area discoidali subtriangulari; haustello vix longitudine capitis. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Svecia boreali rarissime; in Helsingia ad diversorium Öfver-Hogdal d. 17 Aug. 1810 individuum descriptum inveni.

♂. Corpus & pedes minus gracilia, quam in affinibus. Glabra, atra, nitida, immaculata. Antennæ longitudine capitis transversi. Haustellum breve. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus, sed distinctis; costali & linea stigmaticali, nigris. Area discoidalis breviter ovata seu subtriangularis. Pedes microscopice tantum pubescentes, toti fusci, metatarsis anticis posticisque obscurioribus, leviter incrassatis. Anus obtusus, simplex.

41. *R. sciarina:* opaca, nigra, halteribus obscuris, ventre pallido, pedibus flavis, tarsis fuscis; alis fuscanis, area discoidali ovata in medio alæ; haustello tenui capite duplo longiori. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 51. 21 & 6. Add. p. 339. Zett. Ins. Lapp. 568. 28. ♂. *Empis* Fall. Empid. 28. 30. ♂. *R. tipulariata* Zett. Ins. Lapp. 569. 32. ♂. eadem.

Hab. in Suecia minus frequens, 15 Aug.—12 Sept. obvia; scilicet in Scania ad Abusa; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Westrogothia ad Gothoburgum, *Idem;* in Jemtlandia ad Hofverberberget, ipse; in Lapponia Tornensi rarissime.

♂. Simillima *R. culicinæ*, sed duplo minor, & haustello longiori & tenuiori, abdominis dorso latius intensiusque nigro, halteribus obscurioribus, præprimis distincta. — Scutellum & metathorax cinereo-grisea. — Quam sub nomine *Emp. sciarina* Fall. a D. *Stæger* 1837 mihi communnicatam, ad *Rh. nigripennis* varietatem refero.

Var. b. ♂. haustello pectore fere longiori, de cetero

var. a. simillima, cum qua ad Hofverberget Jemtlandiæ semel capta.

15. *R. nigripennis:* opaca, nigra aut cinerea, halteribus obscuris, ventre pallido; haustello capite paullo longiori; femoribus flavescentibus; alis aut fuscanis (♂), aut hyalinis (♀), area discoidali trapezina, ad basin alæ fere retracta. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Mas: niger, holosericeus, alis fuscanis, metallice nitentibus, stigmate obscuriore; ventre pallido, pedibus plus minus obscuris;

Fem.: griseo-cinerea, alis hyalinis stigmate obscuro, abdomine aut toto, aut saltem ventre, pallido, femoribus flavescentibus; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 569. 31. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 30. 31 ♂♀. (exclus. Syn. Fabr.) — *Rhamphom. umbripennis* Meig. Dipt. 3. 54. 25. ♂♀. Macq. Buff. 1. 338. 17. ♂♀.

Hab. in graminosis & floribus Umbellatarum &c., per Scandinaviam, 7 Jun.—16 Aug., vulgaris, in copula deprehensa; scilicet in Scania, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia, ubique, frequentissima; in Uplandia haud raro; in Helsingia in parœcia Färela ad Storbyn, passim; in Jemtlandia ad Hofverberget & Faxelfven etiam frequens; sed deinde in provinciis magis borealibus & in Lapponia tantum rarissime visa. — E Finlandia a D. *Sahlberg* missa, & e Dania a D. *Stæger* sub nomine *R. umbripenni* Meig. communicata.

♂♀. Minuta. Haustellum capite paullo, interdum duplo, longius, validum. Oculi ♂ rufi, ♀ ferruginei. Area alarum discoidalis paullo angustior, quam in prioribus; trapezina, ad basin alæ nonnihil propius retracta, quæ nota hanc speciem ab affinibus optime distinguit. Nervus longitudinalis septimus rudimentarius, abbreviatus, nec ad marginem interiorem descendens. Antennæ capite transverso nonnihil lon-

giores, apice longe acuminatæ. Pedes in ♂ semper obscuriores sunt, quam in ♀, quæ pedes aut totos flavos, tarsis obscuris, aut flavos, femorum posticorum apice, tibiis tarsisque omnibus nigricantibus, habent.

Var. b. ♀. areola minuta oblongo-quadrata pone aream discoidalem per nervulum transversum inter nervos longitudinales 1 & 5 adjectum orta; in copula cum mare varietatis a. in prato ad Gothem Gottlandiæ d. 5 Jul. 1819, inveni.

46. *R. holosericea;* opaca, atra (♂), aut cinerea (♀), ventre concolore; haustello brevissimo; pedibus fuscis; alis in mare levissime fuscanis, stigmate obscuro, halteribus nigricantibus, aut in femina hyalinis, halteribus albidis; area discoidali in utroque sexu triangulariter elongata. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 58. 33. ♂. Ejusdem Dipt. 7. p. 89.

Hab. in foliis fruticum nec non in floribus Leontodontis & Pruni Padi &c., in hortis & pratis, per Scandinaviam, meridionalem & mediam, 15–26 Maj., passim freq., in copula multoties visa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa &c. vulgatissima, in fenestris etiam sæpe deprehensa; in Ostrogothia ad Lärketorp, passim; deinde rarius occurrit, & supra Nericiam a me haud observata.

♂♀. Minuta, opaca, gibba, parce pilosa. Antennæ capite paullo longiores, subulatæ, seta subdeflexa. Haustellum capite saltem triplo brevius. Alarum area discoidalis, elongata, subangusta, trapezina. Nervus septimus longitudinalis nullus. Pedes validiusculi, simplices, microscopice pubescentes, fusci l. nigro-picei. *Mas:* ater, holosericeus, thorace cinereo-lineato, halteribus obscuris, alis leviter fuscanis, stigmate fusco; *femina* obscure cinerea, halteribus albidis, alis hyalinis, stigmate obsoleto.

Var. b. ♀. pedibus testaceis, alias simillima var. a., cum qua habitat, forte juvenilis.

Obs. *Rh. obscuripennis* Meig. Dipt. 6. 340. 39. ♂. nigra, halteribus alisque fuscis, tarsis obscuris, 1 lin. longa; simillima *R. nigripenni*, a qua tantum differt: nervo longitudinali septimo integro ad marginem interiorem descendente, nec abbreviato; in Scandinavia hactenus non observata quantum novi; nam specimina, quæ sub nomine *obscuripennis* Meig. aliquoties nobiscum a Dipterologis Scandinaviæ communicata vidi, non nisi *nigripennis* varietates fuerunt. — *R. tipulariata* Zett. Ins. Lapp. 569 32 ♂. e numero specierum excludenda, est enim tantum varietas *R. sciarinæ*, a qua levissimis notis aberrat.

Subdiv. 2:da. Pedes ad partem in femina pennati aut ciliati.

α). *halteribus albis.*

17. *R. plumipes:* pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), opaca, cinerea, thorace vittis 3 fuscis, media tenuissima; haustello capite paullo longiori, valido; alis hyalinis, area discoidali oblongo-ovata, pedibus fusco-testaceis, in ♂ simplicibus, in ♀ femoribus posterioribus tibiisque posticis pennatis; ano maris incrassato. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Mas: oculis rufis, profunde facettatis, in fronte connexis; alis albo-hyalinis; abdomine pilosulo, ano rotundato, incrassato, nigro, appendicibus l. filo exsertis nullis, subtus (ad basin ani) carina elevata transversali; pedibus pubescentibus, simplicibus;

Fem.: oculis ferrugineis subtiliter facettatis, distantibus; alis cinereo- l. subfumato-hyalinis; abdomine nudiusculo, acuto; pedibus anticis nudis, femoribus intermediis breviter ciliatis, femoribus tibiisque posticis distincte pennatis; in copula.

Meig. Dipt. 3. 47. 11. Macq. Buff. 1. 339. 21. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 563. 6. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 25. 23. ♂♀ var.: "pedibus subtestaceis".

Hab. in Scandinavia, 15 Maj—18 Jul., sat vulgaris, in hortis & paludosis sæpe obvia, choreas in aëre circa tempus vespertinum instituens, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Esperöd &c. frequens præsertim tempore vernali, in parietibus haud raro uterque sexus etiam visus; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia passim ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Gothem &c. frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia, rarissime; in Lapponia Tornensi & Umensi usque ad radicem jugi alpini procedens, passim; & in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ, rar.

♂♀. Antennæ longitudine capitis, atræ, acuminatæ. Haustellum capite perpendiculari plerumque paullo longius, nigrum, crassum, basi coarctatum. Thoracis vittæ dorsales 3 brunneæ, plus minus distinctæ, media semper tenui, omnes serie pilorum nigrorum ornatæ. Alarum stigma vix ullum. Nervi tenues, longitudinalis septimus integer ad marginem interiorem ductus. Pedes rufescentes l. fusco-testacei, coxis cinereis, geniculis summis albidis, tarsis apice plerumque obscuris. — Ciliæ femorum intermediorum interdum deflexæ, ægre observandæ, ut in varietate γ. ♀. Fall. l. c.

48. *R. geniculata:* pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), opaca, cinerea, thorace vittis 3 fuscis media tenuissima; haustello capite paullo longiori, valido; alis hyalinis, area discoidali oblongo-ovata; pedibus nigris, geniculis summis albis; in ♂ simplicibus, in ♀ femoribus posterioribus tibiisque posticis pennatis; ano maris incrassato. ♂♀. (Long. vix 2 lin.).

Mas & femina omnino ut in præcedente differunt.

Meig. Dipt. 6. 340. 40.? ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 564. 8. ♂♀. *Empis plumipes* Fall. Empid. 25. 23. var. "pedibus obscuris".

Hab. in Scandinavia, 20 April.—1 Aug., vulgaris, in copula; nempe in Scania ad Lund, Gröuby, &c., copiose; in provinciis Sueciæ mediæ rarius obvia; ut ex. gr. ad Gusum Ostrogothiæ, D. *Wahlberg*, & Häradshammar, D. *Stenhammar*; sed in septentrionalibus iterum frequentissima, ut ad Åreskutan & Mullfjellen usque ad Skalstugan in jugo alpino adscendens; in Lapponiæ Umensis Salicetis etiam occurrit; & tandem in Norvegia circa Dovre a D. *Boheman*, & ad Thynæs atque Garnæs Værdaliæ a me haud infrequenter, lecta. E Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Priori simillima, nec differt nisi pedibus nigris & geniculis albis, ut & magnitudine forte paullo minori præsertim in individuis Jemtlandicis & Lapponicis. Similis quoque tantum cum simili in copula juncta deprehensa. Ciliæ & pleuræ pedum in hac specie atræ, in priori nigro-fuscæ. Thorax in nostra plerumque conspicue fusco-vittatus, in *R. geniculata* Meigeni immaculatus dicitur, quare synonymon Illius dubius allegavi.

19. *R. pennata:* parce pilosa, opaca, læte cinerea, thorace vittis 3 fuscis abbreviatis; haustello longitudine capitis, valido; antennis atris, basi testaceis; alis cinereo-hyalinis, area discoidali ovata; abdomine pedibusque flavis, tarsis obscuris, femoribus posticis in ♂ bifascilulatim atro-pilosis, pedibus posterioribus in ♀ nigro-pennatis; ano maris incrassato, filato. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: oculis rufis in fronte connexis; alis cinereo-albido-hyalinis; abdomine breviusculo, ad latera baseos distincte fusco-piloso; ano hiante: superne elevato, aperturæ margine ustulato; inferne ex apertura subfornicata filum ferrugineum basi subcrassum, apice capillare, sursum arcuatim flexum emittente; pedibus pubescentibus, simplicibus, femoribus posticis subtus nigro-ciliatis & ad apicem fasciculis duo-

bus pilorum aterrimorum punctoque extus ad genu brunneo; tibiis ejusdem paris basi intus subexcavatis pro receptione fasciculorum;

Fem.: oculis distantibus; alis leviter fumato-hyalinis; abdomine acuminato, subpubescente; pedum posteriorum femoribus tibiisque utrinque longe atro-brunneo-pennatis.

Macq. Buff. 1. 338. 19. ♂♀. Meig. Dipl. 7. 91. 46. ♂♀. Sub nomine *Rh. compta* olim a me inter Amicos meos entomologicos divulgata.

Hab. in Salicetis Scaniæ, 27 Jun.—3 Jul., passim; ad Lund a me & Magist. *Eb. Rosenschöld* lecta, certis annis haud infrequenter obvia; in Gallia boreali jam mense majo proveniens, teste D. *Macquart*. E Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Species valde eximia & pulchra. Antennæ capite paullo longiores, flavæ, articulo ultimo nigro. Vittæ thoracis dilute brunneæ, tenues, distinctæ, utrinque abbreviatæ. Alarum nervi validi; longitudinalis septimus integer. Tarsi nigri. Halteres pallide flavi.

50. *R. obscura:* pilosa, opaca, nigricans, immaculata; haustello capite longiore; alis hyalinis (♂), aut subfumatis (♀), area discoidali oblongo-ovata; pedibus nigris, pilosis, in ♂ simplicibus, in ♀ femoribus posterioribus ciliatis; ano maris hiante, filato. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 561. 10. ♂♀. (excl. syn. Fall.).

Hab. in Scandinavia septentrionali, 15—21 Jul., passim; in copula; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan prope radicem jugi alpini haud infrequens; in Lapponia Tornensi, D. *Deutsch;* in Norvegia ad Suulstuen in jugo alpino Værdaliæ nec non in Nordlandia ad Tromsœ, passim; in Ostrogothia ad Gusum, teste D. *Wahlberg*, mihi in Suecia meridionali vel media nunquam obvia.

♂♀. Pilosa, obscure nigra, thoracis vittarum 3 nigrarum vestigio; pleuris obscure cinereis. Oculi ♂ connexi, ♀ distantes. Haustellum ♂ longitudine capitis, ♀ interdum fere duplo longius, in utroque sexu nigrum, validum. Antennæ longitudine capitis, acuminatæ, nigræ. Anus ♂ hians, niger, superne forcipe brevi, inferne ex apertura parum fornicata filum elongatum, totum capillare, nigrum, sursum flexuosum emittente; feminæ acutus. Alæ ♂ hyalinæ, ♀ leviter fuscanæ, stigmate in utroque sexu nigro, nervis distinctis, longitudinali 7:mo integro. Halteres albi. Pedes validi, pubescentes, nigri l. picei, maris simplices, tibiis posticis distincte pilosis; feminæ femoribus posterioribus subtus leviter ciliatis, ciliis vix nisi attento oculo conspicuis.

51 *R. tarsata:* pubescens, nitida, atra, haustello longitudine capitis, alis hyalinis (♂), aut subfuscanis (♀), stigmate nigro, area discoidali ovata; pedibus nigricantibus, maris tibiis pilosis, metatarsis anticis posticisque elongatis, subincrassatis; feminæ femoribus posterioribus pennatis; ano maris hiante, filato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 45. 6. ♂. Stæg. in litt. 21 Aug. 1839.

Hab. in Scandinavia, rarissime; marem ad Esperöd Scaniæ d. 17 Jul. 1820, & feminam in Nordlandia Norvegica ad Evenäs d. 17 Jul. 1821, inveni. Utrumque sexum a benevolo D. *Stæger* obtinui, qui plures mares in pagina inferiori foliorum Coryli medio mensis Julii deprehendit in Dania.

♂♀. Similis priori, sed corpore minus piloso, at magis nitido, alarum area discoidali breviori, & metatarsis maris incrassatis, abunde distincta; similis & affinis quoque *R. nitidulæ* (n:o 12), sed maris structura ani, & feminæ pennatura pedum mox dignota. Caput ut in præcedente, haustello paullo breviori. Halteres albi. Thorax levissime albomicans, lineis 3 dorsalibus atris. Anus maris hians, pilosus, filum capillare, elongatum, sursum arcuatim flexum,

fuscum l. ferrugineum ex apertura ventrali parum fornicata emittens. Pedes feminæ plerumque ferruginei, posteriores compressi, pennis fuscis aut nigricantibus.

52. *R. fascipennis:* pubescens, opaca, cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato; abdomine canescente; haustello capite parum longiore, valido; alis albidis, fascia basali leviter fusca, nervis tenuibus, area discoidali ovata; pedibus nigro-piceis, posticis in ♀ compressis, dilatatis, femoribus utrinque tibiisque extus ciliatis. ♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 564. 9. ♀.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarissime; in foliis Betulæ albæ ad Evenæs juxta Ofotenfjord d. 17 Jul. 1821 individuum unicum inveni.

♀. Parva, robusta, gibba, cinerea. Caput cinereum, vertice pilosulo. Antennæ longitudine capitis, nigræ. Haustellum capite perpendiculari vix l. parum longius, nigrum. Thorax pubescens. Abdomen subnudum, canum. Alæ albescentes, fascia basali fusca, valde obsoleta, nervos transversos transiente. Nervi tenues, pallidi, longitudinales 2 & 3 paullo distinctiores, costalis obscurior, stigmate nullo. Halteres albi. Pedes pubescentes, antici simplices, femoribus intermediis tenuissime ciliatis, at femoribus tibiisque posticis late compressis, illis utrinque, his extus, distincte ciliatis l. subpennatis.

53. *R. costata:* pubescens, opaca, cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato; abdomine obscuro; haustello capite parum longiore, valido; alis cinereo-hyalinis, costa fuscana, area discoidali ovata; pedibus fuscis, posticis in ♀ compressis, dilatatis, femoribus ciliatis, tibiis extus pennatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; ad Gothem specimen unicum mens. Jul. inveni.

♀. Priori similis & affinis, sed differt ab illa abdomine nigricante, nec cano, alis magis fuscanis præsertim versus costam, ubi etiam nervi magis distincti, ut & femoribus posticis tenuiter tantum, nec distincte, ciliatis, tibiisque posticis intus brevissime ciliatis, extus sat longe fusco-pennatis. Pedes postici fusco-testacei. Reliqua ut in priori.

54. *R. obscurella:* pubescens, opaca, cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato; abdomine obscuro; haustello capite duplo longiore; alis cinereo-hyalinis, basi leviter fuscanis, area discoidali ovata; pedibus nigris, femoribus intermediis extus, posticisque utrinque, pennatis, tibiis posticis utrinque ciliatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad diversorium Thynæs prope Levanger in prato juxta littus maris d. 2 Jul. 1840 exemplum descriptum inveni.

♀. Similis prioribus sub n:ris 50, 52 & 53 descriptis, sed a *R. obscura* colore lætiori, thorace breviter pubescente, nec piloso, alis distincte latioribus, parum infuscatis, nec ut in *obscura* angustatis, fuscanis; a *fascipenni* alis basi leviter infuscatis, limbo marginis interioris hyalino, nec albidis, nervis paullo distinctioribus, pedibus nigris, nec piceis, femoribus intermediis extus subpennatis, nec tantummodo ciliatis, a *costata*, alarum costa minus infuscata, macula scilicet stigmaticali parum perspicua, pedibus nigris, nec fusco-testaceis, posticis haud compressim dilatatis, tibiis leviter ciliatis, nec extus pennatis; & ab his omnibus haustello pectoris fere longitudine. Nec cohabitant. Halteres albi. Cetera ut in diagnosi. — In ala sinistra pone aream discoidalem inter nervos 4 & 5 longitudinales areola minuta, quadrata, areæ immediate adjecta observatur. Antennæ breves, vix longitudine capitis, articulo ultimo compresso-ovato, seta sat longa deflexa; hinc quoque a *R. obscura* distinguitur, quæ antennas subulatas habet.

Obs. *R. tibiella* ♂♀ Stæg. in litt. Similis *R. costatæ*, sed differt: haustello paullo longiore, alarum costa non fuscana

& femoribus subnudis. Tibiæ posticæ extus pennatæ. — *Mas:* alis albidis, pedibus nudis, ano ut in *R. tarsata*. Speciem vero hanc in Suecia non inveni.

β.) halteribus nigris l. fuscis.

55. *R. vesiculosa:* subpilosa, opaca, obscure cinerea, thorace nigro-bivittato; haustello capite paullo longiore, crasso; halteribus nigro-fuscis; alis simplicibus, hyalinis (♂), aut dilatatis, brunneis (♀); pedibus obscure ferrugineis, in mare tibiis posticis totis, intermediis basi, geniculisque omnibus, albidis; in femina geniculis albidis, pedibus posticis subpennatis; maris vesica anali reflexa, livida. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: oculis in fronte connexis; alis simplicibus, albo-hyalinis, nervo costali loco stigmatis crasso, obscuro; cauda elongata, reflexa, abdominis dorso incumbente, apice vesiculosa sordide albida;

Fem.: oculis sejunctis; alis latioribus, brunneis; femoribus intermediis pubescentibus, posticis breviter nigro-pennatis, tibiis posticis fusco-ciliatis; in copula.

Zett. Ins. 566. 18. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 27. 27. ♂♀. *Rhamph. Falleni* Meig. Dipt. 3. 50. 17.

Hab. in floribus & foliis Salicis, per Scandinaviam, 20 Maj—22 Jul., passim, in copula; scilicet in Scania ad Abusa; in Smolandia, D. *Pontén;* in Ostrogothia ad Lärketorp; in Westrogothia ad Mysseberg, D. *Gyllenhal;* in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi: & in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ ad Björkvik & Giebostad; nullibi vero frequenter occurrit.

♂♀. Robusta. Antennæ longitudine capitis, nigræ, basi fuscæ. Thoracis vittæ dorsales tres, nigro-brunneæ, pilosæ, media tenuissima. Area discoidalis ovata; nervus longitudinalis septimus integer. Pedes plus minus ferruginei l. fusci, tibiis tarsisque posticis in ♂ albidis. Anus maris incrassatus, niger, nitidus, cauda vesiculosa, clavata, reflexa auctus.

56. *R. atripennis;* subpilosa, opaca, obscure cinerea, thorace nigro-bivittato; haustello capite paullo longiore, crasso; halteribus fusco-nigris; alis simplicibus, hyalinis (♂), aut latis, nigerrimis (♀); pedibus nigris, in mare tibiis posticis totis, geniculisque omnibus, albidis; in femina geniculis albidis, pedibus posticis subpennatis; maris vesica anali reflexa, livida. ♂♀. (Long. 2⅛ lin.).

Ramphom. anthracina Zett. Ins. Lapp. 567. 23. ♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis lucis, 19 Jun.—23 Jul., passim, in copula capta; scilicet in Jemtlandia ad Grimnäs, Fanbyn & usque ad Skalstugan in jugo alpino, passim, sed in nemore ad diversorium Forsa juxta radicem Mullfjellet feminas sat alte in aëre choreas ducentes d. 27 Jun. copiose vidi, & aliquot paria in copula juncta quoque deprehendi; in Lapponia Umensi ad lacum Stor-Uman parcissime visa, & in Norvegia media etiam a D. *Boheman* inventa. — In Uplandia ad Holmiam lecta quoque erit, teste D. *Wahlberg*.

♂♀. Præcedenti valde similis & affinis, sed maris pedum intermediorum tantum geniculis summis, nec tibiarum basi, albidis, feminæ alis magnis totis aterrimis, nec brunneis, & pedibus in utroque sexu saturate nigris, facile dignota, nec nisi similem cum simili copulatam observavi. Pedes nigri, maris pilosi l. spinulosi, tibiis posticis tenuibus tarsisque, albis, nudis & inermibus; feminæ breviter pilosi, posticorum femoribus utrinque distincte ciliatis seu brevissime pennatis, tibiis etiam bifariam ciliatis. Reliqua ut in priori.

Obs. Rh. anthracina Meig. Dipt. 3. 54. 23. "atra nitida, alis obscure fuscis, margine antico saturatiori" alia est species, ex Austria, jam 1822 l. c. descripta, quare nomen nostrum 1828 fictum ut junius abeat, & in *atripennem* mutetur.

57. *R. alata:* subpilosa, opaca, cinerea, thorace nigro-subtrivittato; haustello capite paullo longiore, cras-

so; antennis basi fuscis; halteribus nigro-fuscis; alis feminæ amplis, brunneis; pedibus piceo-nigris, geniculis concoloribus, femoribus intermediis tibiisque posticis ciliatis, femoribus posticis utrinque breviter nigro-pennatis. ♀. (Long. 2¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 567. 20. ♀.

Hab. in floribus Salicis per Scandinaviam, 5 Jun.—30 Jul., rarius; nempe in Westrogothia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Uplandia ad Holmiam, Idem; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi; in Norvegia inter Næs & Thynæs Værdaliæ, ut & in Gamsttind Nordlandiæ.

♀. *R. vesiculosæ* simillima, differe tamen videtur magnitudine nonnihil majore, alis paullo magis dilatatis & pedum geniculis vix pallidis. An ab illa vere distincta species? — Mas mihi ignotus. In ala dextra unius individui areolam quadratam inter nervos longitudinales 4 & 5 areæ discoidali pone immediate àdjectam vidi.

58. *R. Vespertilio:* subpilosa, opaca, cinerea, thorace nigro-bivittato; haustello capite paullo longiore, crasso; halteribus nigro-fuscis; alis subfumato-hyalinis, nervis validis, stigmate obscuro; antennis pedibusque totis nigris, femoribus intermediis pedibusque posticis in femina nigro-pennatis. ♀. (Long. 2¼ lin.).

Hab. in Jemtlandia, rarissime; ad diversorium Forsa juxta radicem Mullfjellet d. 27 Jun. 1840 individuum unicum invenit D. *Dahlbom.*

♀. Alis subhyalinis & pennatura pedum a feminis trium proxime præcedentium specierum, quibus alias similis, mox & vere differt. Antennæ totæ nigræ. Thoracis vittæ dorsales 2 abbreviatæ, brunneo-nigræ, remotæ, vix vestigio intermediæ. Abdomen cinereum, latum, subnudum, segmentis ventralibus mediis breviter atro-hirtis. Alæ hyalinæ, basi in-

determinate & fere ad aream mediam fuscanæ, stigmate distincte nigro. Nervi validi, obscuri. Area discoidalis ovata, nervo exteriori nervulo inchoanti intus aucto in utraque ala. Halteres & squama, obscura. Pedes nigri, validi, pilosi, intermedii femoribus utrinque breviter pennatis, tibiis ciliatis, postici femoribus tibiisque utrinque distincte nigro-pennatis.

59. *R. plumifera:* glabricula, nitida, atra, immaculata, halteribus concoloribus; haustello capite fere breviore; alis dilatatis nigris; pedibus nigro-piceis, femoribus intermediis pedibusque posticis in femina pennatis. ♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 567. 21. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi, rarissime; ad radicem alpis Brattiksfjellet specimen unicum, & inter novaccolarum sedes Tresunda ac Nästansjö, alterum, d. 8—13 Jul. 1832 inveni, in Jemtlandia ad Östersund 27 Jun. 1840 individuum tertium legit D. *Dahlbom.*

♀ Parva, atra, nitida, parum pubescens. Affinis & similis *R. tarsatæ* (51), sed alis halteribusque obscurioribus, & femoribus etiam intermediis subpennatis distincta. Antennæ capite parvo nonnihil longiores, subulatæ. Haustellum longitudine fere capitis, basi crassum. Pleuræ obscure cinereæ. Alæ latiores, brunnescenti nigræ, stigmate obscuriore, nervis inprimis nigredine cinctis; area discoidali ovata. Squamæ & halteres, nigra, petiolo pallido. Pedes nigro-picei, subpubescentes, femoribus intermediis utrinqne ciliatis, femoribus tibiisque posticis utrinque breviter obscure pennatis; metatarsis posticis subincrassatis, dense pubescentibus.

60. *R. æthiops:* hirsutula, sudnitida, atra, immaculata, halteribus concoloribus, haustello capite paullo longiori, crasso; alis subfusco-hyalinis, stigmate obscuriore; pedibus in mare simplicibus, posticorum in femina femoribus pennatis, tibiisque ciliatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 568. 24. ♂♀.

Var. b. ♀. Paullo minor, thorace cinerascenti nigro, pedibus fuscis, femoribus tantum posticis pennatis; in ceteris var. a. similis. — Zett. l. c. var. b.

Hab. in Suecia media & boreali, rarius; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Uplandia circa Holmiam ad Nacka 1835, D. Prof. *B. F. Fries;* in alpibus Dalecarlicis uterque sexus, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad Mullfjellet 27 Jun. 1840, ipse; in Lapponia Umensi, semel. Var. vero b. in Norvegia? a D. *Boheman* rarissime inventa.

♂♀. Similis *R. Vespertilio* (58), sed duplo minor, magis nitida, colore nigriore &c. distincta. Antennæ longitudine capitis, compresso-conicæ, seta brevissima. Haustellum basi coarctatum. Pleuræ nigro-cinereæ, nudæ. Thorax dorso opacus. Abdomen nitidum. Alæ hyalinæ, basi & costa levissime fuscanæ. Area discoidalis paullo longius ovata, quam in priori. Pedes maris simplices, pilosi, feminæ microscopice pubescentes, posticorum femoribus utrinque breviter nigro-pennatis, tibiisque ciliatis, metatarsis haud incrassatis. Anus maris appendice atra.

61. *R. gibba:* glabricula, nitida, atra, halteribus magnis concoloribus; haustello capite paullo breviore, crasso; alis albo-hyalinis, stigmate nullo, nervis tenuibus, area discoidali elongata; pedibus nigro-piceis, subnudis, tibiis posticis validis, extus in mare breviter pubescentibus, in femina ciliatis. ♂♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 58. 32, ♀. *Empis* Fall. Empid. 32. 41. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum in hortis & pratis, etiam in silvis Abietinis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 17 Aug.—6 Sept., passim; scilicet in Scania ad Absa, Esperöd &c. haud infrequenter; in Smolandia ad Annæberg, D. *Boheman;* in Ostrogothia, ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; sed supra Ostrogothiam hactenus non observata, quantum novi.

♂♀. Tibiarum posticarum structura & vestitu ab omnibus dignota. Minuta, tota atra, nitida, gibba. Alæ albidæ, me-

tallice renitentes, nervis tenuissimis, albis, area discoidali lanceolata; nervo longitudinali septimo abbreviato. Halterum petiolus albidus, clava magna, rotundata, nigricante. Anus maris subhians, superne cauda brevi, pilosula, erecta; inferne fornicatus filum arcuatim sursum flexum, ferrugineum, basi crassum, capillare, emittens. Pedes fusci, subnudi, tibiis validis, in ♂ subarcuatis, extus pube brevi serrulatis, in femina extus distincte ciliatis.

Obs. *Rh. hybridæ* mas, corpore nigro, in Sectione sequente inveniendus.

Sect. 2. *Corpus flavicans, opacum gracile* (in *R. hybridæ* mare corpus nigrum).

62. *R. flava:* parce pilosa, testacea, pedibus elongatis, simplicibus, flavis, tarsis obscuris, capite cinereo, antennis in ♂ apice, in ♀ totis, nigris; haustello capite duplo longiore, tenui; alis pallescenti hyalinis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 59. 36. ♂♀. Macq. Buff. 1. 335. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 572. 45. ♂♀. *Empis* Fall. Empid. 30. 35. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum & Compositarum, libenter locis umbrosis, per Scandinaviam, 16 Jul.—15 Sept., vulgaris; scilicet in Scania, Ostrogothia, Helsingia & Jemtlandia usque ad Hofverberget, mihi ubique frequenter obvia, deinde rarescit & in Botnia atque intra limitem Lapponiæ non nisi rarissime visa.

♂♀. Tenera, flava. Oculi in viva rufescentes. Alæ flavescenti hyalinæ, stigmate nullo, area discoidali ovata. Nervus longitudinalis 7:mus abbreviatus. Tibiæ spinulosæ. Tarsi fusci. Abdomen dorso plus minus infuscato; interdum fusco-snbannulatum. Anus maris simplex, obtusus.

63. *R. hybrida:* parce pilosa, corpore nigro (♂), aut testaceo (♀), pedibus elongatis, simplicibus, flavis, tarsis obscuris, capite cinereo, antennis nigris; haustello capite duplo longiore, tenui; alis fuscanis (♂), aut hyalinis (♀). ♂♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: ater, halteribus concoloribus, pedibus flavis, tarsis obscuris, alis fuscanis;

Fem.: testacea, capite cinereo, antennis nigris, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, alis hyalinis; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 572. 46. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, mense Augusto, in Suecia boreali rarius, ad Hernösand & in Lapponia Umensi ad Lycksele aliquot paria in copula deprehensa; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar;* in Ostrogothia ad Gusum & in Westrogothia ad Gothoburgum quoque visa erit, teste D. *Wahlberg.*

♂♀. Magnitudo & formatio partium omnino ut in priori, nec feminæ utriusque sexus multum differre videntur. Sed mas *R. hybridæ* iterum *R. sciarinæ* mari (44) valde similis est. An copulatio hybrida?

Obs. Respectu habito ad structuram ani maris & nuditatem l. pennaturam feminæ in diversis speciebus valde diversas, ut alias notas discernentes reticeam, genus hoc, numero formarum magno abundans, in plura posthac jure sine dubio dividetur.

54. GLOMA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, pilosum. Antennæ porrectæ, breves, articulo 1:mo brevissimo, tenui, 2:do cyathiformi cum 3:tio globoso in unum fere coalitis, seta longa, arcuatim deflexa. Haustellum subperpendiculare. Nervus tertius longitudinalis fere ut in *Hilara* furcatus, at ramus furcæ superior basi abbreviatus seu vix conspicuus. Pedes simplices. *Color* niger. *Habitatio* . . . *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte arcte connexis; ano simplici, obtuso; *femina.* . . .

1. *G. fuscipennis:* nigra, pilosa; abdomine compresso, nigro-brunneo, incisuris flavescentibus; halteribus pedibusque brunneis; alis fuscanis, stigmate obscuro. ♂. (Long. vix 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 14. 1. Tab. 22. f. 11. ♂. Macq Buff. 1. 345. 1.

Hab. in Svecia rarissime; ad Holmiam a D. Prof. *Wahlberg* tempore vernali inventa erit.

♂. Similis *Hilaræ*, antennarum forma præcipue dignota. Nigra, pilosula. Femora omnia & tibiæ posticæ, subciliata.

Alarum area discoidalis, in medio alæ sita, ovato-triangularis. Nervus longitudinalis septimus abbreviatus, h. e. non usque in summum marginem interiorem continuatus.

55. MICROCERA Zett.

Corpus minutum, angustum, tenellum, opacum, parum pilosum. Antennæ omnium brevissimæ, seta capillari, longa, deflexa. Haustellum longitudine fere capitis, apice deflexum l. geniculatum. Alæ elongatæ, angustæ, nervo longitudinali 7:mo abbreviato. Pedes elongati, omnino nudi & inermes. *Color* obscurus. *Motus* haud celer. *Habitatio* in foliis plantarum, locis umbrosis, paludosis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte connexis, ano valde incrassato, abdomine scilicet apice instructo cauda oblonga, transversim affixa, nigra, subnitida, nuda, apice superiori stylis 4—6 brevissimis pilosis aucta; *femina*: oculis remotis, ano simplici.

1. *M. rostrata:* opaca, nuda, grisea, antennis, haustello abdomineque nigricantibus; alis cinereis, halteribus fuscis; pedibus piceis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 572. 1. ♂♀.

Hab. in Scandinavia præsertim boreali, 4 Jun.—1 Sept., passim; rarius; scilicet in Lapponia Tornensi ad Kengis & Karesuando, passim; in Umensi ad Lycksele, Umenäs & Wilhelmina, minus frequens; in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, in Herjedalia ad Öfver-Hogdal, in Dalecarlia ad Rusgård, rarissime; e Lapponia & provinciis Sueciæ septentrionalibus ad meridionales parcissime descendit, & in pariete domi Universitatis Lundensis Scaniæ, prope terram semel mihi obvia; ad rivulos in convallibus alpium Dovreensium a Domino *Boheman* quoque lecta.

♂♀. Minuta. Antennæ brevissimæ. Caput nutans. Abdomen angustum, cylindricum. Alæ cinereæ, nervis longitudinalibus simplicibus; area discoidali elongata, angusta. Halteres sordide albidi l. fusci. Pedes tenues, picei l. fusco-testacei. Anus ♂ tumidus.

DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI CORRESPONDENTE.

TOMUS SECUNDUS.

LUNDÆ,

EX OFFICINA LUNDBERGIANA,

SUMTIBUS AUCTORIS.

1843.

SOCIETATI ENTOMOLOGICÆ,

quæ Sedini floret,

Tomus Hicce Secundus

d i c a t u s.

56. HYDROPHORUS Fall.

Corpus majoris, mediæ aut minoris magnitudinis. Antennæ breves, articulo ultimo brevi, subovato, compresso, seta dorsali aut subapicali, nuda deflexa. Oculi in utroque sexu remoti, pube brevissima sæpe vestiti. Abdomen rectum. Alarum nervi longitudinales simplices, 4:tus paullo curvatus, in summo fere apice alæ cum nervo costali conjunctus. *Color* æneseens. *Motu* agilis. *Habitatio* aut (Subd. 1.) ad aquam, supra quam sæpe celeriter currit, aut (Subd. 2) in parietibus & truncis, in quibus corpore erecto tranquillus sedet. *Differentia sexus; mas:* ano filis vel corniculis duobus, aut varie appendiculato, & epistomate angustiore; *femina:* ano simplici.

Subd. 1. Setá antennarum distincte dorsalis. (Majores). Ænescentes. *Medeterus* Macq.

1. *H. regius:* pallide virescens, thoracis lineis 4, abdominisque incisuris, purpurascenti nigris, alis hyalinis, puncto discoidali fusco. ♂♀. (2½ fere 3 lin.).

Mas: puncto in apice alarum albissimo, fusco-cincto; genitale brevi, inflexo, filis 2 elongatis, articulatis, nigris, pilosis appendiculato; epistomate inferne albo micante:

Fem.: alis præter punctum discoidale ad nervum quartum, immaculatis; epistomate inferne sæpe violaceo; in copula.

Fall. Dolichopod. 2. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 700. 1. ♂♀. *Dolichopus* Fabr. Antl. 267. 5. ♀. *Musca virens* Panz. Fn. 54. 16. *Medeterus regius* Meig. Dipt. 4. 60. 1. ♂♀. tab. 35. f. 16. ♂. — Macq. Buff. 1. 451. 1. ♂♀.

Hab locis umbrosis ad aquas, in parietibus & muris sæpe sedens, per Sueciam, 24 April—15 Sept., passim, in copula deprehensus; scilicet in Scania ad Esperöd certis annis freq., D. *Fallén;* in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp, haud raro; in Westogothia ad Kinnekulle, D.

Gyllenhal, & ad Trollhättan; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad Mo-Myskie, D. *Bohoman*, & ad Jerfsö juxta molinam, frequens, ipse; in provinciis magis borealibus, rarissime.

♂♀. Inter maximos Dolichopodum Familiæ. Antennæ nigræ, seta medio articuli ultimi inserta, basi geniculatà. Caput virescens, epistomate (♂) inferne subcanescente, ore nigro. Thoracis vittæ 2 mediæ approximatæ, integræ; 2 laterales interruptæ. Abdominis latera maculis albo-micantibus. Halteres testacei. Pedes tenues, nudi, tibiis parcissime spinulosis. Setæ corporis paucæ. Feminam epistomate inferne viridi variantem vidi.

2. *H. bipunctatus:* cinerascens, supra olivaceo-viridis, pedibus obscure virescentibus; antennis nigris; alis cinereo-hyalinis, punctis 2 fuscis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Mas: epistomate flavo aut cinereo, sub antennis viridi aut cyaneo, ano subtus bi-corniculato, segmento abdominis ventrali 4:to apice subelevato;

Fem.: epistomate flavo-grisescente, abdomine simplici; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 700. 2. ♂♀. *Dolichopus* Lehmanni Dissert. 41. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 63. 7. ♂♀. *Hydrophor. binotatus* Fall. Dolich. 3. 2. ♂♀ (exclus. syn. Fabr. teste D. Meig.). *Musca ungulata* Linn. Fn. Sv. 1858. ♂.

Hab. in littore maris, sed etiam ad ripas fluminum & lacuum, per totam Scandinaviam, 12 Maj.—30 Aug., ubique vulgaris, in copula sæpe captus; scilicet in Scania, Ostrogothia, Gottlandia, Nericia, Lapponiis Umensi & Tornensi usque ad alpes descendens, in nive perenni ambulans, frequenter mihi obvius; in littore Norvegico toto usque ad NordCap quoque occurrit. In sum-

mo cacumine Åreskutan 3500 ped. supra mare elevato, etiam captus, ex utroque sexu.

♂♀. Cinerascens, supra obscure olivaceus, thorace subvittato. Antennarum articulus ultimus breviter ovatus, seta ut in priori. Alæ hyalinæ ad costam fuscatæ, nervis distinctis, nigris, & punctis 2 fuscis, uno in nervo transverso, & altero in ipso nervo longitudinali 4:to inter nervum transversum & apicem alæ. Halteres flavi, clava apice puncto fusco. Pedes simplices nudi, parcissime spinulosi, femoribus anticis crassis, subtus una serie spinulosis. Oculi ♂ in vivo æneі unicolores. Femora antica reliquis paullo breviora. ♂ ano lamellis 2 nigris.

Var. b. ♂: pectore, abdomine pedibusque virescentibus, alias var. a. similis. Ad Torneå & Karesuando, Majo & August. captus.

3. *H. litoreus:* cinerascens, supra olivaceo-viridis, corpore nudo, pedibus obscure virescentibus, anticis brevibus; antennis nigris; alis cinereo-hyalinis, impunctatis. ♂♀. (Long. vix 2 lin.).

Mas: epistomate aureo-viridi, inferne subflavescente aut cano, ano subtus bicorniculato, segmento abdominis ventrali 4:to apice subelevato;

Fem.: paullo major, epistomate cano aut griseo, ano simplici; in copula.

Fall. Dolichop. 3. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 700. 3. ♂♀. *Medeter. balticus* Meig. Dipt. 4. 66. 12. ♂. *Medeter. aquaticus* Meig. 4. 66. 13, ♀. — Sub. nomine *medeterus chloropus* femina hujus e Glogavia a D. *Zeller* missa 1842.

Hab. in littoribus maris, ut & in graminosis ad aquas interiores, per Scandinaviam, 3 Maj.—12 Sept., vulgatissimus, in copula sæpe deprehensus; scilicet in Scania ad littus maris totum abundans, nec non ad Lund,

Abusa &c. freq.; in Ostrogothia ad Sudercop., Wadstena & Gusum; in Bahusia; in Gottlandia; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Botnia ad Luleå; in Lapponia Tornensi (in floribus Salicis tempore vernali ad Karungi), ut & in Nordlandiæ Norvegicæ insulis; haud rarus.

♂♀. Cinerascens, interdum griseus, nudus, thorace parce pilosus. Oculi æneo-virescentes, pube brevissima vestiti. Caput ut in priori. Epistoma maris viride, inferne (in individuis illæsis) argenteum, at in speciminibus detritis inferne canum, unde forte *Medet. baltici* ♀ Meig. orta. Epistoma feminæ totum canum. Halteres flavi, clava interdum apice puncto fusco. Simillimus priori, a quo vix differt, nisi alis hyalinis immaculatis & magnitudine forte paullo minori. Antennarum seta capillaris, fusca.

Var. b. ♂. Simillimus var. a. sed alæ vestigio punctorum 2 fuscorum. In Gestricia ad Hamrånge 27 Aug. 1840; semel.

4. *H. inæqualipes:* obscure viridis, corpore cano, capite toto argenteo-micante; pedibus virescentibus, anticis brevibus; antennis nigris; alis hyalinis, immaculatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Medeterus Macq. Buff. 1. 453. 5. ♀. Meig. Dipt. 7. 158. 34. ♀. Stæg. in litt. 22 Maj. 1841. *Hydrochus Schönherri* Boheman in litt. a Schönherr 1838. *Hydr. litoreus* var. "clypeo albo" (cum genuina specie confusus) Fall. Dolichop. 3. 3.

Hab. in Scandinavia frequens; Specimina, quæ ante oculos habeo, partim a D. *Schönherr* missa, in Dalecarlia a D. *Boheman* 1836 inventa; partim communicata a D. *Stæger*, qui illa ad littus maris prope Hafniam in fossis aquaticis in superficie agiliter currentia d. 6 Jul.

in copula juncta deprehendit; & partim a me non solum in Scania, verum etiam in littore maris ad Thynæs & Levanger Norvegiæ, Jun.—Aug., copiose capta. (E Glogavia etiam missus).

♂♀. Similis *H. litoreo*, sed paullo minor, & in variis differt, atque toto corpore præsertim abdomine, cano, & pube brevissima cinerea vestito, nec nudo, ut & seta antennarum breviori, crassiori, præcipue distinctus. Epistoma in utroque sexu latum, totum argenteo-canum. Antennæ nigræ, seta breviuscula, nigra, basi valida, apice capillari, alba. Alæ hyalinæ, basi albicantes. Halteres albidi, immaculati. Pedes posteriores elongati, subnudi, parcissime spinulosi; antici posterioribus multo breviores, coxis elongatis, cinereis, femoribus incrassatis subtus, tibiisque intus, una serie spinularum brevium, quarum ultima (ad apicem tibiæ) instar calcaris nonnihil major. ♂ subtus corniculis 2 nigris, & segmento ventrali 4:to apice dente nigro armato.

5. *H. spinimanus:* obscure æneus, thorace griseo, fusco-lineato; antennis nigris; alis basi albidis, posterius saturate nigris; pedibus anticis breviusculis, distincte spinosis; appendicibus analibus in mare flavis, nudis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistoma fulvo-flavum. Pedes antici: femoribus subtus duabus seriebus spinarum nigrarum, tibiis inæqualibus, intus serie spinarum versus apicem magis condensatarum, & apice dente brevi, valido armatis; intermedii: tibiis intus longe pilosis, pilis ante apicem in fasciculum contortis; postici: tibiis versus apicem spinulosis. Anus appendicibus 2 membranaceis, nudis, nec fimbriatis, albidis, clava apicis flava, puncto terminali fusco, apice pilis decurvatis;

Fem.: epistoma sordide albidum. Pedes antici ut in ♂, at tibiarum dens apicalis minor; intermedii: tibiis intus parce pilosis; postici fere inermes. Anus simplex; in copula.

H. notatus Zett. Ins. Lapp. 701. 4. in *Observat.*

Specimina Lapponica (exclus. omnib. synonym.) quæ ad sequentem pertinent.

Hab. in pratis humidis in provinciis Scandinaviæ borealibus, 1 Jun.—17 Aug., passim frequens, in Juncis, Caricibus, Comaro, Equisetis &c. sæpe obvius, in copula; scilicet in Jemtlandia ad radicem Åreskutan, nec non ad Stalltjernstugan & Skalstugan in jugo alpino sitis, medio mensis Julii 1840 a D. *Dahlbom* copiose collectus; in Lapponiis Suecicis Tornensi & Umensi per regionem sylvaticam, passim; in Norvegiæ alpe Dovre ad Kongsvald & Fogstuen, D. *Boheman*, & in Nordlandia atque Finmarkia usque ad NordCap, ipse.

♂♀. Species valde singularis & pulchra. Similis sequenti, a quo vero magnitudine paullo minori, antennis nonnihil brevioribus, epistomate latiore, thorace griseo, nigredine alarum æqualiter dilatata, totam partem posteriorem occupante, nec nervos tantum cingente, punctis alarum distinctis nullis, ut & squamis analibus in mare nudis, nec fimbriatis, &c. abunde differt. Præterea *H. spinimanus* terras septentrionales, *H. notatus* vero magis meridionales Scandinaviæ inhabitat. Thorax griseus, dorso cinerascens, vitta laterali inæquali, lineisque 2 in medio approximatis, nigrobrunneis. Abdominis dorsum æneum aut cupreum. Alæ nigræ, basi albidæ, margine interiori hyalinæ. Halteres fusco-flavescentes. Pedes ænei, antici breves, coxis elongatis fulvis (♂), aut cinereis (♀), trochanteribus angustis, femoribus basi inprimis incrassatis. Feminn raro variat interstitiis nervorum anguste hyalinis.

6. *H. notatus:* obscure æneus, thorace fusco-lineato; antennis nigris; alis hyalinis, basi albidis, nervis omnibus fuscedine cinctis, punctisque 2 nigricantibus; pedibus anticis breviusculis, distincte spinosis; appendicibus analibus in mare flavis, intus fimbriatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistoma canum. Pedes antici ut in priori specie; intermedii tibiis intus parce spinulosis, apice subincrassatis, fasciculo pilorum contortorum nigrorum, metatarso elongato, intus decrescendo nigro-spinoso; postici simplices, subinermes. Anus appendicibus 2 membranaceis, totis flavo-albis, latere interiori ciliatis, apice inflexo;

Femina: epistoma cinereum. Cetera ut in femina prioris.

Zett Ins. Lapp. 701. 4. Diagnosis. *Dolichopus* Fabr. Antl. 269. 10. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 62. 6. ♂♀. Macq. Buff. I. 452. 3. ♂♀. *Hydrophor armiger* Fall. Dolichop. 4. 5. certe. ♂.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 16 Jun. — 29 Aug., minus frequens; scilicet in Scania inter Scanör & Falsterbo, D. *Dahlbom*, ad Abusa, ipse; in Ostrogothia in Krogängen ad Wadstena semel captus, etiam in Häradshammar a D. *Stenhammar* lectus; in Gottlandia ad Bursviken & Wamblingbo utrumque sexum inveni.

♂♀. Similis, ut dictum, priori, sed in variis, ut allatum, vere distinctus. Epistoma angustatum, canum. Oculi (in femina viva) violacei, æneo-micantes, linea transversa viridi in cantho superiori. Antennarum articulus primus longitudine reliquorum. Pectus cinerascens. Abdomen supra ænescens l. cupreum. Alarum nervi infuscati. Puncta 2 fusca l. nigra ut in *H. bipunctato* (n:o 2) sita, sed horum alterum in nervo transverso situm geminum est, i. e. ex duobus conflatum, ut recte admonuit *Macquart*. Oculi maris in vivo pulchre virides, macula purpurea in cantho superiori. Antennarum seta longa, capillaris, extus fusca; in priori specie tota nigra.

7. *H. nebulosus:* obscure æneus, thorace obsolete fusco-subvittato; antennis nigris; alis hyalinis, nervis nigris, interstitiis fusco-multipunctatis; pedibus anticis breviuscu-

lis, subtus spinulosis; ano maris bi-corniculato. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: epistomate angustato, flavescente, abdomine brevi, ano subtus corniculis 2 parvis, nigris;

Fem.: epistomate latiori, cinerascente aut grisescente, abdomine paullo longiori, depresso, ano simplici; in copula.

Fall. Dolich. 3. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 701. 5. ♂♀. Macq. Buff. 1. 445. 3. ♂. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 68. 19.

Hab. in paludosis & in ripis marginibusque ad aquas stagnantes, supra quas etiam strenue natat, per Scandinaviam, 4 Maj.—15 Sept., minus frequens, in copula; scilicet in Scania ad Esperöd, D. *Fallén;* in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia in palude silvatica Fylla prope Wadstena; in Dalecarlia; in Botnia occidentali ad Löfånger; in Lapponia Suecica Tornensi ad Wittangi & Juckasjervi; in Norvegiæ alpe Dovre, D. *Boheman*, & in Finlandia D. *Sahlberg*.

♂♀. Parvus. Supra setulosus. Antennæ breviusculæ, seta brevi. Pectus cinerascens. Alarum puncta præsertim in interstiis nervorum ad costam collocata, circiter 12—16, subquadrata, fusca. Halteres flavi l. lividi. Femora antica incrassata, subtus spinosa. Pedes posteriores parcissime spinulosi.

Subd. 2. Seta antennarum subapicalis. Anus masculorum sæpe longe inflexus, varie appendiculatus. (Minores). Cinerascentes. *Medeterus* Meig. *Hydrophorus* *) Macq.

---

*) Si species hujus Subdivisionis sub proprio genere referrem, hoc cum Celeberrimo *Meigen,* nomine: *Medeterus* ob earum habitationem in locis siccissimis, parietibus, muris, truncis arborum e. s. p., ubi individua tranquilla & quasi meditabunda sedent, potius salutare vellem, quam nomen minus aptum: *Hydrophorus*, tribuere speciebus, quæ vix unquam ad aquas hospitantur.

8. ***H. obscurus:*** cinerascens, thorace fusco-trivittato; antennis nigris, basi testaceis, epistomate æneo, inferne cyaneo-viridi nitidissimo; ore pedibusque atris; alis hyalinis, halteribus pallidis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)

Zett. Ins. Lapp. 701. 6. ♀.

Hab. in Scandinavia, 2—23 Aug. passim; scilicet in Scania ad Esperöd, parce; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp, haud raro; in Westrogothia, & in Uplandia ad Holmiam uterque sexus, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Löfvik; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Säther & Faxelfven, freq. ♀; in Lapponia Tornensi rar.; in Norvegia rarissime, tantum ad Alstahaug & Levanger (♂), & ad Bossekop Finmarkiæ (♀), rarissime mihi obvius. — (♀ etiam e Reinerz a D. *Zeller* missa.)

♂♀. In hac Subdivisione magnus. Similis sequenti, sed robustior, obscurior, antennarum articulo primo rufo-testaceo & pedibus totis nigris præcipue distinctus. Caput in fundo æneum, fronte cinereo-micante. Antennarum articulus ultimus rotundatus, apice puberulus, seta terminali nigra. Epistoma infra suturam transversam aureo-viride, cyaneo-micans, valde nitidum. Os magnum, saccatum, atrum. Thorax obscure cinereus, dorso pilosus, vittis 3 læte brunneis, subnitentibus. Oculi in vivo ænescentes, macula in cantho superiori violacea. Abdomen subnudum, subnitidum, in ♂ cylindricum, nigrum, cauda longe inflexa ejusdem coloris; in ♀ ovatum, obscure cinereum, oviductu exserto, nigro, nitido. Alæ hyalinæ, nervis longitudinalibus 3 & 4 in medio late remotis, posterius sensim appropinquantibus, in apice approximatis (non coëuntibus), angusto spatio remotis. Halteres albidi. Pedes subæqualiter longi, simplices, validi, parum pubescentes, inermes, nigri, subnitidi, coxis cinerascentibus, anticis paullo elongatis.

9. ***H. rostratus:*** ænescenti cinereus, thorace læte brunneo-trivittato, antennis nigris; epistomate aureo-viri-

di, nitidissimo; ore atro; pedibus testaceis, basi tarsisque obscuris; alis hyalinis, halteribus albis. ♂♀. (Long $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus fere totis testaceis, epistomate aut toto viridi, aut inferne chalybeo; in copula.

Fall. Dolichop. 4. 6. ♂♀. *Dolichopus* Fabr. Antl. 269. 15. ♂♀. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 61. 3. ♂♀. Macq. Buff. 1. 452. 2.

Var. b. ♂♀. pedibus testaceis, coxis totis, femoribus fere ad apicem, tarsisque cinereo-fuscis; epistomate aut toto viridi, aut inferne chalybeo; in copula.

Hab. in Suecia meridionali & media, in truncis arborum, muris, at in primis parietibus e sole versis, 1 Jul.—16 Sept., vulgaris, erectus sedens, arroganter ambulans, sæpe retrogradus, Diptera minora prædans; scilicet var. a. in Scania & Ostrogothia frequens; var. b. in pratis Gottlandiæ ad Stenkyrka & Lummelunda mihi præsertim obvia. In Uplandia & Bahusia etiam a D. *Wahlberg* visa. Idem omnino ad Wiennam captus, a D. *Zeller* mihi communicatus.

♂♀. A priori, qui valde similis, differt: magnitudine minori, colore lætiori, antennis totis nigris, articulo ultimo angustiori, ovali, nec rotundo, epistomate sub antennis, purius viridi, thorace supra minus pubescente, vittis dorsalibus dilutius brunneis, magis cupreo-micantibus, ut & femorum apice tibiisque testaceis. Epistoma nudum, metallicum, in medio sutura transversa nivea. Oculi in vivo obscure ferruginei. Abdomen griseo-æneseens. Cetera omnia ut in priori.

Obs. In insecto a postero viso & præcipue in feminis gravidis, abdominis segmenta basi obscura videntur, unde abdomen a *Fabricio* "nigro-fasciatnm" dicitur.

10. *H. jaculus:* ænescenti griseus, thorace læte brunneo-trivittato; antennis nigris; epistomate virescenti cano; ore distincte exserto, atro; pedibus nigris, genicu-

lis testaceis; alis hyalinis; nervo transverso elongato ad marginem interiorem subretracto, squamis halteribusque albidis; cauda maris magna, crassa. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin).

Var. a. ♂♀. epistomate toto virescenti cano.

Fall. Dolich. 5. 7. var. *α*. ♂♀. Macq. Buff. 1. 445. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 702. 7. ♂♀. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 66. 14. ♂♀.

Var. b. ♂♀. epistomate cano-virescente, inferne viridi; an detritus? in cop. cum, var. a.

Hydrophor. truncorum Zett. Ins. Lapp. 702. 8. ♂♀. var.

Var c. ♂♀. epistomate ut in var. a., pedibus totis aut fuscis, aut pallidis.

Hab. in sæpibus, lapidibus, parietibus ligneis & iis in primis incoloratis, & truncis arborum viventium, præsertim Populi, Betulæ, Salicis, etiam in floribus Umbellatarum &c., per Scandinaviam inferiorem, 24 Jun.—23 Aug., vulgatissimus in primis var. a. abundans; in copula; corpore erecto incedens; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Westrogothia, Gottlandia, ubique frequentissimus; deinde usque ad Helsingiam passim occurrit; sed in provinciis borealibus non nisi rarissime obvius. E Dania quoque a D. *Stæger* communicatus.

♂♀. Griseus. Antennæ parvæ, nigræ. Epistoma latum, in fundo viride, albo-pruinosum. Os magnum, exsertum, nigrum. Vertex setosus. Thorax ad latera parce pilosus, vittis 3 dorsalibus dilute æneo-brunneis. Alarum nervi longitudinales 3 & 4 in medio mediocriter remoti, versus apicem modice appropinquantes; nervus transversus sat longus, propius (quam in *H. apicali*) ad marginem interiorem alæ retractus; nervus 5:tus longitudinalis infra aream brevis, & mox infra illam subdeflexus (nec recta continuatus) non usque ad summum marginem excurrit. Pedes simplices, cinerascenti nigri, nudi, inermes, geniculis summis palli-

dis, femoribus posticis latere exteriori pubescentibus. Cauda maris longe inflexa, magna, atra, nitida, apice appendicibus filiformibus, fuscis.

11. *H. truncorum:* ænescenti griseus, thorace læte obsolete brunneo-trivittato; antennis nigris; epistomate æneo, lateribus flavescenti pruinoso, inferne viridi aut cyaneo; ore distincte exserto, atro; pedibus nigris, geniculis testaceis; alis hyalinis, nervo transverso elongato, ad marginem interiorem subretracto, squamis halteribusque albidis; cauda maris modice crassa. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 702. 8. ♂♀. *Medeterus* Meig. 4. 67. 15. ♂.

Hab. in Scandinavia, minus freq., 1 Jul.—30 Aug., captus; scilicet in Scania rarius; in Gottlandiæ Sanda, Slitö, Kyllej, Thorsborg & insula Fårön, uterque sexus Jul. 1841, passim; in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponia Umensi ad Lycksele, a me inventus. In silvis acerosis plerumque occurrit.

♂♀. Simillimus priori, a quo tamen magnitudine paullo minore, colore forsitan nonnihil obscuriore, epistomate subangustato, in medio denudato, viridi, inferne viridissimo aut cyaneo, thoracis vittis minus perspicuis, ut & cauda maris forte paullo minore, mihi distinctus videtur.

12. *H. apicalis:* grisescenti æneus, thorace immaculato; antennis nigris; epistomate viridi; ore subexserto, atro; pedibus nigris, geniculis testaceis; alis hyalinis, nervo transverso brevi, a margine remoto, squamis pallidis, margine nigris, halteribus albidis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Stæg. in litt. 22 Maj. 1841.

Hab. in Scania rarissime; in truncis arborum Daniæ mens. Sept. & Octob. etiam a D. *Stæger* inventus, mihique benigne communicatus.

♀. Affinis præcedenti, sed epistomate toto viridi, thorace immaculato, proboscide minus crassa, minusque exserta, alis cinereo-nec pure hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem magis approximatis, 5:to infra aream longius & fere recta (nec mox deflexo) continuato, transverso brevi, ut & geniculis latius testaceis, vere distinctus. Squamæ sub alis pallidæ, nigro-marginatæ, nec totæ pallidæ, sunt. Cetera ut in priori. Alarum area basalis media parallela.

Var. b. ♂♀. geniculis tantum summis pallidis; in Scania, Ostrogothia & Lapponia Umensi ad Lycksele inventus. Minor. An hujus?

13. *H. pallipes*: grisescenti æneus, thorace vix vittato; antennis nigris; epistomate virescente; ore subexserto, atro; pedibus flavis, coxis totis femoribusque basi late, obscuris; alis hyalinis, nervo transverso brevi, fere in centro alæ sito, squamis halteribusque pallidis; cauda maris parum crassa. ♂♀. Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. in litt. 22 Maj. 1841. ♀. *H. jaculus* Zett. Ins. Lapp. 702. 7. var. b. ♀.

Hab. in truncis arborum & sæpibus mens. Jul.—Sept., in Scania meridionali rarissime, in Ostrog. ad Wadstena passim, uterque sexus; e Dania a D. *Stæger* communicatus (♀). In Botnia orientali ad Johannis Ro prope Torneå, semel.

♂♀. Similis iterum *H. apicali*, sed diversus: nervo transverso ordinario a margine inferiore adhuc magis remoto, fere in centro l. paullo ante medium alæ sito, squama tota pallida, & femoribus apice, tibiis totis tarsisque basi late, albidis. Epistoma obscure viride. Thoracis vittæ parum conspicuæ. Alarum nervi tenues, pallidi, longitudinales 3 & 4 versus apicem valde approximati; area media a basi ad medium alæ angusta, parallela. Pedes pallidi,

femoribus paullo ultra medium nigricantibus. Cauda maris inflexa, parum tumida; atra, nitida. Oculi in vivo ænei, unicolores. — Sub nomine *H. tibialis* olim a me divulgatus.

14. *H. albipes:* thorace cinereo, immaculato; antennis nigris; epistomate virescente; ore subexserto, atro; abdomine ænescenti nigro; scutelli apice, squamis, halteribus pedibusque totis, flavo-albis; alis hyalinis, nervis tenuibus, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, transverso brevi, fere in centro alæ sito. ♀. (Long. vix ½ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime; ad Lärketorp semel inventus.

♀. Valde minutus. Similis priori, sed magnitudine duplo minore, thorace læte cinereo, immaculato, scutelli apice pallido, alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 usque ad apicem exacte parallelis, ut & pedibus cum coxis totis flavo-albidis, certe & facile dignotus.

15. *H. tristis:* obscure cinerascens, thorace subimmaculato; antennis, ore parum exserto, pedibusque totis, nigris; epistomate obscure virescente; alis hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem sat approximatis, transverso brevi, a margine interiori remoto, squamis pallidis nigro-marginatis, halteribus fuscis; cauda maris modice incrassata. ♂♀. (Long. ⅔—1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 702. 9. ♂♀.

Hab. in truncis arborum, per Scandinaviam, præsertim borealem, 2 Jun.—14Aug., passim, in silvis acerosis libenter obvius; in copula; scilicet in Scania ad Esperöd rarissime; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Jemtlandia ad Hofverberget rar.; in Lapponiæ Umensis truncis cariosis arborum Pini & Abietis, haud infrequens; in Norvegia ad Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino sito, passim.

♂♀. Caput nigrum, epistomate obscure virescente. Thorax ænescenti obscure griseus, dorso immaculato, pilosulo. Abdomeu æneo-nigricans, cauda ♂ longe inflexa, minus incrassata, tota atra, nitida, appendicibus apicis brevibus, setiformibus, ferrugineis. Alarum nervi ut in *H. apicali.* Pedes toti atri, geniculis concoloribus. Halteres & squamæ sordide albida, hæ margine nigro.

16. *H. muralis:* obscure cinerascens, thorace subimmaculato; antennis, ore parum exserto, epistomateque nigris; pedibus nigricantibus aut fuscis; alis hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subapproximatis, transverso brevi, a margine interiori minus longe remoto, squamis pallidis, nigro-marginatis, halteribus fuscis l. pallidis; cauda maris modice incrassata. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigris l. nigricantibus.

Zett. Ins. Lapp. 702. 10. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus fuscis aut testaceis, femoribus plerumque obscurioribus; sæpe minor.

Meig. Dipt. 4. 62. 5.? *Hydr. jaculus* Fall. Dolichop. 5. 7. var. *β.* ♂♀.

Var. c. ♀. thorace abdomineque glauco-viridibus. Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in truncis arborum Abietis &c., 1 Jun.—6 Aug.—15 Sept.; var. a. præsertim in provinciis Scandinaviæ borealibus, ut in Lapponiis atque ad Garnæs Norvegiæ, frequens; var. b. in Scania haud raro in Ericetis occurrit, in Ostrogothia passim a me, & in Uplandia ad Holmiam a D. *Wahlberg*, captus; var. c. tantum ad Björkvik Nordlandiæ & supra petra currens ad Bossekop Finmarkiæ Norvegicæ mihi obvius.

♂♀. A priori, cui valde similis, differt: magnitudine sæpe duplo minore, epistomate nigro, nec virescente, nervis lon-

gitudinalibus 3 & 4 versus apicem nonnihil minus approximatis, transverso minus longe a margine distante, ut & pedibus, saltem tibiis tarsisque, paullo dilutioribus, fuscis aut testaceis, interdum pedibus totis pallescentibus. In individuis illæsis thorax subvittatus videtur. — Var. c, affinis & similis etiam est *H. pallipedi* (13), sed epistomate nigro, nec viridi, & nervis longitud. 3 & 4 minus appropinquantibus, nec non tibiis obscurioribus, mox dignota.

17. *H. minutus:* læte cinereus, thoracis dorso flavescenti griseo, immaculato; antennis nigricantibus; ore subexserto, obscuro; epistomate cano; halteribus, squamis pedibusque flavo-testaceis; alis cinereis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subapproximatis, transverso brevi, a margine interiori minus longe remoto. ♀. (Long. vix ½ lin.).

H. jaculus Fall. Dolich. 5. 7. var. γ. ♀.

Hab. in Scania rarius, ad Esperöd in parœcia Mellby tria specimina inveni.

♀. Minutus, totus cinereus, nudus, vertice thoracisque dorso pilis ordinariis parcissime obsitis. Caput cinereum, epistomate lato, cano l. albicante. Proboscis parum exserta. Thorax supra vittis nullis. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli, in medio tamen paullo remotiores. Area media a basi ad medium alæ subparallela seu ad apicem (juxta nervulum transversum) parum latior; nervulus 5:tus longitudinalis infra aream modice longus. Pedes non validi, toti flavescenti testacei, coxis tantum posterioribus cinerascentibus. — Similis quodammodo *H. albipedi*, sed clypeo cano, alis cinereis, nervis longitudinalibus 3 & 4 non exacte parallelis, transverso non in centro alæ sito, sed paullo infra centrum retracto, ut & pedum colore flavo magis in testaceum, quam albidum vergente, præcipue dignotus.

18. *H. ambiguus:* ænescenti niger, thorace subimmaculato; antennis, ore subexserto, pedibusque totis,

nigris, epistomate nitido, viridi, inferne cyaneo; alis hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subapproximatis, transverso breviusculo, a margine interiori modice remoto; cauda maris longe inflexa, magna, crassa, atra. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime, ad Wadstena mens. Julio semel deprehensus. (E Glogavia etiam specimen sine nomine missum).

♂. Similis *H. tristi* (15), sed forte nonnihil major, & epistomate magis nitido, inferne cyaneo, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem paullo minus approximatis, ut & cauda maris majori, crassiori præcipue dignoscendus.

---

57. RHAPHIUM Meig.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, subcylindricum, nitidum (in *R. discolore* opacum), leviter pubescens, vertice thoracisque dorso parce setosis, tibiis extus distincte spinosis. Antennæ sæpissime elongatæ, articulo ultimo compresso, aut longissimo, aut oblongo-conico, in feminis rarius brevi, ovato (in *R. flavipalpi* rotundato, seta subdorsali), seta apicali, deflexa. Oculi in vivo purpurei, pube brevissima vestiti, infra antennas in ♂ saltem angustius disjuncti. Abdomen rectum. Alæ plerumque leviter fuscanæ. Nervi longitudinales simplices, 4:tus interdum pone transversum ordinarium leviter curvatus in summo apice alæ desinens. Pedes (in nostris) simplices. *Color* ænescens l. virescens; pedum sæpissime flavus. *Motu* agile, inquietum. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum, plerumque in uliginosis l. in vicinitate aquæ. *Differentia sexus; mas:* abdomine apice subtus bifilato (in ultimis speciebus mutico), ore non descendente, epistomate angustissimo; *femina:* ano simplici, ore sæpe longe descendente,

58

epistomate lato. Typus generis *R. longicorne.* — Species omnes statura, habitu & genitalibus masculorum *Rhaphio* quidem subsimiles, sed seta antennarum dorsali vel subdorsali & ore feminarum haud descendente instructas, ad *Stirpem II:dam Dolichopi* generis, scilicet sp. 76 & reliquas refero.

Subd. 1. Antennæ in masculis longissimæ, subulatæ; in feminis modice elongatæ. Alæ fuscanæ. *Rhaphium* Meig. Macq. *Hydrochus* *) Fall.

1. *R. longicorne:* obscure æneum nitidum, epistomate albo, fronte cyanea; antennis pedibusque nigris; halteribus flavis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: antennis cum seta longitudine fere corporis, epistomate modice angusto, appendicibus annalibus foliaceis, parallelis, obscure brunneis; nervo transverso parum infuscato;

Fem.: antennis cum seta longitudine fere pectoris, epistomate lato; nervis costalibus & transverso fuscedine cinctis.

Meig. Dipl. 4. 28. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 410. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 703. 1. ♂♀. *Hydrochus* Fall. Dolichop. 51. ♂♀.

Hab. in paludosis, per Scandinaviam, 11 Jul.—2 Aug., passim; scilicet in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Skalstugan, haud infrequenter; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Stöttingsfjellet; in Norvegia: ad Suulstuen Værdaliæ, inter Kongsstuen & Höjfjeldbro atque in alpibus Kälahögar in ipso jugo alpino sitis, frequenter; ut & ad Giebostad, Alteidet & Schiervœ Nordlandiæ, passim.

---

*) *Hydrochus* est etiam nomen Coleopterorum generis apud *Germar.* Cfr. Catalogus Dejeani p. 50.

♂♀. Species insignis, antennis longioribus, quam in ulla alia Dolichopodum Scandinaviæ mox dignota. Obscure viride. Antennæ nudæ, atræ, seta biarticulata. Epistoma argenteum. Frons cyanea. Oculi in vivo ænescentes. Os nigrum. Nervus longitudinalis 4:tus leviter curvatus. Squamæ parvæ, pallidæ, longe pilosæ. Halteres albidi. Pedes nigri, tibiis anterioribus plerumque fusco-testaceis. Pleuræ venterque cinereo-micantia.

2. *R. laticorne:* obscure æneum, parum nitidum, epistomate albo, fronte virescente; antennis nigris; halteribus flavis; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem levissime subappropinquantibus; pedibus in mare nigris, tibiis anterioribus flavis; in femina flavis, femoribus anticis basi, posticisque apice tarsisque omnibus obscuris, tibiis anterioribus in utroque sexu extus distincte nigro-spinosis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Mas: antennis cum seta longitudine pectoris, epistomate valde angusto, appendicibus analibus inflexis, parvis, filiformibus, pilosulis; capite postice, coxis anticis extus, abdomineque antice, albido-pubescentibus; pedibus nigris, anteriorum geniculis, tibiis totis tarsisque basi, flavis;

Fem.: antennis cum seta longitudine dimidii pectoris, epistomate modice lato; coxis omnibus cinerasentibus, femoribus anticis basi late (fere ad apicem), posticisque apice, brunneis, tarsis omnibus obscuris; in copula.

Hydrochus Fall. Dolich. 6. 3. var. α, ♂♀. certiss. secundum specimina originaria a me descript. — *Rhaphium nigripes* Macq. Buff. 1. 44. 1. 4. ♂.

Hab. in Suecia minus freq.; scilicet in Scania ad Kjellby prope Lund in graminosis d. 17 Maj in copula a me captum; in Ostrogothia ad Häradshammar, a D. *Stenhammar* & ad Gusum a D. *Wahlberg* etiam lectum. — E Dania a D. *Stæger* missum.

♂♀. Priori minus, antennis multo brevioribus. Antennæ conicæ, in mare capite transverso duplo longiores, lanceolato-lineares, seta nuda longitudine dimidiæ antennæ; in femina capite transverso fere breviores, seta longitudine totius antennæ. Vertex viridis. Halteres & squamæ ciliatæ, flava. Alæ fere hyalinæ. Tibiæ anteriores in utroque sexu extus distincte nigro-spinosæ. Thorax setosus. — Femina variat femoribus anticis basi anguste, posticis apice parum infuscatis.

Var. b. ♂. duplo minor. Fall. l. c. var. c.

3. *R. macrocerum:* obscure æneum, nitidum, epistomate albo, fronte cyanea; antennis nigris: halteribus flavis; alis fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis; posticorum femoribus ad apicem superne macula, tibiis totis, tarsisque omnibus nigricantibus. ♂♀ (Long $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 29. 3. ♂. Macq. Buff. 1. 440. 2. *Hydrochus laticornis* Fall. Dolich. 6. 3. var. b. ♂.

Hab. in humidis umbrosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 2—26 Jul., minus frequens; in Scania ad Esperöd &c., passim; in Ostrogothia ad Sudercopiam &c. D. *Stenhammar*, ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Wadstena, ipse. Etiam in Gottlandia, teste D. *Wahlberg*, & ad Holmiam, D. *Stenhammar.*

♂. Priori parum minus. Æneo-viride, nitidum. Antennæ magnæ, longitudine capitis & saltem dimidii thoracis simul sumtorum, compressæ, conicæ, seu articulo ultimo ovato-lanceolato, apice subtus leviter emarginato, totæ nigræ l. fuscæ, seta longitudine vix tertiæ partis totius antennæ. Epistoma angustatum, totum argenteum. Frons cyanea, nitida. Vertex & thorax supra nigro-setosi. Pleuræ glaucæ. Abdomen apice ænescens. Appendices anales 4 parvæ, qua

rum 2 exteriores (anticæ) foliaceæ, ciliatæ, nigro-brunneæ, apice acuminatæ. Alæ fuscanæ, nervo 4:to longitudinali vix l. levissime tantum curvato. Pedes cum coxis anticis flavi, coxis posterioribus basi cinereis. Femora postica apice leviter brunnea; tibiæ ejusdem paris, & tarsi omnes, nigricantes, aut illæ ferrugineæ. Tibiæ omnes æqualiter & parcissime spinulosæ. Metatarsus posticus totus niger, nec ut in *R. hamato* (n:o 17) basi pallidus.

♀. similis, sed differt: antennis brevioribus, epistomate latiore, ore distincte descendente, & ano simplici.

4. *R. caliginosum:* obscure æneum, nitidum, epistomate albo, fronte cyanea; antennis nigris; halteribus flavis; alis fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis; pedibus pallidis, coxis posterioribus cinereis; posticorum femoribus superne a medio ad apicem, tibiis totis, tarsisque omnibus, nigris. ♂♀. (Long. circiter 1 lin).

Mas: epistomate valde angusto, toto argenteo; antennis magnis lanceolato-linearibus, longitudine capitis & saltem dimidii thoracis simul sumtorum, compressis, conicis, nigris, seta brevi longitudine vix 4:tæ partis totius antennæ, truncata; appendicibus analibus 4 parvis, foliaceis, nigris, acutis, quarum 2 exterioribus seta capillari terminatis; alis fuscanis; tibiis posticis nigris;

Fem.: epistomate lato, argenteo, ore descendente; antennis capite transverso brevioribus, seta antennis triplo longiori; alis minus fuscanis; tibiis posticis sæpe flavescentibus.

Var. a. ♂♀. 1—1¼ lin. long.; alis fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 levissime flexis, unde versus apicem non exactissime parallelis, sed leviter approximatis; ♂: epistomate valde angustato, argenteo, tibiis posticis nigris; ♀: epistomate modice lato, argenteo, tibiis posticis flavesentibus, antennis capite transverso dimidio brevioribus, seta antennis triplo longiori.

Meig. Dipt. 4. 29. 4. ♂. Macq. Buff. 1. 440. 3. ♂. *Porphyrops pallitarsis* Macq. Dipt. 3. 33. 11. ♀. Secundum Dom. *Stæger* etiam *Porphyr. nemoralis* Meig. Dipt. 4. 52. 15. ♀. & Macq. Buff. 1. 443. 6. ♀. huc referendi.

Var. b. ♂♀. in copula; 1¼ lin. long.; alis parum fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis; ♂: epistomate paullo angustato, sordide albido, tibiis posticis nigris; ♀: epistomate lato, sordide albido, tibiis posticis flavis apice nigricantibus, antennis longitudine capitis transversi, conicis, seta longitudine fere totius antennæ.

Zett. Ins. Lapp. 703. 2. ♂♀.

Var. c. ♂♀. 1—1¼ lin. long.; alis subinfuscatis, nervis longitudinalibus 3 & 4 snbparallelis, epistomate argenteo; ♂: epistomate & tibiis ut in var. a.; ♀: epistomate lato, tibiis posticis l. flavis, l. apice l. totis nigris, antennis ut in var. b.

Zett. l. c. var.

Var d. ♂. 1 lin. long.; alis parum infuscatis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, epistomate angustissimo, argenteo, tibiis posticis flavis; affine *R. laticorni* var. b.

Var. e. ♀. 1¼ lin. long.; cyanescenti viride, alis subfuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis, epistomate lato, albo, tibiis posticis atris, antennis ut in var. a.

Var. f. ♀. 1¼ lin. long.; obscure æneum, alis fuscanis, nervis longitudinalibus 2 & 3 subparallelis, epistomate lato, ænescenti cano, ore longe descendente, tibiis posticis flavis, apice atris, antennis brevibus ut in a. & e., articulo primo & ultimo æqualiter longis; an hujus?

Hab. in foliis fruticum & graminosis, libenter locis paludosis, per Scandinaviam, Jul.—Sept., passim; var. a. in Scania, Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Sudercopiam & Wadstena; ad Holmiam, D. *Stenhammar*; in Jemtlandia ad Östersund, haud infrequenter; etiam in utroque sexu a D. *Stæger* communicatum; var. b. & c. in Dalecarlia, Jemtlandia ad Mullfjellet, Lapponia Umensi & in Norvegia ad Schiervö atque Gamsttind Nordlandiæ, passim; var. d. ad Gothem Gottlandiæ rarissime; var e. in Norvegia ad Alstahaug prope Levanger, rarissime; & var. f. in Jemtlandia ad diversorium Lund juxta radicem Åreskutan, semel.

♂♀. Parvum. Simile priori, sed plerumque minus præsertim mas, & distinguitur ab illo in primis femoribus posticis superne a medio ad apicem plus minusve nigricantibus, nec macula tantum brunnea ad apicem. Vertex & thorax supra, pilosi. Pectus glaucum. Epistoma ♀ æquale, nec excavatum ut in *R. hamato*. Præterea variat colore & magnitudine.

Obs. Forte quædam harum formarum species proprias efficere debent; sed e paucis speciminibus & non omnibus bene conservatis, quibus præterea alter sexus deest, novas fingere in præsenti non ausus sum.

5. *R. fasciatum:* obscure æneum, nitidum, epistomate albo, fronte cyanea; antennis nigris; halteribus pallidis; alis fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis; abdominis basi fasciis duabus, pedibusque totis flavis, tarsis obscuris. ♂. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 4. 31. 9. t. 34. f. 5. ♂. Macq. Buff. 1. 441. 7.?. Zett. Ins. Lapp. 703. 3. ♂. *Medeterus bifasciatus* Macq. Buff. 1. 455. 13. ♂. Meig. Dipt. 7. 158. 32. ♂.

Hab. in Scandinavia rarissime; tria tantum specimina vidi, unum in Scania ad Björnstorp 20 Jun. 1838 a

D. *Dahlbom* inventum; alterum in Norvegia ad Suulstuen in jugo alpino 12 Jul. 1840 a me lectum; & tertium in graminosis loco paludoso inter Hammar & Vordahl Norvegiæ 10 Jun. 1832 a D. *Boheman* captum. — Etiam in littore maris ad Gottenvik in parœcia Jonsberg Ostrogothiæ a D. *Stenhammar* rarius lectum erit.

♂. Minutum & tenerum. Magnitudine parva, statura angusta, abdominis fasciis flavis, & pedibus totis cum coxis omnibus pallidis, tarsis tantum nigricantibus, a prioribus differt. Epistoma modice angustum, argenteum. Antennæ capite transverso saltem triplo longiores, parum latæ, sublineares, seta brevi. Thorax nigro-æneus, supra pilosus, subtus glaucesens. Abdomen ænescens, segmentis 2 & 3 fascia lata, (interdum in dorso per maculam triangularem obscuram subinterrupta), flava; appendicibus analibus brevibus, fuscis. Nervi longitudinales 3 & 4 exacte paralleli. Tibiæ parcissime spinulosæ. Reliqua ut in diagnosi. Femina etiam a D. *Macquart* l. c. descripta, mihi ignota. Uterque sexus (♀: antennis brevibus, seta longa, abdomine fasciis flavis nullis,) in palude sylvatica Daniæ Maj. 1841 a D. *Stæger* semel frequenter deprehensus erit.

Obs. Hydroch. tarsatus Fall. antennarum articulo ultimo in ♂ elongato, seta mox ante apicem articuli ultimi in utroque sexu inserta, & ore in ♀ non descendente, in *Dolichopo* n:o 96 quærendus. — *Rhaph. hamatum* antennis maris elongatis, in *Subd. 2:da* subsequente inveniendum.

Subd. 2. Antennæ in ♂ capite transverso semper paullo longiores, in ♀ capite plerumque breviores, articulo ultimo in utroque sexu aut conico, aut ovato-conico, in ♀ interdum breviter ovato. *Porphyrops* Meig. Macq.

6. *R. elegantulum:* obscure viride, nitidum, epistomate albicante, fronte ænea; antennis nigris; squamis

longe ciliatis, halteribusque pallidis; alis subfuscanis, nervo longitudinali 4:o leviter flexo; pedibus flavis, coxis cinereis; posticorum femoribus apice in ♂ nigro, in ♀ dilute brunneo, tibiisque apice tarsisque omnibus in utroque sexu, atris; abdominis segmento anali in ♂ chalybeo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistoma valde angustum, album. Antennæ longitudine capitis transversi, late conicæ, seta longitudine antennæ. Abdominis segmentum ultimum cyaneum, ano inflexo stylis 2 apicalibus, corneis, atris, nitidis, & appendicibus 2 paullo longioribus, foliaceis, in medio latioribus, totis pilosis, fuscis, armato. Femora postica apice indeterminate nigra;

Fem.: epistoma latum, canum, inferne fractum. Os longe descendens, cinereum, palpis latis, obsurioribus, pubescentibus. Antennæ capite transverso paullo breviores, seta antenna fere duplo longiore. Abdomen brevius, latius, sæpe cupreo-fasciatum, postice æneum. Femora postica flava, superne ad apicem plerumque dilute brunnea.

Zett. Ins. Lapp. 703. 4. ♂♀. *Porphyrops* Meig. Dipt. 4. 51. 12. ♂. Macq. Buff. 1. 442. 1. ♂.

Hab. in graminosis & foliis fruticum juxta flumina, ut & in foliis Nympheæ, per Scandinaviam, 20 Jun.—5 Aug., passim; scilicet in Scania ad Tungbyholm, Abusa & alibi, rar.; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp, passim; in Wermelandia ad Årås; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia minus freq.; in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele, Åsele & Stensele, rarius. — (E glogavia a D. *Zeller* utrumque sexum etiam obtinui).

♂♀. Fulgidum. Oculi in vivo æneo-virides unicolores, brevissime albo-puberuli. Barba alba. Nervus longitudinalis 4:tus leviter curvatus, unde nervi long. 3 & 4 non exacte

paralleli. Thorax dorso setosus, interdum cæruleo-splendens. Pleuræ & coxæ cinerascentes, at maculæ pectoris in (♂) virides. Tibiæ omnes nigro-spinosæ.

Var. b. ♀. femoribus posticis apice nigris.

7. *R. crassipes:* obscure æneum, opacum, fronte concolore, thorace nigro-bilineato, epistomate albo; antennis nigris; squamis longe ciliatis halteribusque albidis; alis subfuscanis, nervis longitud. 3 & 4 versus apicem approximatis; pedibus discoloribus, mediis in utroque sexu flavicantibus, in mare tarsorum intermediorum articulis 2 ultimis dilatatis, atris, & appendicibus annalibus furcatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate non valde angusto, argenteo. Antennæ longitudine capitis transversi, lato-conicæ, seta longitudine totius antennæ. Anus rotundatus, inflexus, niger, appendicibus 4 flavo-fuscis, quarum 2 interiores breviores, setiformes, nudæ, & 2 exteriores longæ, compressæ, curvatæ, pilosæ, apice furcatæ, ramo altero breviori. Pedes nigri, antici femoribus apice, tibiis totis & metatarso, flavis; intermedii toti (præter coxas) flavi, tarsorum articulis 2 ultimis dilatatis, atris, basi apiceque albis;

Fem.: epistomate lato, cano, in medio ad latera subtuberculato seu sutura media transversa interrupta. Os modice descendens, cinereum, palpis breviusculis obscuris. Antennæ capite transverso fere breviores, articulo ultimo breviter ovato, seta antenna tota duplo longiore. Pedes fusco-testacei, coxis cinereis, femoribus anticis basi, posticis superne apice, tarsisque omnibus, nigricantibus.

Porphyrops crassipes Meig. Dipt. 4. 50. 10. ♂. *Porphyrops rufipes* Meig. Dipt. 4. 52. 11. ♀. Macq. Buff. 1. 443. 5. ♀. (exclus. forte ♂). Zett. Ins. Lapp. 701. 5. var. b. ♂.

Hab. in uliginosis, in Scandinavia boreali, 23 Jun. —2 Aug., passim, in Caricetis interdum obvium; scilicet

in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, frequens; in Lapponia Umensi ad Tresunda & Lycksele, haud raro; in Norvegia ad Levanger, & a Suul Værdaliæ usque ad Höjfjeldbro & ad latera alpium Kälahögar in jugo alpino adscendens; ut & in Gamsttind Nordlandiæ lectum. In Ostrogothia parce, D. *Stenhammar;* in Scania ad Tranås ♀ semel deprehensa. — E Dania a D. *Stæger* in ♂ etiam communicatum. (E Glogavia a D. *Zeller* missum.)

♂♀. Thorace opaco, nigrobilineato, alarum nervis longitud. 3 & 4 versus apicem approximatis, ut & tarsorum intermediorum articulis 2 ultimis latis atris basi & apice albis in mare, a reliquis mox distinguitur. Appendices anales maris furcatæ nota quoque discernibilis. Frons ænea. Thorax setosus. Pectus viridi-glaucescens. Barba alba. Coxæ anticæ latere antico albo-villosæ. Tibiæ parce spinulosæ. *Mas:* alæ subhyalinæ; epistoma angustum, argenteum; femora anteriora extus albo-villosa; metatarsus anticus (longitudine 4 sequentium articulorum nigrorum) flavescens, apice subincrassatus; pedes postici toti atri, validi, pubescentes, subinermes, femoribus summa basi sæpe pallidis. *Femina:* alæ ad nervos præsertim subinfuscatæ; palpi obscuri, apice albicantes; femora antica l. tota flava, l. basi brunnea; pedes postici testacei l. brunnescentes, femoribus apice plerumque obscurioribus, & tarsis validis semper nigris. Abdomen in utroque sexu nitidum.

Var. b. ♂. epistomate omnium angustissimo, alias var. a. simillimum; *R. cylindricum* Zett. Ins. Lapp. 705. *Not.* sub *R. discolore.* Fall. Dolich. 6. *Not.* sub *Hydroch. nasutus.* E Westrogothia, D. *Dalman* rarissime. Ad Holmiam ♂♀, D. *Wahlberg.*

8. *R. confine:* obscure æneum, opacum, fronte concolore, thorace nigro-bilineato; antennis nigris; squa-

mis longe ciliatis halteribusque albidis; alis subfuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem approximatis; pedibus discoloribus, intermediis in utroque sexu flavicantibus; in mare tarsorum intermediorum articulo ultimo dilatato atro, & appendicibus analibus simplicibus, non furcatis. ♂♀. (Long. 2¼ lin.).

Mas: epistomate & antennis ut in priori. Anus rotundatus, niger, inflexus, appendicibus 4 fuscis, quarum 2 interiores breves, filiformes, & 2 exteriores elongatæ (breviores tamen quam in priori), compressæ. subpellucidæ, basi latiores, apice angustiores, subcurvatæ, totæ præsertim circa apicem dense albido-ciliatæ. Alæ subhyalinæ. Pedes nigri, antici: geniculis summis, tibiis totis, tarsorumque articulis 3 primis flavis (metatarso apice incrassato); intermedii: toti (præter coxas) flavi, tarsorum articulo ultimo dilatato atro, basi puncto viridi, apice albicante;

Femina: epistomate, ore, palpis & antennis ut in prioris ♀. Alæ parum fuscanæ, nervis vix fuscedine cinctis. Pedes flavi, coxis cinereis; femoribus posticis ad apicem superne, tibiisque apice, nigris; tarsis posticis totis, & anterioribus apice, atris; in copula.

Raph. rufipes Zett. Ins. Lapp. 704. 5. var. a. ♂♀ (exclus. Syn. Meig.)

Hab. in Scandinavia boreali, medio mensis Julii, rarissime, in copula captum; scilicet in Lapponia Umensi ad Nästansjö, nec non in Norvegia ad Björkvik Nordlandiæ; sed juxta alpes Jemtlandiæ & Værdaliæ, ubi species præcedens frequenter, hæc mihi non, obvia fuit.

♂♀. Femina hujus, feminæ prioris simillima, & vix nisi levissima nota e colore pedum sumta dignoscenda; sed mas appendicibus analibus brevioribus, latioribus, simplicioribus (non furcatis), femoribus anticis fere totis nigris, apice tantum summo flavo, & tarsorum intermediorum articulo tantum ultimo (nec duobus ultimis), dilatato atro, basi

apiceque parum albescente, tam perspicue a mare prioris discrepat, ut individua ita constructa, licet feminas cum quibus in copula juncta illa inveni a feminis *R. crassipedis* distingvere non valeam, in dubium non vocaverim tamquam propriam speciem proponere.

9. *R. nasutum:* obscure æneo-viride (♂), aut olivaceum (♀); fronte virescente; epistomate nigro (♂), aut cano (♀); antennis nigris; thorace nigro-bilineato; squamis longe ciliatis halteribusque pallidis; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subapproximatis; pedibus nigris, tibiis testaceis; tarsis simplicibus; appendicibus analibus in mare furcatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: aureo-viridis, nitidus, abdominis segmentis basi cupreis; fronte ænea, subopaca. Antennæ longitudine fere capitis transversi, conicæ, seta antenna tota fere duplo longiori. Epistoma angustissimum, forte album, sed inter oculos cohærentes immersum, tantum in fundo rimæ nigræ observatur. Anus & appendices omnino ut in *R. crassipede.* Pedes nigri, tibiis testaceis, plus minus infuscatis; tarsis anterioribus fuscis, metatarso antico apice incrassato; tibiæ posticæ basi apiceque anguste nigricantes;

Fem.: ænea aut olivacea, fronte concolore. Antennæ capite transverso dimidio breviores, ovatæ, seta longa. Epistoma & os ut in *R. crassipede.* Pedes nigri, geniculis, tibiis totis femorumque posticorum basi, flavescentibus. Tarsi anteriores fusci; in copula.

Hydrochus nasutus Fall. Dolich. 6. 2. certe. ♀. *Porphyrops* Meig. Dipt. 6. 364. 32. ♀. *Rhaph. commune* Zett. Ins. Lapp. 701. 6. ♂♀ (exclus. Syn. *Porphyr. communis* Meig., qui "epistomate argenteo & fronte cyanea nitida" alia videtur species.) — Sub nomine *Medeter. bilineatus*, ♀ a D. *Stæger* olim quoque communicata.

Hab. in foliis fruticum locis uliginosis, per Sueciam, 25 Maj.—4 Aug., passim; scilicet in Scania ad Abusa &

Esperöd; i Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp &c. rar.; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Uplandia ad Holmiam, Idem; in Wermelandia ad Arås; in Dalecarlia; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Wilhelmina.

♂♀. Simile *R. crassipedi* (n:o 7), sed forte paullo minus, corpore magis nitido, alis minus infuscatis, epistomate maris angustiori, nigro, tarsis intermediis apice simplicibus, ut & femoribus intermediis in utroque sexu nigris, facile dignotum. Oculi in vivo subæneo-brunnei. Pleuræ glaucæ, in ♂ maculis viridibus nitidis. Tibiæ posticæ apice plerumque nigræ; at femora postica in ♀ basi flava.

Var. b. ♀. paullo majus, alis subinfuscatis, pedibus intermediis aut totis flavicantibus, aut femoribus nigris; Fall. l. c. var. *β*. In Scania & Wermelandia rar.

10. *R. fuscipes:* obscure æneo-viride (♂), aut olivaceum (♀); fronte virescente; epistomate nigro (♂), aut cano (♀); antennis nigris; thorace nigro-bilineato; squamis longe ciliatis halteribusque pallidis; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subapproximatis; pedibus discoloribus; tarsis simplicibus; antennis ♀ brevibus; appendicibus analibus ♂ simplicibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: caput ut in *R. nasuto.* Appendices anales ut in *confini.* Pedes nigri, tibiis flavo-albidis, postici basi anguste apiceque late nigris;

Fem.: caput ut in *crassipede*, sed antennæ paullo breviores quam in illo. Pedes flavi, coxis cinereis, tarsis obscuris; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 701. 7. ♂♀. — *Porphyrops* Meig. Dipt. 4. 54. 20. ♂.

Hab. in Scandinavia passim. Maj.—Aug. in humidis obvium; in Scania ad Abusa & Lund, in copula; in

Ostrogothia, D. *Stenhammar;* & in Lapponia ad Åsele inventum.

♂♀. Specimina Scanensia vera; Lapponica varietatem efficiunt. Tibiæ posticæ albidæ, apice late nigræ, & in mare versus apicem incrassatæ. — Var. b. Ins. Lappon. huic speciei non competit, sed ad sequentem pertinet.

11. *R. consobrinum:* cyanescens aut ænescens, subopacum, fronte virescente; epistomate albo (♂), aut sublutescente (♀); antennis nigris; thorace nigro-bilineato; squamis longe ciliatis halteribusque pallidis; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem parum approximatis; pedibus nigris, geniculis, tibiis tarsisque testaceis; tarsis appendicibusque analibus in mare, simplicibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

R. fascipes var. b. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 704. 7.

Hab. in Scandinavia, 27 Maj.—30 Jul., rarius; in copula; in Scania ad Lomma, D. *Dahlbom;* in littore maris parœciæ Jonsberg Ostrogothiæ, D. *Stenhammar;* in Lapponia Tornensi, D. *Frigelius*; in alpe Dovre, D. *Boheman;* & ad Levanger Norvegiæ, ipse.

♂♀. Simillimum *R. confini* (8), a quo tamen mas: epistomate nonnihil angustiori, & tarsis intermediis simplicibus, nec apice dilatatis, & uterque sexus: alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem minus approximatis, dignoscitur. — Tibiæ etiam posticæ & femora posteriora præsertim in feminis plerumque flavescunt. — Feminæ hujus Subdivisionis specierum sæpe ægre distinguuntur, utpote inter se parum discrepantes. Mares vero inter se sat dissimiles. Paria igitur in copula juncta diligenter quæras, observes & compares.

12. *R. longiseta:* obscure æneo-viride, fronte cyanea, epistomate albo; antennis atris, seta longa; thorace

lineato; alis cinereo-hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, femorum anticorum basi posticorumque macula apicali fuscis, tarsorum omnium articulis 4 ultimis nigris. ♂. (Long. circiter 1 lin.).

Hab. in Ostrogothia ad Häradshammar, ubi tria specimina a D. Præposito *Stenhammar* detecta fuerunt.

Mas: Statura & magnitudo *R. caliginosi*, sed antennis brevioribus, seta longiori, thorace gibbo &c. mox dignotum. Antennæ capite transverso paullo tantum longiores, triangulariter conicæ, apice microscopice pubescentes, seta antennis totis dimidio saltem longiore. Epistoma angustissimum, argenteum. Frons cyanea. Occiput viride, nitidum. Thorax parum nitidus, dorso lineis 3 tenuissimis brunneis. Abdomen viride, subnitidum, incisuris atro-subcupreis. Anus obtusus, filis occultis. Squamæ sub alis parvæ, flavæ, ciliis certo situ pallescentibus. Halteres pallidi. Pedes flavi, subnudi, coxis posterioribus schistaceis. Coxæ anteriores flavæ, basi leviter cinereæ. Femora anteriora a basi ad medium cinerascentia; postica superne ad apicem macula obsoleta fusca. Tibiæ omnes parce spinulosæ. Tarsi simplices, inermes, nigri, metatarsis flavidis, summo apice nigro.

Femina: an hujus? Similis mari descripto, a quo differt: magnitudine nonnihil minore, antennis brevioribus, & epistomate lato albo-virescente. — In Ostrogothiæ parœcia Jonsberg a D. *Stenhammar* detecta. Hab. teste Cel viro, cum *Rh. hamato* & *caliginoso* præsertim ad littora maris, in sic dictis *Sältings-vallar*, h. e. locis littoralibus, ubi Junci & Scirpus palustris cum Triglochin. & Plantagine maritima copiose crescunt.

13. *R. flavipalpe:* glaucescenti æneum, subopacum, fronte concolore; epistomate læte cærulescenti glauco, palpis magnis, latis, flavis, ore longe descendente, obscuro; antennis brevibus, fuscis; thorace subunilineato;

halteribus albis; alis cinereis, nervis: longitudinali 4:to curvato, transverso fuscedine cincto; pedibus flavescentibus, coxis cinereis, femoribus in medio late, tarsisque apice, nigricantibus. ♀. (Long. 2½ lin.).

Hab. in insula Gottlandia rarissime; ad Bursviken 16 Jun. 1819 specimen descriptum inveni.

♂. Magnum in hoc genere. Læte virescens, glauco-micans. Epistoma latum, sutura transversa nulla. Palpi squamæformes, lati, flavi, tenuiter fusco-pubescentes. Os magnum, longe descendens. Antennæ brevissimæ, fuscæ, basi testaceæ, seta nigra, subdorsali, deflexa. Thorax supra linea media dilute brunnea; subtus læte virescenti cinereus; postice cum scutello læte virescens. Abdomen viride, segmentis basi æneis. Alarum nervus 4:tus pone transversum infuscatum modice curvatus, & in medio (inter nervum transvers. & apicem alæ) umbra fusca cinctus, unde macula fusca obsoleta ibi formatur. Coxæ cinereæ, trochanteribus flavis. Pedes flavescentes, femoribus in medio late tarsorumque articulis 4 ultimis cinereo-nigricantibus; tibiis omnibus spinosis, anterioribus in medio infuscatis; femora intermedia basi apiceque latius flava. — Propter insertionem setæ non in apice antennæ, an hujus generis? Os magnum, longe descendens tamen hoc genus prodit. *Mas* deest pro loco certo determinando. Generi *Ortochile* appropinquans.

11. *R. discolor:* ænescenti cinereum, opacum, fronte concolore; epistomate cano; thorace nigro-bilineato; antennis nigris; halteribus flavis; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem approximatis; pedibus flavis, tarsis fuscis. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 704. 8. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi, rarissime; in ripa ad lacum Borgsjön, ut & ad Åsele, duo specimina 26 & 28 Jul. 1832 inveni.

♀. Robustum. Ænescenti griseo-cinereum, opacum, supra pilosum, *Hydrophoro rostrato* habitu & colore haud absimile. Antennæ capite transverso fere duplo breviores, seta vero antenna tota duplo longiore, nigra, basi (articulo primo) paullo crassa. Epistoma modice latum, cano-cinereum, sutura media obscura. Os modice descendens. Palpi mediocres, certo situ nigricantes, apice albæ. Oculi in vivo virides. Barba menti alba. Pectus cinerascens. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis præsertim basi, ferruginantibus, transverso in medio alæ sito, non exactissime recto, fuscedine cincto, longitudinalibus 3 & 4 nonnihil approximatis fere ut in *R. crassipede*. Squamæ pallidæ, longe albo-ciliatæ. Pedes flavo-testacei, coxis & trochanteribus cinereis, antice albo-villosis. Articuli tarsorum 3 l. 4 ultimi nigri. Tibiæ omnes extus, parce nigro-spinosæ. Femora, præsertim intermedia, subtus breviter albo-villosa. Femora antica in altero specimine basi leviter cinerea.

15. *R. maculicorne:* ænescenti fuscum, opacum, fronte concolore; epistomate palpisque magnis, latis, lividis; ore longe descendente, obscuro; antennis brevissimis, fuscis, subtus fulvis; alis cinereis, nervis infuscatis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, halteribus pedibusque flavis, coxis posterioribus cinereis, tibiarum summo apice tarsisque totis nigricantibus. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime; in prato humido prope mare in parœcia Jonsberg, a D. Præpos. *Stenhammar* detectum mihique ad describendum amicissime communicatum.

♀. Simile duobus proxime antecedentibus, sed a *flavipalpe* colore corporis pedumque, a *discolore* antennis rotundatis, nec acutis, facie livida, nec cana, coxis anticis flavis, nec cinereis, & ab utroque magnitudine multo minore, antennis subtus rufis & alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, præcipue differt. Os magnum, nigrum. Palpi squamæformes, lividi. Antennæ parvæ, rotundatæ, seta subapica-

li, deflexa. Frons & thorax opaca, subolivacea. Abdomen depressum, æneum subnitidum. Alarum nervus 4:tus levissime tantum curvatus in apice alæ excurrit; transversus in medio situs, fuscedine cinctus. Squamæ sub alis minutæ, flavæ, nudæ an detritæ? Tibiæ summo apice nigræ. Metatarsus intermedius flavidus.

16. *R. thoracicum:* thorace fronteque chalybeis; epistomate argenteo; antennis nigris; halteribus albis; abdomine obscure viridi-æneo; alis fuscanis; pedibus rufis, tarsis omnibus tibiisque posticis nigris. ♀. (Long. non omnino 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 53. 16. ♀.

Hab. in Ostrogothia, teste D. *Wahlberg*, qui insectum hoc rarissimum ad Gusum legerit; a me nec inventum, nec visum.

♀. Epistoma album, nigro-micans, sutura transversa media. Palpi cinerei, albo-marginati. Frons nitida. Thorax nitidus, chalybeus, postice aureo-viridis, scutello cæruleo. Pleuræ schistaceæ. Abdomen obscure æneo-viride. Pedes rufi. Coxæ cinereæ, anticæ pallide flavæ. Tarsi anteriores nigri, basi flavi. Tibiæ tarsique postica tota nigra.

17. *R. hamatum:* viride, nitidum, fronte cyanea; epistomate albicante, apice subelevato; antennis nigris; ore parum descendente; halteribus flavis; alis parum fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis; pedibus flavis, tarsis obscuris, metatarso postico sæpe basi pallido; in mare femoribus posticis apice nigris, tarsisque basi hamatis, ano simplici. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistoma angustum, inter oculos immersum, albicans, summo apice prominulo, argenteo. Os minime descendens. Antennæ capite transverso duplo l. triplo longiores, articulo ultimo conico l. subrhomboidali, microscopice puberulo, seta longitudine vix dimidiæ antennæ, basi fracta.

Abdominis basis ad latera plus minusve flavo-maculata. Tibiæ posticæ dense nigro-spinulosæ. Metatarsus posticus intus denticulo simplici incurvo nigro armatus;

Femina: epistoma modice latum, obscure albicans, in medio retusum, apice elevato. Os vix descendens, obscurum. Antennæ capite transverso paullo breviores, seta antenna duplo longiori, ante imam basin fracta. Tibiæ posticæ parce spinulosæ, metatarso inermi; in copula.

Var. a. ♂. abdominis segmento 2:do 3:tioque macula laterali flava; fomoribus posticis superne macula apicali atra; plerumque nonnihil majus.

Dolichopus pallipes Fabr. Antl. 266. 2. ♂. *Porphyrops* Meig. Dipt. 4. 55. 23. ♂♀.

Var. b. ♂. abdomine viridi, ventre basi flavo; femoribus posticis aut immaculatis, aut ad apicem annulo atro; plerumque minus.

Var. c. ♂. abdominis segmento 2:do 3:tioque fascia flava, dorso linea angusta viridi interrupta; femoribus posticis flavis, immaculatis.

Var. d. ♀. (in copula cum var. a. b. & c.) abdomine viridi aut immaculato, aut rudimento macularum flavidarum in lateribus segmentorum 2:di & 3:tii, aut denique fasciis duabus interruptis flavis, immaculatis.

Hab. in graminosis, libenter locis humidiusculis, umbrosis, in hortis & pratis, per Scandinaviam, 6 Jun.—12 Sept., passim copiose; in copula; scilicet var. a. & d. in Scania ad Lund frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Sudercopiam &c., & in hortis ad Wadstena tempore præsertim autumnali certis annis abundans; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*, ad Thynæs Norvegiæ, passim; Var b. cum var d. in Ostrogothia; in Nericia ad Kihls Blacksta, & in Norvegia ad Alstahaug & Thynæs prope Levanger, haud raro; Var. c. cum var. d. in Ostrogothia & Nor-

vegia rarius lectum. — E Dania pleræque harum varietates a D. *Stæger* etiam missæ.

♂♀. Parvum. Simile *R. laticorni* (2), *macrocero* (3), *caliginoso* (4) & *fasciato* (5), sed in mare tibiis posticis crebrius spinulosis, metatarso postico basi intus hamato, nec inermi, & in utroque sexu epistomate paullo excavato, summo apice subprominente, metatarsoque postico sæpe basi pallido, nec toto nigro, ab illis præcipue & satis superque dignotum. Oculi in vivo aureo-virides, unicolores. Frons cyanea, nitida. Thorax viridis, parum nitidus, vix lineatus, pilosus, pectore schistaceo-æneo, opaco. Abdomen viride, nitidum, ut in varietatibus allatis pictum, ventre plerumque pallido, ano in utroque sexu obtuso, genitalibus non exsertis. Alæ subhyalinæ, nervo transverso in medio alæ sito, rectissimo. Pedes flavi, coxis anticis concoloribus, posterioribus schistaceo-æneis; tarsorum articulis 4 ultimis nigricantibus. Tarsi postici atri, metatarso basi pallido. Tibiæ anticæ tenues, inermes, posteriores validiores, spinulosæ. Maris metatarsus posticus intus ad basin denticulo parvo, aterrimo, apice incurvo. — Mas variat femorum tibiarumque posticorum apice nigro. Variat ♂ etiam raro (in speciminibus Ostrogothicis frequenter) metatarso postico toto atro. Macula sub antennis in ♂ viridis.

Obs. Hoc idem ac *Dol. pallipes* Fabr. & *Porphyrops pallipes* Meig. verosimile est, quamquam hi Auctores de hamulo tarsorum in mare omnino silent. — Forte quoque *Rhaph. rufipes* Meig. Dipt. 4. 30. 7. ♂., sub var. b. d. *R. hamati* latet? *Hydroch. tarsatus* var. ♀ Mus. Fall.

18. *R. punctatum:* "grisescenti æneum; fronte obscure violacea; antennis atris; abdomine flavo-pellucido; coxis omnibus pedibusque flavis, alis fusco-hyalinis, nervis longitudinalib. 3 & 4 subrectis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin)."

Stæger. in litteris 22 Maj. 1841.

Hab. in Dania, ubi 2 mares & unam feminam in-

venit D. *Stæger.* In Suecia, Lapponia aut Norvegia hactenus non deprehensum, quantum novi. (Uterque sexus a Nobilissimo Detectore nuperrime mihi communicatus fuit).

"*Mas:* antennis longitudine capitis transversi, articulo ultimo acuto, seta elongata; abdomine maculis dorsalibus trigonis nigris; metatarso postico intus spina gemina armato.

Fem.: antennis brevibus, articulo ultimo subrotundato, seta longissima; abdominis incisuris nigris". *Stæger* l. c.

19. *R. denticulatum:* olivaceum, subopacum, fronte virescente, epistomate albicante; antennis angulatis, atris; halteribus pallidis; alis parum fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis; pedibus virescentibus, geniculis tibiisque testaceis, tarsis obscuris; metatarso postico in mare intus spinula gemina armato; ano simplici. ♂. (Long. circit. 1½ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ante plures annos masculum unicum inveni.

♂. Simile *R. hamato*, sed paullo majus, robustius, obscurius, antennis aliter constructis, femoribus viridibus, nec flavis, metatarsi postici denticulo gemino, nec simplici, præcipue dignotum. Antennæ capite transverso paullo longiores, atræ, articulo primo cyathiformi; 2:do brevi, angustissimo; ultimo compresso, lato, subquadrato, basi sagittato, apice acuto, microscopice puberulo, seta longitudine totius antennæ, nuda. Frons viridis, subnitida, macula supra antennas cyanea. Vertex setosus. Epistoma minus angustum, albidum, subretusum, apice subprominulo, albido-nitido. Os parum exsertum, obscurum. Thorax supra olivaceus, opacus, brunneo-sublineatus, setosus; subtus obscure æneo-schistaceus. Scutellum viride. Abdomen æneum nitidum, pubescens, segmentis basi cupreis. Anus absque appendicibus. Nervus alarum long. 4:tus pone nervum transversum levissime curvatus, & in curvatura umbra fusca,

punctiformi cinctus. Nervus transversus rectissimus, forte paullo magis, quam in affinibus, ad marginem interiorem retractus, unde nervus longitud. 5:tus nonnihil brevior apparet. Squamæ parvæ, pallidæ nigro-marginatæ, longe fusco-ciliatæ. Pedes validi, coxis cinereis, femoribus virescentibus, genubus tibiisque parce spinulosis, testaceis, tarsis obscuris. Tibiæ anticæ angustæ, inermes. Tarsi postici toti atri, metatarso valido, intus ad basin denticulis 2 approximatis, subcurvatis, atris armato.

20. *R. aculeatum:* viride, nitidum, fronte cyanea; epistomate albo; antennis subangulatis, atris; halteribus pallidis; alis parum fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, femoribus posticis ad apicem tarsisque omnibus nigris; metatarso postico in mare intus spinula gemina armato. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia ad Häradshammar? A D. *Stenhammar* specimen unicum detectum (loco speciali non indicato) mihique ad describendum benignissime communicatum.

Mas: Affine *R. punctato & denticulato*, sed a priore differt abdomine non flavo-pellucido, a posteriore pedibus flavis, sed ab utroque magnitudine minore &c. Antennæ ut in *denticulato*, seta brevi. Epistoma angustum, argentum. Thorax immaculatus. Abdominis incisuræ atro-cupreæ. Anus simplex, filis retractis. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamulæ sub alis pallide ciliatæ & halteres, flava. Pedes flavi, subnudi. Coxæ anticæ flavo-albæ, posteriores cinereæ. Femora postica ad apicem annulo fusco. Tibiæ posteriores spinulosæ. Tarsi nigri, metatarsis anterioribus flavidis. Metatarsus posticus spinula minuta gemina.

21. *R. albifrons:* obscure æneum, nitidum, fronte alba; epistomate cano; antennis atris; halteribus flavis; alis subfuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus

apicem subapproximatis; pedibus flavo-testaceis, coxis cinereis, anticis apice pallidis, femoribus anticis posticisque superne, tarsisque omnibus fusco-nigris. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; in Norvegia ad diversorium Garnæs Værdaliæ 30 Jun. 1840 specimen descriptum inveni.

♀. Frons supra antennas inter oculos alba vel argentea, femorum pictura & pedes inermes, tibiis vix spinulosis, speciem distingvunt. — Vertex olivaceus. Antennæ capite transverso fere breviores, seta apicali duplo longiore. Os descendens. Pedes graciles, straminei. — Mas ignotus.

22. *R. pallidum:* "pallide ferrugineum, abdominis dorso infuscato, antennis pallidis, in ♂ apice fuscis, thorace brevioribus, pedibus pallidis summo apice fuscescentibus, filis analibus simplicibus pilosis. ♂♀ (Long. vix ½ lin.)."

Stenhammar in litteris 29 Martii 1842.

Hab. in uliginosis graminosis (ad fontes) in Ostrogothiæ parœcia Häradshammar, ad Pastoris sedem, passim, D. *Stenhammar.* Etiam ad Holmiam captum. A me neque lectum neque visum. *)

---

*) Manuscripto jam typo mandato uterque sexus a Detectore mihi communicatus fuit. *Dolichopo flavicolli* (n:o 106) valde simile videtur, sed forte potius *Rhaphii* generis est. *Mas*: antennæ longitudine fere capitis transversi, pubescentes, obscuræ, basi dilutiores, seta longitudine antennæ. Abdomen nigrum, ventre flavo. Anus simplex, filis flavis. Alæ ut in *Dolich. flavicolle* descriptæ. Palpi & pedes pallidi, tarsi apice fusci. *Femina:* similis mari, sed differt: antennis brevioribus, totis pallescentibus, seta longiori, abdomine toto testaceo, ano acuto absque filis.

58. CHRYSOTUS Meig.

Corpus: parvum, sæpe minutum; nitidum. Antennæ in utroque sexu breves (in *C. magnicorni* longitudine capitis transversi), articulo ultimo rotundato, patelliformi, seta apicali, deflexa, versus apicem microscopice puberula. Epistoma angustum, albidum. Os non descendens Frons virescens, raro cyanea. Alæ divaricatæ, hyalinæ, immaculatæ, metallice nitentes, nervis simplicibus, 4:to longitudinali subrecto, in summo apice alæ desinente. Nervus transversus fere ante medium disci (in *C. Rhaphioides* & *pumilo* in medio) situs. Pedes simplices. *Color* corporis æneo-viridis l. viridi-aureus, pectoris schistaceus; femorum sæpissime viridis. *Motu* agilis, inquietus. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum. *Differentia sexus; mas:* oculis infra antennas fere cohærentibus seu epistomate angustissimo, abdominis segmentis 6, ano subinflexo, filis 2 brevissimis appendiculato; *femina:* epistomate nonnihil latiori, abdominis segmentis 5, ano acuto, absque appendicibus. Typus generis *C. viridulus*, qui etiam fusius est descriptus.

Subd. 1. corpore obscure viridi l. prasino-colorato. Parvi. Firmiores, femoribus sæpe viridibus.

1. *C. magnicornis:* aureo-viridis, albo-submicans, epistomate obscuro; antennis magnis nigris; alis hyalinis; pedibus pallescentibus, femoribus anterioribus totis, posticis superne, tarsisque omnibus, fuscis. ♂. (Long fere 2 lin).

Hab. in Westrogothia, rarissime; a Cel. Prof. *Boheman* 1835 detectus.

♂. Maximus nostratum in hoc genere. Totus aureo-viridis, nitidus, leviter albo-micans præsertim in pectore & apice abdominis. Oculi hirtuli; sub antennis fere cohærentes, interstitio tantum angustissimo, obscuro disjuncti. Partes oris retractæ. Antennæ longitudine capitis transversi, nigræ, articulo ultimo magno, compresso, elongato-triangulari,

seta apicali nuda. Frons virescens. Pectus cinerascens. Anus appendicibus 2 filatis, curvatis, nigris. Alæ hyalinæ, immaculatæ, nervo longit. 4:to parum curvato in summum apicem excurrente. Halteres flavi. Pedes pallescentes, coxis cinereis. Femora anteriora fere usque ad apicem, tarsique omnes, nigro-fusca. Femora postica a medio ad apicem præsertim superne brunneo-subinfuscata.

2. *C. viridulus:* æneo-viridis, antennis nigris; alis hyalinis, halteribus pedibusque flavis (♂); femorum medio in femina, tarsorumque apice in utroque sexu, nigricantibus. ♂♀. (Long. 1 lin.).

C. neglectus Meig. Dipt. 4. 41. 1.? ♂♀. tab. 35. f. 10. Macq. Buff. 1. 446. 1? ♀. Zett. Ins. Lapp. 705. 1. ♂♀. *Dolichopus viridulus* Fall. Dolich. 18. 23. ♂♀. verus. *Chrys. femoralis* Meig. Dipt. 42. 5. ♀. teste D. *Stæger*. Ut *Dol. neglectus* Wied. Zool. Magaz. 1. 74. 22. mas a D. *Wiedemann* missus; Mus. D. Falleni.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, locis sæpe humidis, per Scandinaviam, 20 Jun.—15 Sept., passim frequens; scilicet in Scania ubique vulgaris, in copula sæpe deprehensus; in Ostrogothia, Gottlandia ad Thorsborg &c., Nericia, Herjedalia, Ångermannia &c., mihi haud raro obvius; in Botnia ad Kengis freq.; in Lapponia rarissime.

♂♀. Parvus. Æneo-viridis, nitidus. Antennæ breves, atræ, seta longa. Frons viridis. Vertex nigro-setosus. Oculi sub antennis in ♂ cohærentes, in ♀ paullo distantes. Epistoma ♀ angustatum, album. Thorax supra nigrosetosus. Pleuræ schistaceæ. Alæ pure hyalinæ, nervis longitudinalibus 3 & 4 rectis parallelis, transverso ante medium alæ sito, brevi, rectissimo. Hinc nervus long. 5:tus infra transversum longior, quam in *Rhaphio*. Squamæ parvæ, albæ, longe albo-ciliatæ. Halteres flavi. Pedes breviusculi, validi, pu-

bescentes, flavi, tarsorum articulis 4 ultimis nigricantibus; tibiis posterioribus parce spinulosis. *Mas*: femoribus omnibus coxisque anticis, flavis, coxis posterioribus cinereis. *Femina:* coxis omnibus cinereis, femoribus omnibus æneseenti nigris, basi apiceque plus minus anguste flavis; trochanteribus pallidis. Variat ♂ scutello cyaneo.

3. C. *femoratus:* æneo-viridis, cærulescenti micans, antennis nigris; alis hyalinis, halteribus pedibusque flavis, femoribus æneis, basi apiceque pallidis, tarsis atris; tibiis posticis nigris, extus ciliatis, basi testaceis. ♂. (Long. 1 lin.).

Stæger in litteris 22 Maj 1841.

Hab. in Amager Daniæ, rarissime, mense Julio inventus a D. *Stæger*, qui specimen descriptum pro comparatione mihi benigne communicavit.

♂. Priori valde similis, sed colore corporis viridi in cæruleum abiente, & præsertim tibiis posticis nigris (nec testaceis), tantum latere exteriori baseos pallidis, & extus distincte nigro-ciliatis, dignotus. Coxæ etiam omnes cinereæ, nec anticæ flavæ.

♀. Æneo-viridis, epistomate latiusculo, albido; antennis nigris; alis hyalinis, halteribus pedibusque flavis, coxis cinereis, femoribus in medio æneis, tarsis nigricantibus, tibiis posterioribus parce nigro-spinulosis, cum *mare* descripto in Amager deprehensa, & ut *femina* hujus a Nobil. *Stæger* dubitanter missa, parum a *C. viriduli* femina differre videtur. Epistoma tamen in specimine lustrato paullo latius videtur quam in *C. viridulo;* & individua ejusmodi epistomatis structura lata prædita in Scania a me quoque lecta.

4. C. *gramineus:* æneo-viridis; antennis nigris; alis hyalinis, halteribus flavis; pedibus æneis, tibiis testaceis, harum posticis in mare obscuris, tarsisque omnibus in utroque sexu nigricantibus. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 705. 2. ♂♀. *Dolichopus gramineus* Fall. Dolich. 19. 24. certe. ♂♀. *Chrysotus gramineus* Meig. Dipt. 7. 149. 11. *Dolichopus nigripes* Fabr. Antl. 269. 12. *Chrysotus* Meig. Dipt. 4. 42. 6. ♂♀. Macq. Buff. 1. 417. 4. *Chrysot. copiosus* Meig. *) l. c. 4. 41. 2. ♂♀. Macq. l. c. 416. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Scandinaviam totam, 5 Jul.—30 Aug., ubique vulgatissimus, in copula multoties deprehensus; feminas usque ad finem Sept. vigentes sæpe observavi; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia & Gottlandia, frequentissimus; in Bahusia ad Foss, 21 Jul. 1823, D. Prof. *B. Fr. Fries;* in Jemtlandia ad Faxelfven, in Frösön, ad Åreskutan & Mullfjellen, haud raro; in Helsingia ad Stråtjära; in Ångermannia ad Hernösand, frequens; in Lapponia Umensi & Tornensi usque ad lacum Kilpisjaur adscendens, passim. In Norvegia ad Alstahaug & Levanger, minus freq. — E Finlandia a D. *Sahlberg;* & e Dania a D. *Stæger* etiam communicatus. (E regione Reinverzensi a D. *Zeller* missus).

♂♀. Similis *C. viridulo*, sed nonnihil minor, & femoribus in utroque sexu totis æneis, nec basi apiceque pallidis, ut & tibiis posticis in mare nigricantibus, mox dignotus. Color corporis & verticis viridis in cæruleum sæpe vergit. Oculi in vivo aureo-virides. Os nigrum. Pectus schistaceum.

---

*) Inter Meigeni *Chrysotum copiosum* l. c. "viridi-aureum, pedibus nigris, tibiis rufis"; *nigripedem* l. c.: "viridi-æneum, pedibus nigricantibus, tibiis testaceis", & *gramineum* l. c.: "æneum, pedibus nigris, tibiis tarsisque anterioribus flavis" non tales notas discernentes allatas esse invenio, ut eis nixus has tres formas sine dubio tantum varietates ejusdem speciei tamquam totidem species distinctas proponere vellem.

Coxæ cinereæ, trochanteribus pallidis vel testaceis. Tibiæ posteriores spinulosæ. Epistoma ♀ modice angustum, albidum. Tibiæ posticæ maris nigricantes, in junioribus fuscæ. Metatarsi anteriores in utroque sexu pallidi. Epistoma maris ob oculos infra antennas arcte cohærentes non conspicuum. *Mas:* corpore viridi-cærulescente & fronte cyanea, in copula cum *femina:* corpore fronteque æneo-viridibus, aliquoties inventi. Talia exempla variantia quoque in Museo *Falleni* sub nomine *Dol. gramineus* exstant. Tibiæ posticæ in ♀ sæpe summo apice nigrescunt.

5. *C. læsus:* æneo-viridis l. viridi-cærulescens; antennis nigris; alis hyalinis, halteribus flavis; pedibus nigricantibus, femoribus æneis, geniculis summis testaceis. ♂♀. (Long. fere ¾ lin.).

Meig. Dipt. 4. 43. 7. ♂♀. Macq. Buff. 1. 447. 5. *Dolichopus* Wied. Zool. 1. 73. 21. Fall. Dolich. 19. 25. ♀ (non ♂, qui ad *Crys. gramineum* pertinet).

Hab. in graminosis, locis humidis, in Suecia, 2 Jul. —14 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd &c., minus frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp rar.; in Häradshammar, D. *Stenhammar*; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Hofverberget, rarissime.

♂♀. Similis iterum *C. gramineo*, sed adhuc paullo minor, antennis nonnihil majoribus & tibiis omnibus obscuris præcipue distinctus. Corpus jam totum viride, jam totum cærulescens aut cyanescens, jam denique thorace viridi & abdomine cærulescente. Antennarum articulus ultimus sat magnus. Geniculi summi præsertim in ♀ pallescunt. Epistoma feminæ glauco-virescens. Reliqua ut in priori.

6. *C. tæniomerus:* æneo-viridis-cærulescens; antennis nigris; alis hyalinis, halteribus pedibusque flavis, fe-

moribus pone medium annulo æneo-nigro; tarsis infuscatis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 362. 10. ♀. forte idem. *Dolich. viridulus* Fall. Dolichop. 18. 23. Descriptio: variet. feminæ "apice femorum posticorum nigro."

Hab. in Scania rarissime, duo tantum exempla ibi lecta vidi; in Smolandia quoque a D. *Boheman* captus mihique olim ad lustrandum missus.

♀. Similis & affinis *C. viridulo*, pictura femorum ab hoc & ceteris diversus. Viridis, nitidus, corpore in altero specimine a cæruleo splendente. Antennæ nigræ. Epistoma modice angustum, viridi-album; an ita etiam in vivo & illæso? Frons viridis, vertice cyanescente. Pectus glaucum, macula laterali viridi. Abdominis apex cyaneo-cærulescens. Pedes validi, flavi, coxis cinereis, summo apice pallido; trochanteribus flavis. Annulus fusco-nigricans femorum anteriorum fere in medio, magis obsoletus, posticorum mox pone medium, magis perspicuus, in individuo cæruleo per umbram fuscam tantum indicatus. Tarsorum omnium articuli quatuor ultimi infuscati.

Var. b. ♂♀. Duplo minor, totius capitis, thoracis abdominisque colore magis læte subcærulescenti viridi, nitido; de cetero var. a. similis, in Caricetis ad Häradshammar Ostrogothiæ a D. *Stenhammar* parce lectus. An specie propria?

7. *C. Rhaphioides:* obscure æneus, antennis nigris; alis fuscanis, halteribus pallidis; pedibus flavis, tarsis nigris. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 705. 3. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Åsele d. 26 Jul., & ad Hernösand Ångermanniæ 30 Aug., specimina duo inveni.

♀. A prioribus colore corporis obscuriori, alarum fuscedine &c. discedit. Antennæ nigræ, seta ni fallor mox infra apicem articuli ultimi inserta; de cetero breves & rotundatæ ut in ceteris hujus generis. Epistoma modice latum, sordide albidum. Os non descendens. Thorax setosus & abdomen, nitida. Pleuræ & coxæ schistaceæ. Alæ subfumato-hyalinæ, metallice nitentes, nervis fuscedine cinctis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, transverso in medio, nec ante medium alæ, sito. Pedes testaceo-flavi, tarsis nigris, tibiis parce, sed imprimis posterioribus longe, spinosis. An *Dolichopi* species?

8. *C. obscuripes:* obscure æneus, antennis pedibusque nigris; alis fumato-hyalinis, halteribus flavis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 705. 4. ♀. An quoque *Chrys. cupreus?* Macq. Buff. 1. 477. 6. & Meig. Dipt. 7. 149. 12.

Hab. in Lapponia Suecica Umensi rarissime; in parœcia Frederica specimen unicum d. 29 Jul. 1832 inveni.

♀. Hujus certe generis. Totus obscure viridi-æneus, scutello & regione thoracis ante scutellum paullo lætius viridibus. Epistoma modice latum, griseo-albidum. Os subexsertum, obscurum. Antennæ nigræ. Frons virescens. Thorax setosus. Alæ metallice splendentes, nervo transverso ante medium sito, breviusculo, rectissimo. Pectus schistaceum. Pedes validi, toti nigri, subpubescentes, tibiis parce & breviter spinulosis. Coxæ omnes cinereæ, nec anticæ pallide flavæ ut in *Chrys. cuprei* mare Meig. & Macq., nec nigricantes, apice flavescente, ut in Meigeni nominatæ speciei femina, unde etiam dubium de identitate hujus cum nostra specie oritur, licet de cetero quadrent.

9. *C. pumilus:* viridi-æneus, antennis nigris; fronte cyanea; alis hyalinis, halteribus pallidis; pedibus flavis, femoribus anticis annulo basali, tarsisque omnibus, nigricantibus. ♀. (Long. 1 lin.).

Porphyrops Meig. Dipl. 4. 53. 17. ♀. & 6. 363. ♂. Macq. Buff. 1. 444. 11. ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Scania ad Lund d. 4 Jul. semel inveni; & altera vice in silva Fylla prope Wadstena Ostrogothiæ 19 Aug. 1841 captus.

♀. Similis *Rhaph. caliginoso*, antennis brevioribus, ore non descendente, annulo femorum anticorum obscuro, & femoribus tibiisque posticis immaculatis dignotus. Epistoma latum, subretusum, album, apice subprominente. Thorax parum nitidus, setosus. Abdomen nitidum. Alæ cinereæ, nervis longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis, transverso fere pone medium alæ sito, unde longitudinalis 5:tus infra transversum brevior est quam in prioribus. Pectus schistaceum. Pedes mediocres, flavi. Coxæ cinereæ; anticæ flavæ, ima basi cinereæ. Femora antica a basi fere ad medium fascia nigrofusca. Femora postica superne ad summum apicem vestigio maculæ dilute brunneæ. Tarsi omnes nigricantes, metatarsis anterioribus pallescentibus. Tibiæ posteriores extus non longe, sed distincte spinulosæ.

Obs. Chrys. cinerellus Zett. Ins. Lapp. 706. 5. (seu *Porphyrops annulipes* Meig. & *Dolichopus pulicarius* Fall. & Zett. n:o 88), *Porphyrops æneicoxa* Meig., ut & *Dol. brevicornis* (n:o 89) &c., affines sunt & similes *Chrys. pumilo* (n:o 9); nervo autem longitudinali 4:to non exactissime recto, sed leviter flexo nonnihil ante summum apicem alæ, nec in ipso apice ut in *pumilo*, excurrente, antennarumque seta dorsali, nec terminali, facile dignoscendi, in genere *Dolichopo* quærendi.

Subd. 2. corpore læte aureo-viridi. Minutissimi. Molliculi, pedibus citrinis.

10. *C. molliculus:* læte aureo-viridis; antennis atris; pedibus citrinis, tarsorum articulo ultimo nigro; alis cinereis, nervis pallidis, transverso in medio alæ sito; ab-

domine feminæ flavo, dorso macula basali viridi, ano atro. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.)

Dolichopus Fall. Dolich. 23. 35. certe. ♂♀. — *Chrysot. lætus* Meig. Dipt. 4. 43. 8. ♂♀. — *Chrysot. diversus* Stæg. in litt. 24 Aug. 1839.

Hab. in foliis fruticum Coryli, Alni &c., in pratis humentibus, per Sueciam meridionalem & mediam, 8 Jul.—5 Sept., passim, in copula; scilicet in Scania ad utrumque Esperöd, ad Silfåkra prope Lund &c., rarius; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp & Häradshammar, minus frequens; in Gottlandia ad Öja, Ahlskog, Ruthe & Kyllej, passim. Circa Hafniam uterque sexus a D. *Dahlbom* lectus; etiam a D. *Stæger* communicatus. (Ex Hamburgo a D. v. *Winthem* hunc quoque obtinui.)

♂♀. Minutus. Læte viridis, supra griseo-pilosulus. Antennæ parvæ nigræ. Frons viridis. Epistoma viridi-album, in ♂ angustum, in ♀ paullo latius. Alæ cinereæ, metallice nitentes, basi præsertim flavo-nervosæ, nervis longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis, modice remotis. Halteres & squamæ parvæ, pallida. Pectus glauco-virescens. Pedes validi, nudi, toti cum coxis pallide flavi, tarsorum articulo ultimo nigro. Abdomen, in mare læte viride, ano subinflexo, obscuro, ventre pallido; in femina flavum, basi macula l. fascia viridi, in segmento 2:do dorsali puncto minuto nigro, & ano seu segmento ultimo ejusdem coloris.

11. *C. concinnus:* læte aureo-viridis; antennis pallidis; pedibus citrinis, tarsorum articulo ultimo concolore; alis cinereis, nervis pallidis, transverso ante medium alæ sito; abdomine feminæ flavo, ano viridi. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Stæger in litteris 24 Aug. 1839. Fall. in descriptione sub *D. molliculo* latet.

Hab. in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp quoque mense Julio semel in copula inveni. Uter-

que sexus in Dania captus etiam a detectore D. *Stæger* communicatus.

♂♀. Similis & affinis priori, sed certe distinctus, ut rite observavit oculatissimus *Stæger.* Differt nempe ab illo magnitudine paullo minori, antennis minoribus, flavis, articulo ultimo tantum fuscescente, tarsorum articulo ultimo flavo, nec nigro, nervo transverso ad basin alæ nonnihil magis retracto, ut & abdomine flavo in femina macula basali viridi nulla, & articulo ultimo viridi, nec nigro.

Obs. In humidis silvæ ad Esperöd in parœc. Tranås Scaniæ d.5 Sept. 1820, individuum femineum inveni, *C. molliculo* simile, sed paullo forte majus, thorace albescenti viridi, antennis duplo longioribus, flavis, certe distinctum; ex unico vero specimine, cujus abdomen ad dimidium jam est mutilatum, speciem novam fingere non audeo.

---

59. DIAPHORUS Meig.

Corpus parvum, pubescens, vertice thoraceque setulosis. Antennæ breves, infra medium faciei, nec in parte superiori, insertæ, seta dorsali longa, deflexa, microscopice puberula. Epistoma breve. Os subexsertum, sed vix descendens. Oculi maris in fronte longe & arctissime cohærentes; feminæ late distantes. Alarum nervi simplices, longitudinalibus 3 & 4 rectis, parallelis, sat remotis; transverso recto, in medio alæ sito; auxiliari fere ad medium costæ extenso. Pedes mediocres, simplices. *Color* æneus aut niger, parum vividus. *Motu* agilis: a puncto, ubi sedem habuit, celerrime, at breviter avolat, ad idem mox revertens; quem lusum, sole urente, sæpius repetunt mares. *Habitatio* in fruticum foliis, ubi 10--20 & plura individua mascula sæpe uno loco congregata. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* oculis supra antennas arcte & longe cohærentibus, appendicibus ani brevibus, filiformibus; *femina:* oculis undique remotis, ano simplici.

1. *D. oculatus:* æneus, antennis pedibusque nigris, femorum anteriorum apice lato, tibiisque omnibus, flavis; capite cinerascente; alis fuscanis, halteribus pallidis; abdomine in ♂ basi fascia pallida, subpellucida. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Mas: oculis magnis, per totam longitudinem frontis arcte coadunatis, in vivis disco pulchre cæruleo-violaceo, limbo æneo; epistomate brevissimo, lato, albido; ore præter palpos parvos, testaceos & proboscidem nigram, mediocrem, parum exserto, non descendente; abdomine cylindrico, piloso, apice setis rigidis 5—6, nigris obsito, ano inflexo, appendicibus 4 brevibus, quarum 2 latioribus, inflexis, pallidis, & 2 filiformibus, pendulis, pilosulis, nigris, armato; in segmento 2:do fascia undique lata, flava, subpellucida; tarsis anticis unguibus paullo elongatis, sordide albidis;

Fem.: oculis mediocribus, fronte lata, ænescente; epistomate brevi, æqualiter cum fronte lato, cano, in medio sutura transversa; palpis paullo majoribus, apice testaceis, & proboscide nigra, subexsertis; abdomine unicolore; tarsorum ungvibus brevibus; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 706. 1. ♂♀. *Dolichopus* Fall. Dolichop. 28. 22. certissime. *Diaphorus flavo-cinctus* Meig. Dipt. 4. 33. 1. Tab. 34. f. 8. ♂ (exclus. synon. Hoffmanseggii. Cfr. Meig. 6. Add. p. 360). *Diaphora Hoffmanseggii* Macq. Buff. 1. 448. 1.? ♂.

Hab. in foliis fruticum, in pratis sylvaticis, per Sueciam meridionalem & mediam, 29 Jun.—15 Aug., vulgaris, præsertim mas copiose, in copula sæpe deprehensus; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd minus frequens; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, Gottenvik &c., frequentissimus; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Ruthe, Hafdhem, Eke, Stenkyrka &c., sat frequens, in utroque sexu

captus; in provinciis Sueciæ magis borealibus rarescit; sed in alpe Dovre a D. *Boheman* lectus. — (♂ e Glogavia & ♀ e regione Reinerzensi a cel. D. *Zeller* 1842 benigne missi).

♂♀. Subnitidus. Oculi nudi. Thorax supra leviter albo-micans, subtus schistaceus. Nervus auxiliaris fere ad medium costæ extensus. Halteres pallide flavi. Pedes flavescentes, trochanteribus concoloribus. Coxæ cinereæ, anticæ apice pallidæ. Femora anteriora a basi & fere ultra medium, indeterminate, posticaque tota, & tarsi omnes, nigricantia. Tibiæ posticæ apice plerumque quoque nigrescunt. Pedes toti pubescentes, femoribus subtus tenuiter pilosis; tibiis posterioribus parce spinulosis. *Mas* variat aut segmento abdominis tantum 2:do toto, ut in speciminibus Gottlandicis sæpe obtinet, aut plerumque segmento 2:do toto, 3:tioque basi, flavis. — Caveas ne feminam cum *Dolichopis* quibusdam similibus confundas. Notas singulas pro ambobus generibus communes aut diversas probe compares & perpendas. Extensio nervi auxiliaris fere ad medium costæ, & situs antennarum in medio faciei, nec in parte superiori, non parvi sunt momenti ad genus rite distingvendum.

2. *D. obscurellus:* nigro-æneus, antennis, epistomate, halteribus, pedibusque nigris; alis hyalinis ad costam subfumatis. ♂. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 706. 2. ♂.

Hab. in Scandinavia rarissime; duo tantum exempla inveni, unum scilicet ad Lärketorp Ostrogothiæ mens. Julio, & alterum in Lapponia meridionali Umensi ad Almsele d. 24 Jul. 1832, captum.

♂. Parvus. Niger, opacus, thorace certo situ obscure æneo, præsertim postice. Abdomen conicum, apice setosum, appendicibus annalibus parum exsertis. Alæ præsertim ad costam fumatæ. Halteres nigri. Pectus nigro-schistaceum. Pedes fusco-nigri, tarsorum anticorum ungvibus reliquis

majoribus. — *Meigeni Diaph. nigricans:* tibiis tarsisque testaceis & *Diaph. Winthemi:* corpore æneo, epistomate halteribusque albis, a *D. obscurello* tantum differunt.

---

60. DOLICHOPUS Latr.

Corpus majoris, mediæ aut minoris magnitudinis, tenuiter pubescens, vertice thoracisque dorso non dense, sed rigide pilosis. Antennæ l. breves l. elongatæ, articulo ultimo discreto, ovato, aut subtriangulari, seta semper dorsali, uniarticulata vel ut in n:ris 72—75, *Sybistroma* auct., biarticulata, leviter arcuatim deflexa, sæpe microscopice puberula. Oculi undique remoti. Abdomen maris apice incurvatum, subtus appendicibus, aut bifilatis aut sæpius cauda magna, inflexa, lamellis l. squamis rarissime 6, plerumque 2 membranaceis ciliatis ornata, præditum. Alarum parallelarum nervi in utroque sexu: longitudinales simplices, 4:tus plerumque subcurvatus; transversus ordinarius in disco alæ situs, nec ut in *Hydrophoro* ad marginem interiorem retractus; auxiliaris brevis, sæpissime vix ultra tertiam tantum partem costæ extensus, ideoque longe ante nervum transversum cessans. Nervus costalis plerumque crassior deprehenditur in regione ubi nervus auxiliaris in costam excurrit, præsertim in masculis. Squama sub alis parva, longe ciliata. Pedes in ♂ sæpe non simplices. Tibiæ omnes præsertim extus semper distincte spinosæ. *Color* sæpissime viridis, in chalybeum interdum abiens; ænescens, niger aut pallidus. *Motu* sæpe valde agilis, inquietus. *Volatus* brevis, non altus. *Habitatio* in foliis fruticum, graminosis, ripis fluminum, littoribus &c., interdum in floribus præcipue Umbellatarum; pleræque species loca uliginosa amant, individua raro solitarie, plerumque sociatim inveniuntur. *Larvæ* vero similiter, sub cortice, aut in terra, aut in humidis vivunt & hybernant. Cfr. quod de larva *D. popularis* (n:o 37) dicitur. *Imagines* aliorum insectis minoribus victitant, pauciores mel florum sugunt.

Differentia sexus; mas: epistomate angustiori, antennis (articulo ultimo) sæpius paullo longioribus, tarsis interdum varie dilatatis aut plumatis, abdomine segmentis 6, horum ultimo parvo, ut & ano semper squamis aut filis appendiculato; *femina:* epistomate latiori, ore nonnihil magis exserto, (in n:o 59 *D. nigripenni* proboscide in utroque sexu elongata), abdomine segmentis 5 *) pedibus & ano acutiori simplicibus. *Typus* generis: *Dolichopus ungulatus.* Monographiam egregie elaboratam dedit D. *Stannius* in Isis 1831 **) — Species hujus generis numerosi sequente modo disposui:

Tribus Prima. Epistoma subparallelum. Os subretractum Antennarum articulus ultimus acutus. *Dolichopus* Stannii.

Sectio. I. *Virescentes aut æneescentes, raro nigricantes.*

A. Metatarsus posticus utriusque sexus spinosus. ***) Masculorum anus lamellatus sive squamiferus.

†. *Marium squamæ caudales albæ, vel sordide albæ.*

*). Alarum nervus 4:tus longitudinalis obtuse geniculatus seu leviter tantum flexus.

Manip. I. Antennæ totæ nigræ.

Subd. I. Pedes flavi.

a. tarsis in utroque sexu simplicibus.

1 *Mannerheimi.* 2 *ungulatus.* 3 *latipennis.* 4 *nubilus.* 5 *notabilis.* 6 *festinans.* 7 *Stægeri.* 8 *fuscimanus.* 9 *fraterculus.*

---

*) feminæ in tota familia forte segmentis tantum 5 gaudent.

**) Cum manuscriptum hujus operis jam Typographo traditum esset, Nobil. D. *Stægeri* monographia *Dolichopodum lamelliferarum* Daniæ mihi primum in manus veniebat. Magni igitur pretii libellum vix nisi, quod doleo, hinc inde citando in usum opusculi mei vertere potui.

***) nota a Cel. *Stannio* primum adhibita.

b. tarsis anticis in masculis apice patellatis.

10 *brevipennis.* 11 *migrans.*

Subd. 2. Pedes ad maximam partem nigri.

a. tarsis masculorum aut anticis aut intermediis patellatis; aut posticis pennatis.

12 *melanopus.* 13 *nigripes.* 14 *planitarsis.* 15 *remipes.*

b. tarsis in utroque sexu simplicibus.

16 *punctum.* 17 *maculipennis.* 18 *Stenhammari.* 19 *picipes.* 20 *tibialis.* 21 *geniculatus.* 22 *brachycerus.* 23 *dissimilipes.* 24 *lepidus.*

Manip. II. Antennæ ad partem flavæ.

Pugillus I. articulo primo nigro, subtus flavo. (Cfr. nota in contextu).

a.) Antennæ saltem in ♂ capite transverso duplo longiores, articulo ultimo in utroque sexu longe acuminato, tenuiter pubescente.

25 *longicornis.* 26 *acuticornis.*

b.) Antennæ in utroque sexu, aut capite transverso paullo tantum longiores, aut illo fere breviores, aut ejus longitudine, articulo ultimo semper brevissime acuto, nudo.

α. Tarsi antici in mare elongati, tenues, apice patellati.

27 *claviger.* 28 *discifer.* 29 *confusus.*

β. Tarsi antici in utroque sexu simplices. Femora posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra.

30 *puncticornis.* 31 *intermedius.* 32 *lineatocornis.* 33 *pictus.* 34 *trochanteratus.*

Pugillus 2. articulo antennarum primo vel toto, vel ad maximam partem flavo (cfr. præterea nota in

contexu). Femora posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra, (in *D. populari* spinulis tribus).

α. α.) Tarsi intermedii in ♂ non exacte simplices, sed vel ciliati, vel pennati, vel varie dilatati, vel in *D. urbano* tantum elongati.

35 *pennitarsis.* 36 *pennatus.* 37 *popularis.* 38 *Wahlbergi.* 39 *urbanus.*

β. β.) Tarsi omnes in utroque sexu simplices. Palpi rufi. Squamæ sub alis halteresque, pallida, illæ nigro-ciliatæ. Spinula apicalis nigra in femoribus posterioribus solitaria. *Mas:* femoribus posticis in speciebus 40, 41, 42 subtus ciliatis, in 43, 44 nudis.

40 *cilifemoratus.* 41 *Macqvarti.* 42 *arbustorum.* 43 *simplex.* 44 *parvicaudatus.* 45 *inconspicuus.* 46 *parvulus.* 47 *exiguus.*

**). Alarum nervus longitudinalis 4:tus angulo recto flexus (*D. confusus* & *cilifemoratus*, nervo 4:to subrectangulatim fracto sub n:ris 29 & 40 quærendi.)

Stirps 1:ma: tarsis anticis in mare articulis ultimis plumatis.

48 *plumitarsis.*

Stirps 2:da: tarsis in utroque sexu simplicibus. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ (in ♂ *D. Stannii* pallide ciliatæ). Femora posteriora ad apicem spinula solitaria nigra. Palpi rufi.

49 *nitidus.* 50 *griseipennis.* 51 *Stannii.*

††. Marium squamæ caudales nigræ.

52 *campestris.* 53 *fulgidus.* 54 *ochripes.*

B. Metatarsus posticus, præter calcaria apicalia, in utroque sexu subinermis (in *D. tarsato* n:o 96 spinula gemina intus in medio armatus). Tarsi omnes simplices (in *D. nigriplanti* n:o 58, *crinipede* 70, & *patellato* 72, articulo ultimo subdilatato).

Femora posteriora antice intra apicem spinula solitaria. Squamulæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ.

Stirps. I:a. Mares ano longe inflexo, squamis (lamellis), aut nigris, aut pallidis appendiculato.

Phal. 1. Masculorum squamæ anales nigræ. Cauda (vagina Stann.) nigra.

α. Tarsi postici articulis basalibus 1 & 2 in utroque sexu subæqualiter longis.

a.) Seta antennarum pubescens.

55 *nobilitatus.*

b.) Seta antennarum nuda. Majores l. medii.

56 *Sahlbergi.* 57 *nigrilamellatus.* 58 *nigriplantis.* 59 *nigripennis.* 60 *germanus.*

β. Tarsi postici articulo 1:mo sequente breviore. Minores. l parvi.

61 *ærosus.* 62 *Dahlbomi.* 63 *assimilis.* 64 *obscuripennis.* 65 *chrysozygus.* 66 *cupreus.* 67 *angustifrons.* 68 *metallicus.*

Phal. 2. Masculorum squamæ anales pallidæ. Femora subtus nuda, posteriora ad apicem spinula unica in utroque sexu. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ (in *D. patellato* n:o 72 pallide pilosæ).

α. Cauda (vagina anali) tota nigra. Tarsi simplices, in *D. crinipede* articulo ultimo patelliformi.

69 *chalybeus.* 70 *crinipes.* 71 *celer.*

β. Cauda (vagina) saltem ad partem pallida. Seta antennarum biarticulata. *Sybistroma* Auctor. recentiorum.

72 *patellatus.* 73 *obscurellus.* 74 *ventralis.* 75 *gratiosus.*

Stirps II:da. Mares ano bifilato; cauda scilicet breviter inflexa, filis 2 brevibus appendiculata. Affinis *Raphio*, sed seta antennarum dorsalis aut subdorsalis, nec exacte apicalis.

Phal. 1. Masculorum abdomen sæpius albo-sericeo-micans & maculatim diaphanum. Feminarum antennæ breves & os subdescendens. Oculi in utroque sexu maximi, purpureo-rufi. Seta mox infra apicem antennæ inserta, microscopice pubescens. Pedes simplices. Volatu celerrimo ad idem punctum, a quo exierunt, revertunt. Squamæ sub alis sæpe nigræ. Majores aut medii. *Porphyrops* Meig. Macq. *Argyra* Macq.

76 *diaphanus.* 77 *leucocephalus.* 78 *argentatus.* 79 *argentinus.* 80 *argentellus.* 81 *magnicornis.* 82 *elongatus.* 83 *vestitus.* 84 *auricollis.*

Phal. 2. Corpus in utroque sexu obscurum, abdomine oblongo, subdepresso, immaculato. Antennæ breviusculæ, articulo ultimo angusto, seta capillari, distincte dorsali. Nervus alarum longitudinalis 4:tus rectus, fere pone apicem alæ in margine excurrens, & a 3:tio sat longe paralleliter remotus; transversus nonnihil pone medium, sed tamen longe intra marginem interiorem situs, qua nota a genere *Hydrophoro* mox distingvuntur species *Dolichopi. Masculi*: ano breviter inflexo, filis brevissimis, ut & tibiis intermediis varie curvatis dignoscuntur a *feminis:* ano pedibusque simplicibus instructis. *Hospitium* ad aquas; tardiores; minores. *Medeteri* species Meig.

85 *scambus.* 86 *curvipes.* 87 *femoralis.*

Phal. 3. Corpus subovatum, abdomine haud depresso, in ♂ angusto, subcylindrico. Antennæ breves, articulo ultimo ovato, in quibusdam elongato, seta semper dorsali. Nervi longitudinales 3 & 4 sæpius non exacte paralleli; horum

scilicet 4:tus levissime flexus in apice alæ, licet non in summo, excurrens. Nervus transversus brevis, nonnihil ante medium alæ situs. Squamæ sub alis minutæ. Halteres flavi. Pedes flavi, femoribus posticis sæpe apice fuscis. Vertex, & thorax dorso, distincte pilosi. *Masculi:* ano breviter inflexo, filis brevissimis, pedibus simplicibus (in *spinigerello* tibiis posticis subclavatis). Parvi, aut minuti. *Porphyropis & Medeteri* species Meig.

88 *pulicarius.* 89 *brevicornis.* 90 *spinigerellus.* 91 *articulatus.* 92 *pilosellus.* 93 *pumilio.* 94 *picticornis.* 95 *bifasciellus.*

Phal. 4. Corpus obscurum, abdomine subcylindrico. Antennæ elongatæ (♂), aut breves (♀), seta subapicali. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli. Masculorum tarsi intermedii apice dilatati. — Forte proprii generis inter *Dolichopum & Rhaphium* medii.

96 *tarsatus.*

Sectio II. *Pallescentes:* aut corpore toto, aut saltem abdomine maxima ex parte, pallidis. Corpus subcylindricum, angustatum, gracile, molle. Hospitium in foliis fruticum, raro ad aquas. Motu agiles, inquieti. Volatus celer. Oculi in vivis virides. Pedes simplices (in mare *D. 4-fasciati* tarsi antici apice patellati).

a). Cauda maris magna, incrassata, deflexa, *Porphyropis* species Meig.

97 *pallidus.* 98 *abdominalis.* 99 *suturalis.* 100 *Erichsoni.* 101 *4-fasciatus.*

b). Ano maris breviter bifilato. Pedes simplices. *Porphyropis*, *Argyræ* & *Medeteri* species apud Meig. & Macq.

102 *aulicus*. 103 *tenellus*. 104 *bicolorellus*. 105 *flavellus*. 106 *flavicollis*.

Tribus Secunda. Epistoma inæquilatum, seu versus partem inferam sensim latius. Antennæ apice obtusæ. Os subdescendens. Alarum nervus longitudinalis 4:tus flexus, paullo ante apicem alæ excurrens. *Mas:* metatarso antico elongato, reliquis articulis tarsorum anticorum brevibus; cauda (vagina) magna, inflexa, apice lamellifera. *Ammobates* Stann.

107 *plumipes*. 108 *notatus*.

Dolichopus.

Tribus prima. Epistoma subæqualiter latum. Antennæ apice acutæ.

Sect. I. Virescentes colore metallico aut obscuro.

A. Metatarsus posticus in utroque sexu spinosus. Masculorum anus squamis semper appendiculatus.

†. Mares squamis caudalibus albis (in speciebus, quæ pedes nigricantes habent, squamæ anales plerumque sordide albæ sunt).

*). Alarum nervus longitudinalis 4:tus obtuse geniculatus, seu curvilinealis (nec rectangulariter flexus).

Manip. I. Antennæ totæ nigræ.

Subd. 1. Pedes flavi.

a. tarsis in utroque sexu simplicibus.

1. *D. Mannerheimi:* virescens, thorace obscure bilineato; epistomate albido; antennis articulo ultimo breviter ovato pedibusque nigris, tibiis testaceis, intermediis albis; alis hyalinis, macula apicis fusca. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 707. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi mense Julio minus freq.; scilicet in foliis majorum plantarum, ex. gr. Aconiti septentrionalis, Sonchi alpini &c., ad ri-

vulos ubi hæc vegetabilia lætius crescunt, ad Stensele, Tresunda & Nästansjö, a D. *Dahlbom* & me inventus; ♀ parcius occurrit.

♂♀. Maximus nostratum hujus generis. Opacus, pallide virescens. Antennæ ut in sequente. Frons virescens. Os nigrum. Epistoma in ♂ modice angustum, in ♀ paullo latius. Thorax dorso lineis 2 angustis, approximatis, nigris. Pectus schistaceum. Abdomen æneum, nitidum, lateribus albo-micans. Anus ♂ longe inflexus, niger, squamis albis, margine exteriori nigro & nigro-ciliato. Alarum nervus longit. 4:tus in utroque sexu, post anastomosin cum transverso in medio obtuse geniculatus, mox ante apicem alæ summum in marginem excurrit, ibique modice (ut in *D. ungulato*) a tertio remoto. Nervus transversus rectus, infuscatus. Macula fusca fere totum apicem occupat, in ♀ obsoletior. Squamæ & halteres flavo-alba. Pedes simplices, nigri, coxis schistaceis. Tibiæ testaceæ, intermediæ albæ, posteriores apice nigræ. Genicula summa testacea. Metatarsi omnes in utroque sexu elongati (in ♂ nonnihil longiores), longitudine scilicet reliquorum articulorum simul sumtorum, atri; in ♂ metatarsus anticus testaceus, intermedius fuscus postice albus, summo apice nigro; in ♀ metatarsi anteriores fusco-testacei. Femora in utroque sexu inermia, in ♀ nuda, in ♂ posteriora subtus versus apicem pallide ciliata seu serie simplici villorum alborum.

2. *D. ungulatus:* æneo-viridis, nitidus, thorace ferrugineo-bilineato; epistomate albido; antennis articulo ultimo breviter ovato, basi coarctatis, totis, tibiarum posticarum apice tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis; alis hyalinis immaculatis. ♂♀. (Long. fere 2½ lin.).

Fabr. Antl. 266. 3. ♂ (exclus. syn. Linn. *Musca ungulata*, quæ eadem est ac *Hydrophor. bipunctatus* nob. — Fall. Dolich. ♀. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 80. 13. ♂♀. Macq.

Buff. 1. 462. 15. Latr. Gen. 4. 292. Guer. Iconogr. t. 96. f. 4. Stann. Dolich. in Isis 1831. p. 130. 25. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 708. 2. ♂♀. Stæg. Dolich. 33. 25. ♂♀. *Musca* Schrank. Ins. Austr. 917. Panz. Fn. 20. 21. Rossi Fn. Etrusc. p. 476. 1516. *Nemotelus æneus* De Geer Ins. 6. 104. 15. Tab. 11. f. 19. 20.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, in pratis & hortis, per Scandinaviam, 25 Jun.—29 Aug., ubique vulgatissimus, in copula sæpe deprehensus; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Westrogothia & Ölandia, copiose; per totam insulam Gottlandiam, frequentissimus; in Nericia, Uplandia, Wermelandia, Helsingia & Jemtlandia usque ad Åseskutan & Mullfjellen, haud infrequenter; in Lapponiis omnibus per regionem sylvaticam, & in Norvegia usque ad Nordlandiam quoque non raro occurrit. — (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lectum etiam obtinui.) — Larvas albas, cylindricas, 12-articulatas, antrorsum conicas, in terra degentes, ineunte mense Junio in pupas, & exeunte eodem mense in imagines se transformantes, descripsit Ill. *De Geer* l. c. (E Glogavia a D. *Zeller.*)

♂♀. Antennæ longitudine vix capitis transversi, articulo 1 cyathiformi (in ♂ paullo longiori quam in ♀), subnudo, 2 brevissimo piloso, 3 ovato, subacuto seu magis fere obtuso quam acuto. Frons nitida, viridis aut cyanea. Epistoma ut in priori Oculi læte virides. Squamæ anales in ♂ albæ, margine interiori & apice modice late nigro- & fusco-ciliata. Alæ hyalinæ immaculatæ, nervis ut in priori directis. Squamæ & halteres pallide flava; illæ nigro-ciliatæ. Pectus schistaceum, maculis viridibus. Pedes simplices, flavi, coxis obscure cinereis, anticis superne usque ad medium cinereis antice nigro-pilosis, trochanteribus omnibus sordide testaceis; postici tibiis apice (ad partem 4:tam totius tibiæ)

tarsisque totis, atris. Tarsi anteriores nigricantes, metatarso dilutiori. Metatarsi reliquis articulis simul sumtis fere duplo breviore. Femora in ♂ subtus tenuiter villosa. Thoracis lineæ cupreæ in unam confluentes.

Variat uterque sexus magnitudine; variat etiam colore, plerumque æneo-viridi, interdum cupreo, sed raro chalybeo & hic forte *D. chalybeus* Meig. Dipt. 4. 79. 10. ♂. ut recte admonuit D. *Stannius* l. c. — Variant tandem ♂♀ epistomate sæpissime argenteo, raro pallide orichalceo. — Caveas ne feminam hujus speciei cum *D. brevipenni* (n:o 10) confundas. Femoribus in ♂ subtus fusco-ciliatis, & posterioribus in utroque sexu antice versus apicem spinulis plerumque 3, interdum 4, raro 5, nigris, armatis, a speciebus quibusdam similibus dignoscitur. Nervus costalis ad exitum nervi auxiliaris in ♂ puncto atro.

3. *D. latipennis:* obscure æneus, nitidus; epistomate albido, fronte cyanea; antennis capite longioribus, atris; pedibus flavis, tarsis nigris, coxis posterioribus cinereis; alis hyalinis, immaculatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate nonnihil lato; antennis capite transverso fere triplo longioribus, articulis subæqualiter longis, primo superne dense nigro-piloso; nervo costali loco apicis nervi auxiliaris valde crasso, atro; squamis analibus flavo-albis, margine apicali & interiori mediocriter late nigro & nigrociliato;

Fem.: epistomate paullo latiori; antennis capite transverso nonnihil tantum longioribus, articulis subæqualiter longis, primo superne breviter nigro-pubescente; nervo costali loco apicis nervi auxiliaris non incrassato; ano simplici.

Fall. Dolich. 8. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 83. 16. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. p. 45. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 164. 22. ♂ (ubi vero "Pieds noirs" immerito dicuntur).

Stæg. Dolich. 13. 1. ♂♀.

Hab. in littoribus maris præsertim in sinubus, supra petra sæpe currens, per Scandinaviam, 16 Jun.—8 Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad Kullen, Farhult, Lomma (D. *Dahlbom*), Malmö (D. Cand. *J. G. Kinberg)*, Scanör, Esperöd, Kivik, vulgaris; in Gottlandia ad Boxarfve prope Bursviken, ad Hoburg, Nährsholme &c., passim; in Ölandia, D. *Wahlberg*, qui eundem etiam in Koön Bahusiæ nuper invenit; deinde in Suecia vix longius versus septentrionem procedit, sed in Norvegia ad littus maris prope Alstahaug, Levanger & Thynæs a me copiose in utroque sexu captus. — In Dania, D. *Stæger*.

♂♀. Colore obscue æneo, nitido, fronte cyanea, epistomate lato, antennis præsertim in ♂ elongatis, alis brevibus latis, ut & maris alarum callo costali atro, a reliquis primo intuitu facile dignotus. Epistoma in hujus mare æqualiter latum ac in femina prioris, in utroque sexu candidum. Palpi albi. Proboscis pallida, ore subtus nigro. Alæ hyalinæ, nervo transverso paullo longiori, quam in *D. ungulato*, & geniculo nervi 4:ti longitudinalis nonnihil magis flexo, quam in illo. Nervus 4:tus long. pone flexuram cum longitudinali 3:tio parallelus in apicem, nec ut in præcedente paullo ante apicem, excurrit. Halteres & squamæ ut in priori. Pectus schistaceum. Pedes simplices flavi, coxis anticis totis concoloribus, posterioribus cinereis, trochanteribus omnibus flavis. Tarsi omnes nigri, metatarso ima basi pallida. Coxæ anteriores antice pilis paucis ad apicem vestitæ. Femora subnuda & inermia, præter intermedia ad apicem antice spinulis 2 l. 3, & postica 3 l. 4, nigris, armata.

Var. b. ♂♀. thorace abdomineque cærulescentibus l. cæruleo-cyaneis. Ad Thynæs & Alstahaug Norvegiæ d.

2—7 Jul. cum var. a. rarius. — Specimina Scanica & Gottlandica Norvegicis plerumque nonnihil majora sæpissime maculam ad basin coxarum anticarum læte cineream, & superne ad apicem femorum posticorum fuscam habent.

4. *D. nubilus:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore albo-micante; epistomate argenteo; antennis longitudine capitis transversi, atris; pedibus flavis, posticorum femorum tibiarumque apice, tarsisque omnibus, nigris, coxis anticis flavis, basi cinereis, posterioribus cinereis, apice flavis; alis hyalinis, ad costam in ♂ subfuscanis; squamis pallidis & in ♂ pallido-ciliatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, argenteo; squamis (lamellis) analibus non magnis, angustissime nigro-marginatis & breviter nigro-ciliatis; squamis sub alis (alulis Stann.) pallidis & pallide ciliatis, alis hyalinis regione costali fuscana;

Fem.: epistomate latiori, cano; alis hyalinis ad costam vix infuscatis, squamis sub alis pallidis, nigro-ciliatis.

Meig. Dipt. 4. 96. 39. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. p. 133. 26. ♂. verus. — Stæg. Dolich. 32. 24. ♂♀.

Hab. in littore maris baltici plerumque in Caricibus, sed quoque in Spiræa Ulmaria in Alnetis, 21 Jul.—14 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Sandhammar & Kivik; in Gottlandia ad Öja, rarius; in prædio amœnissimo Gottenvik in parœc. Jonsberg Ostrogothiæ, D. Præp. *Stenhammar;* in Bahusiæ Koön prope Marstrand, D. *Wahlberg;* sed in Norvegia ad Thynæs, Levanger & Alstahaug in parœcia Skogn paullo frequentius in utroque sexu inveni. — E Dania eundem a D. *Stæger* etiam accepi.

♂♀. Hujus speciei mas squamis sub alis pallide ciliatis, & analibus anguste nigro-limbatis, ut & uterque sexus fronte viridi, albo-micante, coxarum colore, maculaque superna ad apicem femorum posticorum fusca, ab affinibus dignoscitur. Antennæ basi coarctatæ, articulo ultimo ovato, subacuto, seta nuda. Palpi flavescentes. Abdominis incisuræ nigricantes. Pleuræ schistaceo-virides. Alæ absque macula costali ad basin. Nervus longit. 4:tus modice flexus, non exactissime cum 3:tio parallelo paullo ante apicem alæ excurrit. Halteres flavi. Pedes flavi, trochanteribus omnibus concoloribus. Coxæ anticæ flavæ, latere antico argenteo-micantes & pilis aliquot nigris obsitæ, basi macula externa cinerea; posteriores schistaceæ, summo apice pallido. Tarsi nigri, metatarsis anterioribus basi late flavescentibus. Tibiæ posticæ apice in ♂ ad 6:tam, in ♀ ad 8:vam partem nigræ. Femora nuda, posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra. Var. ♂ fronte cyaneo-violacea; ad Sandhammar Scaniæ rarissime 14 Aug. 1838 cum var. a. capt.

5. *D. notabilis:* æneo-viridis, subnitidus, fronte viridi, nitida; epistomate flavido; antennis elongatis, nigris, articulo ultimo lanceolato, acuminato; pedibus pallide flavis, coxis anticis totis concoloribus, posterioribus cinereis, tarsis anterioribus fuscis, articulo basali pallido, posticis totis cum tibiarum apice, atris; alis subfuscanis, nervo costali prope basin crassiore, nigro. ♂. (Long. 1½ lin.).

D. notatus Stæg. in litteris 24 Aug. 1839 & 22 Maji 1841; quod tamen nomen in aliud mutare coactus fui, quoniam longe alia *Dolichopi* species a D. *Stannio* in Isis jam 1831 etiam sub nomine *Ammobates notatus* descriptus exstat.

Hab. in Scania meridionali rarissime; in Dania a D. *Stæger* detectus.

♂. Antennarum forma, epistoma flavescens (in ♀ forte argenteum), alarum nervus 4:tus non obtusissime geniculatus,

costalis ad basin ater (♀ forte haud notabilis), pedes pallide flavi & coxæ anticæ totæ concolores, speciem distingvunt. Epistoma modice angustum, sub antennis flavescens, inferius viridi-albo-micans, summo apice album. Instrumenta cibaria retracta. Squamæ anales pallidæ, anguste nigro-marginatæ, sed apice saltem distincte nigro-ciliatæ. Alarum nervus 4:tus longit. non valde obtuse flexus cum 3:tio fere parallelus mox ante summum apicem alæ excurrit. Squamæ sub alis parvæ, pallidæ, nigro-ciliatæ. Halteres flavi. Pectus schistaceum. Coxæ anticæ flavæ, latere antico albo-micante & apice pilis aliquot nigris obsito; posteriores articulo primo toto cinereo, trochanteribus omnibus flavis. Femora nuda, posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra. Tibiæ posticæ apice fere ad 3:tiam partem totius tibiæ determinate atræ. Simillimus *D. acuticorni* infra (n:o 26), sed antennis totis atris & aliter constructis diversus. A *D. vulgari* Stann. vix differt nisi epistomate flavido, nec "candido".

6. *D. festinans:* obscure æneo-viridis, subnitidus, fronte viridi aut cyanea, nitida; epistomate ochraceo (♂), aut canescente (♀); antennis longitudine capitis transversi, palpisque, nigris; pedibus flavis, coxis omnibus cinereis, trochanteribus fuscis, tarsis anterioribus fuscis, metatarsis flavescentibus, pedum posticorum femorum tibiarumque apice tarsisque totis, atris; alis hyalinis. ♂♀. (Long. fere 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 708. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi, 3 Jul. —17 Aug., passim; in parœciis Stensele, Åsele, Frederica & Lycksele, a Clariss. *Dahlbom* & me 1832 inventus; in Suecia infra Dalecarliam, ubi ad Smedby specimen unicum femineum d. 6 Sept. 1840 deprehendi, a nobis frustra quæsitus.

♂♀. Ad minores accedit. Statura robusta, color obscure æneus, epistoma maris ochraceum, feminæ canescens, palpi in utroque sexu nigri, nec flavi, coxæ omnes & totæ cinereæ trochanteribus fuscis, femora postica superne ad apicem macula fusca notata, ut & nervus longit. 4:tus leviter tantum flexus cum 3:tio parallelus in summum apicem alæ excurrens, speciem vere distinctam denotant. — Epistoma in ♂ modice angustum, in ♀ latius. Alarum nervus transversus levissime arcuatus, nec exactissime rectus; costalis ad apicem auxiliaris puncto, nec linea elongata, atro in ♂ notatus. Squamæ pallidæ, nigro-ciliatæ. Halteres flavi. Squamæ anales in ♂ pallidæ, circa apicem sat late nigro-limbatæ, & nigro-ciliatæ. Pedes in utroque sexu femoribus nudis, nec subtus albo- l. nigro-ciliatis, posterioribus tantum spinula solitaria nigra ad apicem armatis. Tibiæ posticæ apice vix ultra sextam partem totius tibiæ, atræ.

Var. b. ♂. "squamis analibus tenuissime nigro-marginatis" cum ♀ varietatis a. in Alnetis ad prædium Gottenvik in parœcia Jonsberg Ostrogothiæ a Dom. *Stenhammar* semel sat frequenter captus; forte ad *D. nubilum* potius referendus.

7. *D. Stægeri:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore aut cyanea; epistomate argenteo; antennis longitudine capitis transversi palpisque, nigris; pedibus flavis, coxis cinereis, summo apice pallidis, tarsis anterioribus fuscis, metatarsis flavescentibus, geniculis posticis brunneis, tibiis posticis apice atro, in ♂ strigula extus flava; alis subfuscanis, nervis tenuibus, 4:to longitudinali leviter flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

D. cinctus Stæg. in litteris 21 Aug. 1839. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, 21 Jun.—26 Aug., passim minus frequens; scilicet in Scania ad Lindholmen rarissime; in pratis vero humidis Gottlandiæ ex. gr. ad Hafd-

hem, Wamblingbo, Stenkyrka, Lärbro & Thorsborgen utrumque sexum Jul. 1841 inveni; ad Cedersdal prope Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Thynæs prope Levanger specimen masculum 1840 legi. E Dania a D. *Stæger* marem & feminam sub nomine "*D. cinctus* n. sp." etiam accepi; & tandem individuum femineum, a D. *Dahlbom* ad Hamburgum 1838 captum, obtinui.

♂♀. *D. ungulato* paullo minor. Epistoma argenteum, palpi nigri, coxæ omnes cinereæ, apice summo (in anticis nonnihil latius) flavo, alarum nervus 4:tus longit. leviter flexus, paullo ante summum apicem alæ excurrens, femora posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra armata, postica superne ad apicem macula brunnea l. fusca notata, ut & tibiarum posticarum apex niger in ♂ lineola l. strigula testacea inscriptus, a reliquis satis dignotam speciem produnt. — Epistoma argentum, in ♂ modice angustum, in ♀ latum. Antennæ maris longitudine capitis transversi, feminæ nonnihil breviores, in utroque sexu basi coarctatæ, articulo ultimo breviter ovato. Alæ totæ fuscanæ, nervis non validis, transverso subrecto, breviusculo, subfuscato; costali ad apicem auxiliaris in ♂ puncto atro ut in priori. Squamæ pallidæ, nigro-ciliatæ. Halteres albidi. Pectus schistaceo-viride. Abdominis incisuræ nigræ. Coxæ cinereæ, anticæ apice ad 4:tam partem testaceæ, antice totæ albomicantes, apice nigro-pilosæ. Femora nuda, posteriora in ♂ subtus pilis 6—7 nigris ciliata. Metatarsi anteriores flavi, apice nigri. Nigredo in apice tibiar. posticarum circiter ad 4:tam partem totius tibiæ extenditur. Squamæ anales maris flavo-albæ, modice late nigro-limbatæ & nigro-ciliatæ. — Simillimus videtur *D. vulgari* Stann. in Isis 1831. p. 129. 24., sed hic "palpis pallide flavis" & "coxis anticis flavidis", a nostro sufficienter est distinctus.

Nomine Entomologi Danorum consumatissimi, Amici svavissimi, D. a Conciliis Justitiæ *R. C. Stæger*, qui multas novas Dipterorum species & adhuc plures observationes pro

opere meo graves & utiles mecum communicavit, huic pulchro & nitido *Dolichopo* novum splendorem addere volui.

8. *D. fuscimanus:* obscure æneus, subopacus; fronte concolore, vertice virescente, nitido; epistomate fusco-ochraceo; antennis longitudine capitis transversi, palpisque, atris; pedibus lutescentibus, coxis totis cinereis, trochanteribus obscuris, femoribus anticis ultra medium fuscis, posticis macula apicali nigra; tibiarum posticarum apice tarsisque omnibus nigris; alis hyalinis. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in littore maris Norvegiæ, rarius; ad Alstahaug & Levanger in parœcia Skogn tria specimina mascula d. 7—8 Jul. 1840 invenimus D. *Dahlbom* & ipse. In summo cacumine alpis Åreskutan Jemtlandiæ individuum etiam d. 2 Aug. ejusdem anni legi. Ad Skalstugan Jemtlandiæ in jugo alpino specimen denique deprehendi.

♂. Simillimus *D. festinanti* (n:o 6), sed paullo major, & femoribus anticis a basi & nonnihil ultra medium fuscis, obscuris distinctus videtur. Metatarsi anteriores quoque paullo obscuriores sunt quam in illo, cujus varietas forte tantum habeatur. — Cetera omnia exacte ut in *festinante.*

9. *D. fraterculus:* aureo-viridis, nitidus, fronte thoraceque cyaneo-micante; epistomate argenteo; antennis longitudine capitis transversi, palpisque, atris; pedibus flavis, coxis schistaceis, trochanteribus testaceis; femoribus anticis ultra medium nigricantibus, posticis superne macula apicali elongata nigra, tarsis anterioribus fuscis, metatarsis flavis, posticis totis cum apice tibiarum atris; alis hyalinis. ♂. (Long. saltem $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia meridionali, rarissime; ad diversorium Åsarne d. 16 Aug. 1840, specimen descriptum inveni.

♂. Priori subsimilis, sed viridior & epistomate argenteo &c. distinctus. Epistoma modice angustum. Alæ pure hyalinæ, nervis: transverso recto, longitudinali 4:to leviter flexo, cum 3:tio non exactissime paralleliter nonnihil ante summum apicem alæ excurrente, costali ad apicem auxiliaris atro, sed vix notabiliter crassiori. Squamæ & halteres ut in priori. Squamæ anales ut in *D. festinante.* Pleuræ schistaceæ, viridi-maculatæ. Pedes flavo-testacei, coxis omnibus & totis schistaceis, summo apice parum testaceo, trochanteribus testaceis. Femora antica a basi & ultra medium undique nigricantia; postica linea superna ab apice & fere ad basin ducta, nigra. Tibiæ posticæ apice vix ultra quartam partem, tarsique toti, atra. Femora omnia nuda, posteriora antice ad apicem spinula solitaria, nigra. Abdomen postice cupreum.

b. tarsis anticis in masculis apice patellatis.

10. *D. brevipennis*: æneo-viridis, nitidus, thorace cupreo-vittato; epistomate flavescente (♂), aut albicante (♀), antennis longitudine capitis transversi, nigris, palpis fusco-rufis; pedibus flavis, coxis anticis basi, posterioribusque totis cinereis, trochanteribus omnibus fuscis; tibiis posticis apice late, tarsorum anticorum articulis ultimis duobus, mediorum quatuor, posticisque totis, atris; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Mas: antennis nonnihil longioribus; epistomate modice angusto, ochraceo; alarum nervo costali ad exitum auxiliaris crasso, atro; squamis analibus pallidis, apice præsertim late nigro-limbatis & nigro-ciliatis; femoribus posticis subtus longe pallide ciliatis; tarsis anticis gracilibus, articulo penultimo paullo, ultimoque valde, rotundato-dilatatis, planis atris, latere superiori ciliatis; tibiis posticis apice ultra tertiam partem totius tibiæ determinate nigris;

Fem.: epistomate latiori, cano; alarum nervo costali æqualiter crasso; femoribus nudis, nec ciliatis, tarsis simplicibus; tibiis posticis apice ad 4:tam partem nigris; in copula.

Meig. Dipt. 4. 89. 27. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. p. 60. 12. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 700. 8. Stæg. Dolich. 23. 13. ♂♀. *D. plumitarsis* var. *β*. Fall. Dolich. 10. 1.

Hab. in plantis aquaticis & paludosis, per totam Scandinaviam, 14 Jun.—21 Aug., ubique vulgatissimus, in copula sæpe captus, in fenestris interdum etiam errabunde deprehensus; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Westrogothia, Nericia, Uplandia, copiose; in Ölandia, passim; in Gottlandia ad Hoburg, Bursviken ad Boxarve, Wamblingbo, Nähr, Sanda, Rhone &c., freq. libenter in vicinitate maris; in Gestricia & Jemtlandia usque ad Hofverberget, Frösön, Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan (in jugo alpino), vulgaris; in Lapponiis Suecicis omnibus per regionem sylvaticam quoque haud infrequenter occurrit; & in Norvegia in alpe Dovre, nec non ad Thynæs & Levanger abundans. — E Dania a D. *Stæger*, & e Finlandia a D. *Sahlberg*.

♂♀. Simillimus *D. ungulato* (n:o 2), sed differunt, *mas:* femoribus posticis subtus albo- (nec fusco-) ciliatis, squamis analibus latius nigro-marginatis, & tarsis anticis apice patellatis; *femina:* epistomate nonnihil latiore; & uterque sexus: trochanteribus fuscis, nec testaceis, tibiis posticis paullo latius nigris, antennis nonnihil brevioribus, & præsertim femoribus posterioribus ad apicem spinula tantum unica, nec 3—5, nigra armatis. Oculi in vivo aureo-virides, unicolores. Antennæ totæ atræ, articulo 1:mo apice subtus dilatato; seta simplici, nec articulata, nuda. Palpi picei. Alæ longitudine vix abdominis, hyalinæ (♂), aut subfusco-hyalinæ (♀). Squamæ & halteres, pallida, illæ nigrociliatæ. Reliqua ut in *D. ungulato*. Thorax jam æneus, jam viridis.

11. *D. migrans:* æneo-viridis, nitidus, thorace cupreo-trivittato; fronte cærulea; antennis longitudine

transversi, atris; palpis testaceis; pedibus flavis, coxis anticis basi anguste, posterioribus totis, cinereis, trochanteribus omnibus pallidis, tarsis anterioribus apice posticisque totis cum tibiarum apice summo, nigris; alis hyalinis, nervo longitudinali 4:to subrectangulatim geniculato. ♂♀. (Long. 2¼ lin.).

Sub. var. *β. D. plumitarsis* Fall. Dolich. 10. 4. "in copula", hæc species latet.

Hab. in Scania, mus. Dom. *Fallén*; in Gottlandia: in pratis parœciæ Nähr prope mare, ad Hoburg, & in insula Furillen, d. 6—21 Jul. 1841, utrumque sexum deprehendi.

♂♀. A priori, cui valde affinis, differunt, *mas:* epistomate latiore, argenteo, tarsorum anticorum articulo penultimo pallido, subpellucido, nec nigro; *femina:* epistomate argenteo, nec sordide cano; & *uterque sexus:* magnitudine nonnihil minori, fronte cyanescenti cærulea, colore corporis forte lætiori, coxis anticis latius flavis & trochanteribus omnibus pallidis, nec fuscis; a *D. discifero* (n:o 28), cui adhuc similior, antennis totis atris, absque vestigio flavedinis subtus, coxis anticis basi antice macula cinerea, nec totis flavis, fronte cærulea, nec viridi, alarum nervi 4:ti flexura distinctiori (non quidem rectangulata, sed magis curva quam in *discifero),* ut & in mare tarsorum anticorum articulo penultimo longiori, & ultimo majori, distinctus. Thoracis vittæ cupreæ 3, quarum media integra, laterales ab humeris ad radicem alarum interruptæ, maculæformes. Abdomen postice cupreum. Pectus viridi-maculatum. Coxæ posteriores articulo 1:mo cinereo, 2:do flavo. Tarsi anteriores basi pallidi, postici cum summo apice tibiarum toti atri. Articulus ultimus tarsorum anticorum in mare magnus, rotundatus, planus, ater, latere breviter nigro-ciliatus, omnino ut in *brevipenni.*

Obs. Par illud, de quo Cel. *Fallén* l. c. narrat, "in copula esse observatum", vix in copula vera junctum captum fuit; nam *mas:* fronte cyanea, nervo long. 4:to geniculato, tarsis anticis articulo ultimo patelliformi, & femoribus subtus nudis posterioribus spinula tantum unica ad apicem, ad nostrum *migrantem* vere pertinet; sed *femina:* fronte viridi, nervo 4:to leviter flexo, & femoribus posterioribus ad apicem spinulis 3—4 instructis, *D. ungulato* certe competit.

Subd. 2. Pedes ad maximam partem nigri.

a. tarsis masculorum aut anticis aut intermediis patellatis; aut posticis pennatis.

12. *D. melanopus:* obscure æneus, subnitidus, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis longitudine thoracis, pedibusque, nigris; alis subbrevibus, hyalinis, nervo costali ad exitum auxiliaris atro; *mas;* squamis analibus albidis modice late nigro-limbatis & nigrociliatis, femoribus posticis subtus nigro-ciliatis, articulo ultimo tarsorum anticorum rotundato-dilatato, atro, pulvillis albis. ♂. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 86. 21 (exclus Syn. Fall., quod ad sequentem pertinet). — Macq. Buff. 1. 465. 31. ♂. (*D. melanopus* Stann. idem est ac proxime sequens).

Hab. in Scaniæ paludosis sylvaticis rarissime; ♂ semel ad Esperöd captus; etiam e Dania a D. *Stæger* sub nomine "*D. melanopus* Meig." mihi communicatus; femina ab Eodem etiam inventa erit.

♂. Alis breviusculis, vitreis, stigmate basali atro, pedibus totis nigris, femoribus subtus ciliatis, & patella tarsorum anticorum apicali duplo l. triplo minore quam in *D. brevipenni* (n:o 10), ab aliis nigripedibus *Dolichopis* mox dignotus. Antennarum articulus ultimus breviter ovatus, seta antenna paullo longiori, filiformi, nuda. Epistoma modice angustum (vel si mavis modice latum). Instrumenta cibaria

nigra. Abdomen dorso postice cupreum, incisuris omnibus nigris. Alarum nervus long. 4:tus leviter flexus, cum 3:tio paralleliter fere in summum apicem excurrens. Squamæ & halteres pallidæ, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ schistaceæ, viridi-maculatæ. Pedes toti nigri, geniculis tantum puncto testaceo. Coxæ schistaceæ, anticæ latere antico cano-micantes. Femora posteriora ad apicem setula solitaria. Tarsi antici tibia nonnihil longiores, graciles, articulis 3 & 4 fuscis.

Obs. Inter plura specimina *D. nigripedis* genuini, unum *D. melanopi* in museo Falleni exstat.

13. *D. nigripes:* atro-viridis, subnitidus, fronte chalybea; epistomate argenteo; antennis capite nonnihil longioribus, fusco-nigris; pedibus nigris; *mas:* geniculis summis testaceis, tarsorum anticorum articulo 1 apice, 2, 3, 4, totis, flavidis, ultimo patellato, atro, squamis analibus albidis anguste nigro-limbatis & longe nigro-ciliatis; femoribus posticis subtus basi breviter albo-ciliatis; alis hyalinis, nervis costaque infuscatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: atro-viridis, antennis capite transverso paullo longioribus, alarum dimidietate costali fusciori, nervo costali ad exitum auxiliaris atro; pedibus nigris, geniculis tantum summis testaceis & tarsorum anticorum articulis 2, 3, 4, albidis, ultimo dilatato, nigro;

Fem.: obscure viridis, antennis longitudine capitis transversi, alis cinereo-hyalinis, stigmate nullo; pedibus posticis totis nigris, femoribus subtus nudis; pedibus anterioribus piceo-nigris, genubus puncto testaceo & articulatione inter tibiam & metatarsum pallida.

Fall. Dolich. 10. 3. ♂♀. genuinus. Stæg. Dolich. 28. 19. ♂♀. *D. melanopus* Stann. Dolich. in Isis 1831. 61. 13. ♂. certe.

Hab. in Scania rarius, mus. D. *Fallén;* in pratis humidis ad Abusa & Esperöd. 2- 28 Jul., paullo fre-

quentius legi. Circa Hafniam Danorum in graminosis ad aquas haud raro quoque occurrit, teste D. *Stæger.* — In Suecia superiori mihi nunquam obvius. In Härads-hammar Ostrogoth. ♂ nuperrime a D. *Stenhammar* etiam lectus.

♂♀. Antennæ subelongatæ, articulo ultimo nigro-piceo, nec intense nigro, frons chalybea, alæ elongatæ, subangustatæ, ut & pedes atri, anteriores, in ♀ nigro-picei, articulatione tantum anguste pallida; in ♂ nigri, geniculis summis & articulis tarsorum anticorum 2, 3, 4 albidis, ultimo rotundato-dilatato (magnitudine ut in *D. melanopo*), piano atro, pulvillis albis, ab affinibus distingvunt speciem. Epistoma ut in priori. Palpi nigro-fusci. Alarum nervi fusci, longitudinalis 4:tus leviter flexus, non exactissime cum 3:tio parallelus, nonnihil ante summum apicem alæ excurrens. Lamellæ anales non late nigro marginatæ, sed sat longe nigro-ciliatæ, præsertim apice. Reliqua ut in priori.

Obs. Dol. nigripes Fabr. ad aliud genus & aliam speciem, nempe ad *Chrysotum gramineum* nob. pertinet. — *D. nigripes* Meig. Dipt. 1838. 7. 164. 4 ♂ longe diversa est species, 1 lin. longa, pedibus simplicibus. Nomen Fallenianum jam 1822 impositum & publicatum anciennitatem habet.

14. *D. planitarsis:* æneus, obscure viridis l. cærulescens, subnitidus, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis capite nonnihil longioribus, basi non coarctatis, totis atris; pedibus nigris, anteriorum genubus, tibiis tarsisque fusco-ochraceis, his apice nigris; tarsorum intermediorum articulo ultimo in mare dilatato, atro; alis in utroque sexu subhyalinis. ♂♀. (Long. 1¾ lin.).

Mas: antennis capite transverso dimidio longioribus; epistomate modice lato, argenteo; alarum stigmate basali parvo, atro; squamis analibus albidis, angustissime nigro-marginatis, sat longe nigro-ciliatis; femoribus subtus breviter albo-ciliatis; tarsis intermediis elongatis, gracilibus, articulo

ultimo modice dilatato, nigro, utrinque pennato, apice albissimo;

Fem.: antennis longitudine capitis transversi; epistomate paullo latiori, albo; alis stigmate nullo; tarsis obscurioribus, simplicibus; in copula.

Fall. Dolich. 12. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 88. 25. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 122. 17. ♂. Stæg. Dolich. 30. 21. ♂♀.

Hab. in graminosis, fruticibus, floribus Salicis, Ribis, Pruni Padi &c., libenter locis humidis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 20 Maj.—10 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Börringe, Silfåkra &c., vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Jonsberg, Lärketorp & Fredensborg prope Wadstena, haud infrequenter; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia, D. *Boheman*; sed vix supra hanc provinciam versus septentrionem procedit. E Dania a D. *Stæger* utrumque sexum quoque obtinui. — (Idem a D. *Zeller* e Glogavia quoque communicatus).

♂♀. Antennæ præsertim in ♂ elongatæ, basi distincte pilosæ, pedes postici toti nigri, lamellæ anales maris albo-flavæ, summo margine tantum nigro, & præsertim tarsi intermedii in ♂ apice patellati, speciem a *D. campestri* & affinibus optime distingvunt. — Variat color corporis æneus, viridis, subcærulescens. Epistoma lineare. Alæ vix infuscatæ, nervis ut in priori directis. Pedes nigri, coxis schistaceis, anticis latere antico cano-micante; anteriores genubus, tibiis totis, tarsisque basi, ochraceis. Femora intermedia variant vel apice tantum flava, ut plerumque in ♀, vel ab apice ad medium flavida, ut plerumque in ♂. Pleuræ, halteres & squamæ sub alis ut in proxime præcedentibus. Femora posteriora ad apicem spinula solitaria nigra. — Oculi in vivo aureo-virides. Antennarum seta longitudine antennæ, nuda, basi solito crassiore in utroque

sexu. Feminam ne cum femina *D. tibialis*, n:o 20, confundas, caveas.

15. *D. remipes:* obscure viridis, cærulescenti micans, nitidissimus, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis capite transverso fere brevioribus, atris; pedibus ænescentibus, geniculis, tibiis tarsisque pallidis, posticorum tibiis apice, tarsisque totis, nigris; alis hyalinis, ad costam infuscatis; *mas:* tarsis posticis apice extus nigro-pennatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate modice lato; alarum plaga costali ab exitu nervi auxiliaris fere ad apicem alæ & ad nervum transversum medium (qui ab illa includitur), extensa, saturate fusca l. brunnea; squamis analibus subtriangularibus flavo-albidis, margine exteriori non late nigro, & nigro-ciliato; tarsis posticis elongatis, articulo primo parce spinoso, 2:do inermi, 3, 4, 5 latere exteriori atro-plumosis;

Fem.: epistomate paullo latiori; alarum plaga costali dilutius fusca; ano tarsisque simplicibus.

Wahlb. Act. Reg. Acad. Scient. Holm. 1838. ♂♀.

Hab. in Suecia media occidentali, minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Gusum in foliis latis, planis Nymphææ, ubi a Cel. Prof. *Wahlberg* per plures annos observatus fuit; in Ölandia in foliis Potamogeton. natantis & Nymphææ luteæ lacus Måsberga ad Galltorp parœciæ Gärdslösa jam die 9. Jul. 1811 ipse sat copiose legi, & deinde inter amicos meos entomologicos sub nomine: *D. scoparius*, divulgavi. — Mores hujus insecti singularis probe observavit Cel. *Wahlberg*, & l. c. vivide adumbravit, ibidemque etiam optimam & sufficientissimam descriptionem insecti dedit.

♂♀. Tarsi postici distincte plumosi, quibus instar femorum utitur mas, & color splendidissimus utriusque sexus, eximiam hanc speciem ab omnibus aliis facile distingvunt.

— Descriptioni adcuratæ *Wahlbergi* pauca tantum, post comparationem meorum speciminum, addam. Squamæ anales maris in angulo inferiori macula atra cum nigredine marginis confluens. Femora glauco-ænescentia, postica subtus albo-ciliata, posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra. Alæ subelongatæ, angustatæ, nervo 4:to longitudinali leviter flexo, non exactissime cum 3:tio parallelo, paullo ante summum apicem alæ excurente. Tarsi anteriores fusco-annulati. Pleuræ schistaceæ, viridi-maculatæ. Coxæ schistaceæ, anticæ latere antico cano-micante, apice pallidæ. — Variat ♂ rarius alis subhyalinis, nervis parum infuscatis.

b. tarsis in utroque sexu simplicibus.

16. *D. punctum:* supra chalybeus, nitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine fere capitis transversi, pedibusque, nigris, geniculis, tibiis metatarsisque anterioribus pallidis, tibiis posticis flavidis, apice atris; alis vitreis, macula rotundata apicali ad marginem interiorem nigro-fusca. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 85. 19. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 134. 27. ♂.

Hab. in pratis humidis, per Sueciam mediam, mens. Jul., rarissime; in Smolandia ad Rydaholm a D. *Boheman* inventus, mihique benigne communicatus. — E Finlandia a D. *Sahlberg* specimen masculum quoque obtinui.

♂. Corpore supra chalybeo, alis vitreis, puncto stigmaticali ad basin atro, macula rotundata nigro-fusca ad apicem alæ inter nervos 4:tum & 5:tum longitudinales juxta marginem interiorem locata, ut & nervo transverso longius solito pone medium alæ sito, species hæc præcipue & facillime ab aliis dignoscitur. — Epistoma modice latum. Palpi nigri. Antennæ breviusculæ, nigræ, articulo ultimo breviter ovato, apice fusco, seta antenna paullo longiori, arcuatim deflexa, nuda. Frons subcyanea. Thorax chalybeus l. cærulescens.

Abdomen cærulescenti viride, incisuris æneo-nigris, lateribus leviter albo-micantibus. Pleuræ schistaceæ, viridi-maculatæ. Alæ: nervo long. 4:to distincte flexo, paullo ante apicem excurrente. Squamæ & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. Squamæ anales albidæ, apice & externe nigro-marginatæ & nigro-ciliatæ. Pedes nigricantes, coxis schistaceis, anticis apice dilutioribus, throchanteribus omnibus fusco-testaceis. Genua, tibiæ & metatarsi anteriora, flavida. Tibiæ posticæ flavidæ, apice tarsisque totis, atris. Femora postica subtus tenuiter fusco-ciliata, posteriora ad apicem antice spinula solitaria nigra.

17. *D. maculipennis:* nitidus, obscure olivaceus, fronte concolore, abdomine obscure æneo; epistomate in utroque sexu lato, sordide griseo, opaco; antennis longitudine fere capitis transversi, atris; pedibus nigris, geniculis summis testaceis; alis hyalinis, plaga postica magna nigro-fusca. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: epistomate lato, sordide griseo; alarum plaga postica a costa ad nervum longit. 4:tum extensa fusca, perspicua, femoribus posticis subtus breviter nigro-ciliatis, posterioribus antice ad apicem spinulis duabus nigris (quarum altera sæpe detrita), & squamis analibus sordide albidis, late nigro-marginatis nigroque ciliatis;

Fem.: robustior, epistomate adhuc nonnihil latiori, griseo; plaga alarum anterius magis dilatata, sed obsoletiori, minus determinata; femoribus posticis subtus nudis, posterioribus ad apicem ut in ♂ bi- (vel in detritis uni-) spinulosis.

D. atratus Zett. Ins. Lapp. 710. 10. ♂♀., exclusis synonymis Meig. & Macq.

Hab. in Scandinaviæ septentrionalis foliis fruticum Betulæ, Alni &c., juxta aquas, 15—28 Jul., minus frequens; scilicet in Jemtlandia boreali ad Skalstugan in Jugo alpino (16—20 Jul. 1840 uterque sexus captus); in

inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norvegicæ ad Björkvik, Hackslen, Schiervö, Giebostad, &c., passim; in Dalecarliam rarissime descendit; & in Scania omnino inopinate ante plures annos a D. *Boheman* ♂ semel lectus, & tunc temporis nomine *D. fascipennis* appellatus vendebatur.

♂♀. Colore corporis obscuro, epistomate in utroque sexu fere æqualiter lato, griseo, opaco, plaga alarum fusca, & spinulis 2 (nec solitaria) ad apicem femorum posteriorum, bene a reliquis dignoscitur. — Alarum nervus longit. 4:tus leviter flexus, nonnihil ante summum apicem alæ excurrens; is & transversus in utroque sexu fuscedine cincti. Squamæ & halteres flava l. lutea, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ & coxæ schistaceo-nigræ, trochanteribus concoloribus. Pedes nigri, geniculis anterioribus summis, at posticis puncto tantum, testaceis. — Variat ♂ pedibus anterioribus nigropiceis.

Obs. D. atratus Meig. Dipt. 4. 76. 3. Macq. Buff. 1. 461. 11. & Stann. Dolich. in Isis 1831. p. 139. 33. alia certe est species, antennis capite longioribus, seta valida (nec tenui, apice capillari), epistomate angusto, albo, corpore virescente (nec olivaceo), pedibus olivaceis (nec nigris), femoribus posterioribus spina terminali unica (nec duabus), a nostra distincta, in Scandinavia mihi non obvia.

18. *D. Stenhammari:* subnitidus, obscure olivaceus, fronte concolore; abdomine obscure æneo; epistomate ochraceo-cano (♂), aut albo (♀), in utroque sexu subæqualiter lato; antennis longitudine fere capitis transversi, pedibusque, nigris, horum intermediorum tibiis annulo medio, metatarsisque totis, albis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: squamis analibus flavis, modice late nigro-limbatis & nigro-ciliatis; alis stigmate basali atro; femoribus posticis

subtus tenuiter nigro-ciliatis; tibiis intermediis annulo medio lato metatarsoque fere toto, albissimis;

Fem.: ano simplici, alis stigmate basali nullo; femoribus posticis subtus nudis; tibiis intermediis annulo medio obscure testaceo, obsoleto, metatarsoque fere toto albo.

D. annulipes Zett. Ins. Lapp. 710. 12. ♂♀. (sed nomen *annulipes* pro hac specie rejiciendum, anceps, utpote jam alii (n:o 88) antiquius fuit impositum).

Hab. in Scandinavia septentrionali, 21 Jun.—21 Jul., rarius; scilicet in Jemtlandia boreali ad Skalstugan uterque sexus inventus; in Lapponiæ Suecicæ Umensis paludosis ad Lycksele & Badstuträsk; in Nordlandia Norvegica ad Giebostad, & var. b. ♂♀ in Finmarkia ad Alten prope NordCap, rarissime; sed in Værdalia ad Suul-stuen paullo frequentius visus; tandemque in latera alpium adscendit, & in alpibus insignibus Kälahögar (in jugo alpino sitis) individua quædam inveni.

♂♀. Tibiarum intermediarum annulus medius, & metatarsus, albi speciem denotant & sufficienter distingvunt. — Color corporis obscurus. Seta antennarum nuda. Palpi nigri. Abdominis incisuræ nigræ, cupreo-marginatæ. Pectus schistaceum. Alarum nervus 4:tus leviter flexus, nonnihil ante summum apicem alæ excurrit; transversus subinfuscatus. Coxæ schistaceæ. Femora posteriora ad apicem antice spinula solitaria nigra. Genicula anteriora summa puncto flavo. Tibiarum intermediarum annulus albus in ♂ perspicuus in ♀ sæpe tantum ejus vestigium in fascia media testacea; at metatarsi pedum intermediorum in utroque sexu semper pure albi, summo apice nigro. Squamæ sub alis & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. — Variat b. ♂♀ tibiarum intermediarum annulo albo latissimo, fere ad basin tibiæ extenso. Tibiæ reliquæ etiam in medio pallescunt.

Nomen Plurim. Reverendi D. *Christiani Stenhammar*, Præpositi Districtus atque Pastoris Ecclesiar. Häradshammar

& Jonsberg, Reg. Ord. de Stella polari Membri, Botanici magni, Entomologiæ eximie dediti, qui messem insectorum lætam, quam pars borealis Ostrogothiæ & loca varia circa Holmiam protulerunt, mihi huic operi inserendi benevole obtulit, in hoc insecto aquilonari & distincto, nigricante, candore ornato, conservare voluit gratus amicus.

19. *D. picipes:* subnitidus, obscure æneo-virescens, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis longitudine capitis transversi, pedibusque totis, atris, geniculis anterioribus summis testaceis; alis hyalinis, ad costam fumatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate modice lato, argenteo; femoribus posticis subtus brevissime & molliter obscure ciliatis; squamis analibus albidis, modice nigro-limbatis & nigro-ciliatis, ciliis apicalibus ut in plerisque hujus subdivisionis, uncinatis;

Fem.: epistomate duplo latiori, cano; antennis capite transverso fere brevioribus; femoribus posticis subtus brevissime pubescentibus; ano simplici; in copula.

Meig. Dipt. 4. 76. 4. ♂♀. Stann. Dolich. in Isis 1831. 138. 32. ♂♀. Stæg. Dolich. 31. 26. ♂♀. *Dolichopus plebejus.* Zett. Ins. Lapp. 710. 11. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, 30 Jun.—30 Jul., passim; in copula captus; scilicet in Scania ad Esperöd, rarius; in Westrogothia, D. *Boheman;* ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*, qui hunc ad Gusum Ostrogothiæ & Holmiam quoque legit; in Dalecarlia, minus frequens; in Jemtlandia boreali ad diversorium Forsa juxta radicem alpium Mullfjellen, sat vulgaris; in Lapponia Umensi ad Nästansjö & Badstuträsk, passim; in Norvegiæ littoralibus a Thynæs & Levanger usque ad Björkvik Nordlandiæ, rarius. — E Dania a D. *Stæger* missus. (E Glogavia a D. *Zeller*).

♂♀. Epistoma album, alæ ad costam subinfuscatæ, pedes toti nigri, & in ♂ femora postica subtus brevissime tantum ciliata, sunt notæ, quibus præcipue distingvitur hæc species. — Seta antennarum nuda. Palpi nigri. Frons nitida. Thorax parum nitidus. Incisuræ abdominis nigræ, cupreo-marginatæ. Alæ hyalinæ, ad costam leviter, prope basin saturatius, fumatæ, stigmate nullo. Nervorum directio, squamæ, halteres & pectus ut in priori. Pedes nigri, coxis anticis latere antico cano. Genicula anteriora summa testacea, & postica apice puncto ferruginato. Metatarsi anteriores quoque summa basi angustissime niveo-micant. Femora posteriora ad apicem unispinulosa. — Variat fronte subchalybea. — Alæ in ♀ fere totæ dilute fumatæ. Individua pedibus piceis non vidi.

20. **D.** *tibialis:* subnitidus, obscure virescenti æneus, fronte concolore; epistomate ochraceo (♂), aut albo (♀); antennis longitudine fere capitis transversi, pedibusque, atris, anteriorum tibiis & metatarsis flavidis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Mas: epistomate angusto, obscure ochraceo, rarissime albescente; antennis longitudine capitis transversi; alis ad costam levissime subinfuscatis, nervo costali ad exitum auxiliaris crasso, atro; squamis analibus albidis, modice late nigro-limbatis & nigro-ciliatis; femoribus posticis subtus longe nigro-ciliatis;

Fem.: epistomate duplo latiori, albo; antennis capite transverso paullo brevioribus; alis ad costam levissime subinfuscatis, stigmate basali nullo; femoribus subtus subnudis seu tantum brevissime pubescentibus.

Zett. Ins. Lapp. 710. 13. ♂♀. var. "tibiis posticis nigricantibus" seu specimina e Lapponia Umensi (exclusis individuis e Kengis & Bossekop). — *D. lepidus* Stæg. Dolichop. 36. 29. ♂.

Hab. in Scandinaviæ borealis paludosis, 29 Jun.—30 Jul., minus frequens, scilicet in Jemtlandia boreali ad Skalstugan; in Lapponia Umensi ad Tresunda, Stensele atque in parœcia Frederica; & in Norvegia tantum ad Garnæs Værdaliæ rarissime lectus. Descendit rarius in Succiam inferiorem, & in foliis Nymphææ ad Gusum Ostrogothiæ, a D. *Wahlberg*, in ripis lacuum ad Jonsberg, Häradshammar &c., medio mensis Junii 1842, haud parce, D. *Stenhammar*, qui eundem ad Holmiam etiam legit; atque in Smolandia a D. *Boheman* captus.

♂♀. Pedes postici toti nigri, & anteriorum tibiæ & metatarsi pallescentia speciem in primis designant. — Frons virescens rarissime cyanescens, semper nitida. Palpi nigri. Seta antennarum longa, nuda, apice capillaris. Thorax dorso parum nitidus, cupreo-lineatus. Abdomen nitidum, incisuris nigris, postice cupreum. Nervorum directio, squamæ sub alis, halteres & pleuræ omnino ut in *D. picipede*. Pedes, postici toti cum tibiis & metatarsis validis, atri, geniculis summis ferruginatis; anteriores nigri, geniculis summis, tibiis metatarsisque totis, flavidis. Femora posteriora ad apicem unispinulosa. Coxæ schistaceæ, anticæ canomicantes.

Obs. Specimina Smolandica olim sub nomine *D. tibiellus* determinata, vix a Lapponicis genuinis differunt. — Sequenti valde affinis. Femina *D. tibialis* a femina *D. planitarsi*, n:o 14, non nisi ægre distinguitur.

21. *D. geniculatus:* subnitidus, obscure virescenti æneus, fronte concolore; epistomate albo (♀); antennis longitudine vix capitis transversi, pedibusque, atris, omnium geniculis summis, anteriorum tibiis & metatarsis totis, posticorumque tibiis præter apicem nigrum, flavidis; alis hyalinis. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Stann. Dolich. in Isis 1831. 135. 29. *Dolich. tibialis* Zett. Ins. Lapp. 710. 13. specimina quædam.

Hab. in Lapponia Umensi ad Wilhelmina &c., mense Julio, rarius; in Insectis Lapponicis a me cum priori confusus. Feminam hujus speciei in copula cum mare *D. pennitarsis* (n:o 35) ad Lindholmen Scaniæ Jul. 1838 semel inveni.

♀. Simillimus in omnibus præcedenti, a quo non differt nisi geniculis forte nonnihil latius ferrugineis, & tibiis posticis etiam flavis, apice solo nigris.

♂: "epistomate angustiore, ochraceo, antennis nonnihil longioribus, femoribus posticis subtus subciliatis, laminis analibus albidis, latius nigro-limbatis & nigro-ciliatis, ut & alis stigmate nigro", a D. *Stannio* l. c. describitur, mihi haud obvius.

Obs. Dolichopum quendam ad Häradshammar Ostrogothiæ in unico specimine masculo nuperrime mihi misit D. *Stenhammar*, huic quidem similem, sed colore lætiore & magnitudine minore diversum, nec ejus mas esse potest, cum is: "epistomate ochraceo & femoribus posticis subtus subciliatis" describitur, qualis noster non sit. Si ex hoc individuo solitario novam speciem fingerem, hanc hoc nomine & hoc modo describerem:

D. tibiellus: nitidus, viridis, fronte concolore, epistomate argenteo; antennis capite transverso fere nonnihil longioribus, pedibusque, atris, omnium geniculis summis, anteriorum tibiis & metatarsis totis, posticorumque tibiis præter apicem nigrum, flavidis; alis hyalinis, puncto stigmaticali nigro. ♂. (Long. 1½ lin.).

22. *D. brachycerus:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate lato, cano (♀); antennis longitudine dimidii capitis transversi, pedibusque, nigris, tibiis anterioribus obscure flavidis; alis totis subfumatis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Suecia rarius; in parœcia Arbrå Helsingiæ d. 24 Aug. 1840 specimina quædam inveni. Individuum unicum e Smolandia? quoque misit D. *Boheman*, olim ad *D. nigripedem* immerito relatum.

♀. Similis *tibiali*, sed minor, magis nitidus, antennis brevioribus, alis undique subfumatis, & tibiis metatarsisque anterioribus obscurioribus distinctus. — Forte hujus subdivisionis, sed mas deest pro vero loco designando.

23. *D. dissimilipes:* nitidus, thorace chalybeo, fronte abdomineque viridibus; epistomate angusto, ochraceo (♂); antennis longitudine vix capitis transversi, nigris; pedibus obscure testaceis, posticis validis brunneis; alis hyalinis; squamis analibus maris parvis, flavidis, unicoloribus. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania, museum D. *Falleni*, ubi inter specimina *D. nigripedis* olim locum obtinuit.

♂. Color corporis & pedum, ut & lamellæ anales parvæ, speciem diversam produnt. Antennæ breviusculæ. Palpi nigri. Epistoma angustum, immersum (in mortuo), ochraceum. Thorax & scutellum chalybea. Abdomen aureo-viride, incisuris nigris. Squamæ anales parvæ, angustæ, flavidæ, margine exteriori omnium angustissime fusco, vix ciliato. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis tenuibus, costali ad basin lineola brevi, atra, 4:to longitudinali leviter flexo paullo ante apicem in costam excurrente. Squamæ sub alis & halteres flava, illæ nigro-ciliatæ. Pedes anteriores fusco-flavo-ferruginei. Coxæ anticæ obscure ferrugineæ, apice dilutiores; posteriores schistaceæ. Pedes postici brunnei, femoribus validis, subtus nigro-ciliatis, tibiis metatarsisque crassis, & ut solito spinosis. Femora posteriora ad apicem spinula nigra solitaria. Pectus glauco-viride.

24. *D. lepidus:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis trans-

versi, atris; pedibus nigris, anteriorum femoribus apice, tibiis totis tarsisque basi late, pallidis; posticorum tibiis flavis, apice nigris, trochanteribus omnibus ferrugineis; alis hyalinis, nervis subinfuscatis. ♀. (Long. 2¼ lin.).

Hab. in Scania rarissime; circa Lund specimen descriptum inveni.

♀. Colore splendido, trochanteribus ferrugatis, geniculis anticis latius flavis, &c., species hæc in hac subdivisione facile dignoscitur. — Epistoma latum, argenteum. Palpi rufescentes. Thorax immaculatus. Abdominis incisuræ tenuiter nigræ. Alarum nervus longitndinalis 4:tus geniculatim flexus fere in ipso apice excurrens, hic & transversus fuscedine præsertim cincti. Squamæ & halteres flava, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ glauco-virides. Coxæ schistaceæ, anticæ canæ, apice ferrugineæ, trochanteribus omnibus ferrugineis. Femora æenescenti nigra, brevissime pubescentia, posteriora ad apicem antice spinula solitaria nigra; anteriora apice pallida. Tibiæ omnes flavæ, posticæ apice nigricante. Tarsi postici toti nigri; anteriores flavidi, tarsorum articulis apice fuscis & ultimo fere toto obscuro; hinc tarsi flavi nigro-subannulati.

Obs. 1. Ad hanc subdivisionem pertinet etiam *Dolichopus grönlandicus*, qui quidem in Scandinavia hactenus non repertus fuit, quantum novi, sed cujus diagnosin ob comparationem tamen afferre lubet:

D. grœnlandicus: parum nitidus, obscure æneo-viridis, fronte concolore nitida; epistomate angusto, ochraceo; pedibus nigris, coxis schistaceis, femoribus anticis apice late, intermediis totis, tibiis omnibus metatarsisque anterioribus, flavis; alis hyalinis. ♂. (Long. 2 lin.).

D. tibialis var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. 710. 13.

Hab. in Grönlandia, per Dom. *Westermann* Hafniensem mihi communicatus.

♂. Alæ stigmate ad basin punctiformi. Nervi ut in priori directi. Abdominis incisuræ, squamæ sub alis, halteres & spinula femorum apicalis, quoque ut in præcedente. Squamæ anales nigricantes, nigro-ciliatæ, disco sordide albido. Tibiæ posticæ apice non latæ nigræ.

Obs. 2. *D. trochanteratus:* pedibus nigricantibus, antennis atris, articulo 1:mo subtus lineola flava, sub n:o 34 inveniendus. *D. campestris*, *fulgidus* & *ochripes*, speciebus hujus subdivisionis quoad pedes nigricantes quidem similes, sed squamis analibus in ♂ magis obscuris diversi; sub n:ris 52, 53, 54 quærendi.

Manip. II. Antennæ ad partem flavæ.

Pugillus 1. articulo primo superne nigro, inferne flavo *).

a.) *Antennæ saltem in mare capite transverso duplo longiores, articulo ultimo in utroque sexu longe acuminato, supra microscopice pubescente.*

25. *D. longicornis:* supra æneus, subnitidus, fronte concolore aut chalybea; epistomate pallide orichalceo; antennis elongatis subtus flavis, supra apiceque atris; pedibus totis pallide flavis, coxis intermediis cinereis, tarsis anterioribus apice, posticisque totis, nigris; alis hyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{3}$ lin.).

---

*) Ad hanc subdivisionem refero omnium *Dolichoporum* virescentium species, quæ ano in maribus pallido-lamellato, metatarso postico in utroque sexu spinoso, ut & nervo alarum 4:to longitudinali curvilineatim, nec rectangulatim, flexo, instructæ, antennas aut subtus totas flavas, aut plerumque articulum tantum basalem infra flavum habent. Interdum articulus hic primus deprehenditur fere totus ater, relictis tantum subtus linea angustissima l. puncto (aliquando ægre observandis) flavis. Cfr. insuper subdiv. b.

Mas: antennis capite transverso duplo longioribus, epistomate modice angusto, orichalceo, subnitido; squamis analibus pallidis, anguste nigro-limbatis & nigro-ciliatis; alis stigmate ad basin incrassato, atro, squamis sub alis pallide ciliatis;

Fem.: antennis capite transverso dimidio longioribus; epistomate latiori albido, opaco; alis stigmate nullo, squamis sub alis nigro-ciliatis.

Var. a. ♂♀ fronte ænea.

Stann. Dolichop. in Isis 1831. 53. 7. ♂♀. *D. acuticornis* Meig. Dipt. 4. 94. 31. ♂♀. exclus. syn. Wiedemann. — Fall. Dolich. 12. 10. ♂♀. Descript. — Zett. Ins. Lapp. 708. 4. ♂♀. Stæg. Dolich. 17. 7. ♂♀.

Var. b. ♂. fronte chalybea. Macq. Buff. 1. 461. 10. ♂.

Hab. var. a. in Sueciæ & Lapponiæ graminosis, humidis, 7 Jul.—16 Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd, haud infrequenter; in Ostrogothia ad Wadstena &c., vulgaris; in Westrogoth. ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Smolandia ad Döderhultsvik Calmariæ, Idem; in Gottlandia ad Öja, ipse; in Uplandia ad Holmiam in horto Bergiano, D. *Stenhammar*; in Wermelandia ad Åras, ipse; in Dalecarlia ad Stora Tuna; in Jemtlandia ad Ristansfors & ad radicem Mullfjellet, haud raro; in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponia Umensi & Tornensi, per regionem sylvaticam, passim; sed neque in alpibus ipsis, neque in littoribus marinis Norvegiæ mihi obvius nisi ad Levanger & Thynæs rarissime. — Ex Hafnia a D. *Stæger* communicatus. — Specimina ex Helvetia missa, Suecicis simillima quoque possideo. — Var. b. tantum ad Garde Gottlandiæ semel inventa 29 Jun. 1819.

♂♀. Ad minores accedit. Augustus. Antennis longis mox dignotus. Palpi flavi. Antennæ subtus, articulis 1:mo ad

totam longitudinem, ultimo paullo ultra medium, luteo-flavæ. Seta nuda. Oculi in vivo aureo-virides. Abdomen virescens. Alarum nervus long. 4:tus leviter flexus nonnihil ante summum apicem excurrens. Squamæ sub alis parvæ, pallidæ, in ♂ pallido- in ♀ nigro-ciliatæ. Halteres pallidi. Pleuræ glauco-virescentes. Pedes cum coxis & trochanteribus pallide flavi, coxis intermediis articulo primo, & posticis basi, schistaceis. Tarsi postici toti atri. Tibiæ posticæ interdum sumo apice nigro. Femora postica subtus nuda, nec ciliata; posteriora ad apicem spinula solitaria nigra. — Var. b. ♂ fronte chalybea, antennis nonnihil brevioribus, alarum nervo longit. 4:to forte paullo magis flexo, alias var. a. similis; an hujus?

26. *D. acuticornis:* supra æneus, subnitidus, fronte chalybea aut ænescente; epistomate argenteo; antennis elongatis atris, articulo primo subtus puncto fulvo; pedibus totis pallide flavis, coxis intermediis cinereis, tibiarum posticarum apice, tarsisque omnibus, nigricantibus; alis subfuscanis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: antennis capite transverso duplo longioribus; epistomate angusto, argenteo, nitido; squamis analibus pallidis, anguste nigro-limbatis & nigro-ciliatis; alis stigmate ad basin incrassato, atro, squamis sub alis pallide ciliatis;

Fem.: epistomate latiore, antennarum articulo 3:tio breviore, alarum stigmate nullo. (Cfr. etiam *D. parvulus* n:o 46).

Var. a. ♂. fronte chalybea; frequens.

Wiedem. Zool. Magaz. 1. 74. 23. ♂♀. Fall. Dolich. 12. 10. Diagn. ♂. (♀ ad antecedentem pertinet). — Stann. Dolich. in Isis 1831. 55. 8. ♂♀. *D. ruralis* Meig. Dipt. 4. 94. 35. ♂. Stæg. Dolich. 18. 8.

Var. b. ♂♀. fronte ænea; antennarum articulo 1:mo subtus linea flava, tibiis posticis apice parum infuscatis; rarius.

Hab. in Scania, mus. D. Fallén, cum priori commixtus; in Ostrogothia locis umbrosis, 12—18 Jul., ad Lärketorp, Wadstena &c., passim. — E Dania a D. *Stæger* communicatus. (E Glogavia a D. *Zeller* missus).

♂♀. Priori similis & affinis, sed paullo gracilior, & ♂ sequentibus notis certe distinctus: antennis totis nigris, puncto tantum luteo interne in apice anguli inferioris articuli basalis; epistomate paullulum angustiori, argenteo, nec flavido; fronte sæpissime chalybea; pedibus pallidius flavis, coxis anticis latere antico argenteo-micantibus, tibiis posticis apice latius & evidentius nigris; & alis paullo magis fuscanis. Metatarsi anteriores flavidi. Antennæ quoque forte nonnihil breviores & latiores, quam in antecedente.

b.) *Antennæ in utroque sexu, aut capite nonnihil tantum longiores vel etiam breviores, aut ejus longitudine; articulo ultimo subobtuso l. brevissime acuto, semper nudo.*

α. Tarsi antici in mare elongati, tenues, apice patellati.

27. *D. claviger:* æneo-viridis, subnitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, atris, articulo 1:mo inferne anguste luteo; pedibus pallide flavis, coxis anticis ima basi, intermediis articulo 1:mo, posticis ad medium, cinereis, tarsis anterioribus apice, posticisque totis, nigris, femoribus posterioribus ad apicem trispinulosis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate angusto, albo, nitente; alarum stigmate basali atro, squamis sub alis longe pallide ciliatis; squamis analibus albidis, margine externo & præsertim apicali late nigro & nigro-ciliato; tibiis posticis apice nigris, lineola elevata tenuissima pallida; femoribus anterioribus subtus pallide ciliatis; tarsis anticis elongatis tibia circiter dimidio

longioribus, articulis singulis versus apicem sensim decrescentibus, 4:to & 5:to longitudine subæqualibus, 5:to modice dilatato, rotundato, atro, latere unico breviter ciliato, unguiculis niveis;

Fem.: epistomate paullo latiore, albido; antennis nonnihil brevioribus; alis absque stigmate; squamis sub alis nigro-fusco-ciliatis; ano tarsisque simplicibus; tibiis posticis apice angustius brunneis, lineola pallida nulla; tarsis anterioribus sordide flavis, apice fuscis; femoribus subtus nudis.

Stann. Dolichop. in Isis 1831. 36. 9. ♂♀. Stæg. Dolich. 20. 11.

Hab. in foliis fruticum juxta aquas, per Sueciam, mense Julio, raro; in Scania ad Lindholmen, D. *Dahlbom*, ad Esperöd, D. *Petterssou*; in Ostrogothia & Gottlandia utrumque sexum inveni; e Dania a D. *Stæger* marem etiam 1841 obtinui, & femina, sub nomine "*D. patellatus* Meig." ab Eodem 21 Aug. 1839 missa, ad *D. claviger* referenda. (♀ e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Frons viridis, coxæ anticæ albo-flavæ, basi extus macula cinerea notatæ, femora posteriora ad apicem spinulis 2, 3, l. 4 (nec unica) nigris, ut & in ♂ tarsorum anticorum forma, squamæ sub alis pallide ciliatæ, femora anteriora subtus flavo-ciliata, & tibiarum posticarum apex niger lineola pallida externe notatus, speciem præcipue denotant. Palpi rufescentes. Thorax cupreo-bilineatus. Pleuræ glauco-virescentes. Squamæ sub alis & halteres, flava. — Var. ♀ fronte cærulescente in Ostrogothia semel legi.

28. *D. discifer:* æneo-viridis, subnitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, atris, articulo 1:mo inferne anguste luteo; pedibus pallide flavis, coxis anticis totis concoloribus, intermediis articulo 1:mo, posticis ad medium, cinereis, tarsis anterioribus apice posticisque totis, nigris, femori-

bus posterioribus ad apicem unispinulosis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, albo, nitente; squamis analibus albidis, modice late nigro-limbatis & nigro-ciliatis; tarsis anticis tibia duplo longioribus, articulis 2, 3, 4 subæqualibus, 5:to paullo dilatato, ovato, atro, basi anguste albo, unguiculis nigris,

Fem.: epistomate duplo latiore, albo, nitente; antennis nonnihil brevioribus; ano tarsisque simplicibus, tarsorum anticorum articulis brevioribus, singulis sensim decrescentibus, sordide flavidis, ultimo nigro.

Stann. Dolich. in Isis 1831. 57. 10. ♂♀. *D. patellatus* Meig. Dipt. 4. 86. 22. ♂ (excl syn. Fall. quæ ad n:o 71 nobis pertinet). Macq. Buff. 1. 466. 32. ♂. Stæg. Dol. 21. 12. ♂♀. — *D. confusus* Zett. Ins. Lapp. 709. 7. ♂♀.

Hab. in pratorum humidorum graminosis & fruticibus, per Scandinaviam, 30 Jun.—10 Aug., passim frequens; scilicet in Scania rarius; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia passim ex. gr. ad Sudercopiam &c., D. *Stenhammar*, ad Gusum, D. *Wahlberg*. & ad Wadstena, ipse; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Åreskutan (& ♀ in ligno nuper secato ad diversorium Forsa prope Mullfjellet), passim; in Lapponia Umensi, sat copiose; in Norvegia ad Garnæs, Suul & Kongsstuen in jugo alpino Værdaliæ, vulgaris, & in Finmarkia usque ad Alten, passim. — E Dania a D. *Stæger* & e Finlandia a D. *Sahlberg* quoque communicatus.

♂♀. Similis priori, a quo differunt, *mas:* epistomate paullulum latiori, alarum stigmate nullo, squamis sub alis nigro-, nec pallide, ciliatis, squamis analibus apice angustius nigromarginatis, tarsis anticis longioribus, patella apicis mino-

ri, basi anguste alba, unguiculis atris (nec niveis), femoribus subtus nudis, tibiarum posticarum nigredine angustiori, lineola pallida nulla; *femina:* epistomate nonnihil latiore, tibiis posticis apice parum fuscis, metatarso postico sordide flavido, apice tantum nigro, raro toto fusco; & *uterque sexus:* corpore robustiori, alis subvitreis, nervo longitud. 4:to paullo ante apicem, nec in apice, excurrente, coxis anticis flavis, immaculatis, & femoribus posterioribus spinula solitaria, nec tribus, armatis. Pedes ♂ tenues post mortem valde divergunt.

29. *D. confusus:* æneo-viridis, nitidus, fronte chalybea; epistomate albo; antennis longitudine fere capitis transversi, nigris, articulo 1:mo inferne anguste luteo; pedibus flavis, coxis anticis basi, posterioribus articulo 1:mo toto, cinereis, tarsis anterioribus apice, posticisque totis, nigris, femoribus posterioribus ad apicem unispinulosis; alis subhyalinis, nervo long. 4:to distincte geniculato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, squamis analibus pallidis modice late nigro-limbatis & nigro-ciliatis; tarsis anticis tenuibus, flavis, tibia dimidio longioribus, articulis singulis sensim decrescentibus (4:to & 5:to longitudine subæqualibus), 4:to albido, subpellucido, 5:to magno, triangulariter dilatato, compresso, atro;

Fem.: epistomate nonnihil latiore, antennis paullo brevioribus, ano tarsisque simplicibus, tarsis anticis tibia nonnihil longioribus, flavido-fuscis, articulo ultimo nigro (articulis scilicet 1 longissimo, 2 & 3 brevioribus, sed invicem æqualiter longis, 4 & 5 adhuc brevioribus, invicem æqualiter longis).

Dolich. patellatus Stann. Dolich. in Isis 1831. 59. 11. ♂♀. excluso syn. Fall. (quod ad n:o 72 nob. pertinet), Meig. & Macq.

Hab. in Suecia 11 Jul.—23 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena; in Gottlandia ad Thorsborg; in Helsingia ad diversorium Löfvik, a me inventus. (Specimina utriusque sexus hujus, sine nomine e Glogavia etiam D. *Zeller* 1842 communicavit).

♂♀. Fronte chalybea, alarum nervo 4:to subrectangulatim flexo fere in summo apice excurrente, (nervis omnibus in ♀ fuscedine cinctis) coxis anticis tantum macula basali, at posterioribus articulo primo toto, cinereis, femoribus posterioribus ad apicem spinula solitaria, omnibus in utroque sexu subtus nudis, ut & patellis tibiar. anticarum apicalibus in ♂ magnis. &c., hæc species ab affinibus statim dignoscitur. — Antennæ fusco-nigræ, præsertim versus apicem. Palpi rufi. Thorax cupreo-lineatus. Alarum stigma basale nullum. Squamæ & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ glauco-virescentes. Tibiarum posticarum apex summus fuscus. — Var. ♂ rarissime fronte cærulescente. — Nomen antiquius "*patellatus*" speciei Fallenianæ genuinæ reservare me debere credidi.

Obs. Hæ tres proxime antecedentes species magnam cum *Dolich. brevipenni*, n:o 10, quoad tarsorum anticorum articuli ultimi formam in ♂ patellatam habent, sed præter alias notas distinctivas, etiam ad articulum antennarum basalem subtus in illis leviter flavum, in *brevipenne* totum atrum, probe attendas.

β. Tarsi antici in utroque sexu simplices. Femora posteriora ad apicem spinula solitaria nigra.

30. *D. puncticornis:* æneus, nitidus, fronte cærulescenti viridi; epistomate ochraceo; antennis capite transverso paullo longioribus, fusco-nigris, articulo 1:mo subtus ad apicem puncto luteo; pedibus flavis, coxis poste-

rioribus cinereis, tibiis posticis apice late, tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anterioribus flavidis; alis hyalinis, nervo long. 4:to subgeniculato fere in summo apice excurrente. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarius; circa Lund specimina 4 inveni, locis humidis, 6 Jul.

♂. Supra virescenti æneus, subtus glaucus. Antennæ porrectæ, magnæ, nigro-fuscæ, articulo basali subtus ad apicem puncto parvo luteo ægre observando. Frons viridis, nitida. Epistoma modice angustum, ochraceum, præsertim sub antennis. Palpi parvi rufi. Incisuræ abdominis anguste nigræ. Squamæ anales flavæ, anguste nigro-marginatæ, apice nigro-ciliatæ & uncinatæ. Pedes flavi. Coxæ anticæ totæ flavæ; posteriores articulo primo schistaceo, apice flavæ. Tarsi anteriores fusci, metatarsis flavidis. Tarsi antici & tibiæ anticæ, æqualiter longa. Tibiæ posticæ apice ad tertiam partem, & tarsi toti, atra. Femora subtus nuda. Linea stigmaticalis ad basin alæ elongatæ, subcrassa, atra.

31. *D. intermedius:* aureo- vel cærulescenti viridis, nitidus, fronte concolore; thorace cupreo-vittato; epistomate albo; antennis longitudine circiter capitis transversi, atris, articulo 1:mo subtus anguste fulvo; pedibus flavis, coxis posterioribus articulo primo cinereo, tarsis nigris, metatarsis anterioribus pallidis; alis sub-fuscanis, nervo long. 4:to leviter flexo fere in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto; antennis capite fere longioribus, articulo ultimo toto atro; squamis analibus pallidis, anguste nigro-marginatis & nigro-ciliatis, apice uncinatis; femoribus posticis subtus pallide ciliatis;

Fem.: epistomate duplo latiore; antennis capite paullo brevioribus, articulo ultimo breviter ovato, subacuto, inferne ad basin macula plus minus obsoleta, interdum parum con-

spicua, flava instructo; alis magis fumatis; femoribus subtus nudis; in copula.

Stæg. in litteris d. 22 Maj. 1841. ♂. — Specimina quædam *D. nitidi* in museo Falleni sub hoc latent.

Hab. in Suecia meridionali & media, 2—30 Jul. passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Lindholmen, Thomerup &c., non infrequens; in Ostrogothia ad Wadstena, raro; in Gottlandiæ pratis præsertim mari vicinis ut ad Kyllej, & in parœciis Sanda, Öja, Nähr, Stenkyrka, vulgaris; in Norvegia ad Oestre-Næs Værdaliæ, rarissime. — Specimina mascula sub nomine *D. intermedius*, & feminea sub nom. *D. simplex*, a D. *Stæger* obtinui. (E Glogavia a D. *Zeller*).

♂♀. Alæ fuscanæ, tibiæ posticæ flavæ, apice parum infuscatæ, & in ♂ femora postica subtus sat longe pallide ciliata, speciem denotant. — Palpi parvi, rufi. Antennarum articulus primus subtus linea angusta fulva. Frons viridis, rarissime cyanea. Thoracis dorsum vittis 3 cupreis, lateralibus subabbreviatis. Abdominis incisuræ parum nigræ. Alarum costa: stigmate basali atro, brevi. Squamæ sub alis & halteres, albida, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ glauco-virescentes. Pedes pallide flavi. Coxæ anticæ flavo-albæ, ima basi sæpe infuscatæ; posteriores articulo 1:mo toto schistaceo, apice flavæ. Tarsi nigri, metatarsis anterioribus flavidis, apice summo nigris. Tibiæ posticæ apice plerumque fuscæ vel brunneæ. Tarsus anticus tibia parum longior. — *D. cilifemoratus* (n:o 40) huic simillimus est, sed differt magnitudine paullo majori, antennis basi latius flavis, nervo 4:to magis rectangulatim flexo, & in mare tarsorum anticorum articulis introrsum subarcuatis.

32. *D. lineatocornis:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore, thorace cupreo-vittato; epistomate flavido; antennis longitudine fere capitis transversi, atris, articulo 1:mo subtus anguste fulvo; pedibus flavis, coxis posterio-

ribus cinereis, tarsis nigris, metatarsis anterioribus pallidis; alis griseo-hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo fere in apice alæ excurrente. ♂. (Long. $1\frac{7}{8}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; individuum unicum ad Lund ante plures annos deprehendi & tunc nomine *D. nigricornis* Meig. (immerito) designavi.

♂. Similis priori, sed epistomate flavescente, antennis paullo brevioribus, articulo ultimo ovali, parum acuto (nec elongato, acuto), alarum stigmate omnino nullo, pedibus intensius flavis, coxis posterioribus usque ad trochanteres cinereis, femoribus posticis subtus nudis, nec ciliatis, & magnitudine nonnihil majori, abunde distinctus. Affinis & similis quoque *D. pennato* (n:o 36), sed antennarum articulo basali supra latius nigro, subtus & intus tantum fulvo (nec toto fulvo, linea superna atra), ut & tarsis simplicibus, mox differt.

33. *D. pictus:* æneus, nitidus, fronte scutelloque virescentibus; epistomate albo; antennis capite transverso paullo brevioribus, atris, subtus articulis, 1:mo ad totam longitudinem anguste, ultimo macula basali minuta, luteis; pedibus flavis, coxis anticis pallidis, basi anguste, posterioribusque totis, cinereis, tarsis nigris, metatarsis omnibus basi flavidis, tibiis posticis apice atris; alis hyalinis, macula apicali fusca. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Stæger in litteris 22 Maj. 1841. ♂. Dolichop. 31. 23.

Hab. in Carduis rarius; in Amager Daniæ a D. *Stæger* detectus, mihique amicissime communicatus. In Suecia hactenus non inventus, quantum novi. *)

---

*) In insula Koön Bahusiæ specimina utriusque sexus a D. *Wahlberg* nuperrime lecta.

♂. Color corporis æneus, macula alarum postica fusca (♂), & metatarsi postici basi flavi (♂), speciem præcipue distingvunt. Similis *D. nubilo* (n:o 4), sed antennis paullo brevioribus, subtus basi flavescentibus, nec totis nigris, femoribus posticis absque macula apicali obscura, & in ♂ squamis sub alis nigro-, nec pallide ciliatis &c., satis dignotus. — Epistoma modice angustum, argenteo-album. Antennarum brevium nigrarum articulus basalis subtus linea fulva, & apicalis inferne ad basin macula parva ejusdem coloris. Palpi rufi. Pleuræ glaucæ. Squamæ anales pallidæ, nigro-marginatæ & nigro-ciliatæ. Alæ fuscanæ, plaga apicali ad costam saturatius fusca; stigmate atro. Squamæ sub alis & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. Femora omnia subtus nuda. Metatarsi anteriores flavidi, apice nigri. Tibiæ posticæ annulo apicali (ad 6:tam partem tibiæ lato) atro. Metatarsi postici basi ad dimidium flavi. Tibia antica & tarsus anticus subæqualiter longa.

Femina: mari similis, epistomate latiori, alis hyalinis absque plaga fusca & stigmate atro, ano simplici, ut ♂ metatarso postico toto nigro, a D. *Stæger* quoque inventa. — Cfr. *D. inconspicuus* n:o 45.

34. *D. trochanteratus:* obscure æneus, subnitidus, fronte virescente; epistomate albo; antennis capite transverso brevioribus, atris, articulo 1:mo subtus lineola angustissima fulva; pedibus nigricantibus, coxis anticis apice, trochanteribus omnibus, geniculis tibiisque, flavidis, tibiis posticis apice nigris; alis fumato-hyalinis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Dania rarius; ♀ ex Hafnia 1841 a D. *Stæger* sub nomine "*D. vitripennis* Meig. Stann." mihi communicata. In Bahusia ad Marstrand utrumque sexum inventum esse nuperrime mihi retulit Cel. Prof. *Wahlberg.*

♀. Similis *D. picipedi* (19) & *tibiali* (20), sed & ab his & a *D. vitripenni* antennarum articulo ultimo subtus tenuiter

quidem, attamen conspicue flavo-lineato distinctus, atque in hac subdivisione per pedes nigricantes satis dignotus. Antennæ capite fere dimidio breviores, articulo ultimo rotundato, apice subacuto. Epistoma latum, argenteum. Palpi rufi. Abdomen cuprescens, nitidum. Alæ cinereo-hyalinæ seu levissime fuscanæ, nervo long. 4:to modice flexo fere in summo apice excurrente. Squamæ & halteres flava, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ glaucæ. Pedes nigricantes, trochanteribus omnibus testaceis. Coxæ schistaceæ, anticæ apice, posteriores summo apice, testaceæ. Femora ima basi testacea. Genicula summa & tibiæ, flavida, harum posticarum apice nigra. Tibia & tarsus antica æqualiter longa.

Mas: "tibiis posticis incrassatis, dilatatis, alis nervo costali puncto nigro; lamellis (squamis analibus) pallidis nigromarginatis", a D. *Stæger* in litteris describitur, ab illo semel captus, mihi ignotus.

Pugillus 2. articulo antennarum primo vel toto vel ad maximam partem flavo *). Femora posteriora antice ad apicem spinula solitaria nigra (in *D. populari* (n:o 37.) spinulis tribus).

α. α.) Tarsi intermedii in mare non exacte simplices, sed vel ciliati, vel pennati, vel varie dilatati, vel in *D. urbano* tantum elongati.

35. *D. pennitarsis:* viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate flavo (♂), aut albo (♀); antennis longi-

---

*) Huic subdivisioni insero omnes hujus familiæ species, quæ, præter notas in subdivisione a. allatas, etiam habent antennas aut articulis 1 & 2 totis, & 3 basi (in subdivisione præsente nulla datur species, quæ antennis totis flavis gaudeat), aut saltem articulo 1:mo fere toto, flavis, instructas. Articulus hic basalis interdum est flavus vel luteus, superne linea angusta nigra vel umbra tantum fusca notatus.

tudine circiter capitis transversi, fulvis, articulo ultimo apice nigro; pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus glaucis, tibiis posticis apice anguste, tarsisque omnibus, atris, metatarsis anticis flavidis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, flavo; antennis capite nonnihil longioribus; squamis analibus pallidis, apice anguste nigro-marginatis & nigro-ciliatis; alarum puncto stigmaticali atro; tibiis intermediis elongatis, tenuissimis, pallidis, latere antico fuscis, apice summo incrassato, albo, nigro-terminato; metatarsis intermediis validis, utrinque breviter atro-ciliatis;

Fem.: epistomate duplo latiore, albido; antennis longitudine vix capitis; alarum costa absque nodulo atro; tibia intermedia reliquis æquali; tarsis intermediis simplicibus, atris, tibia paullulum longioribus; in copula.

Fall. Dolich. 11. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 90. 29. ♂. Macq. Buff. 1. 466. 31. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 63. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 709. 9. ♂♀. Stæg. Dolich. 25. 15. ♂♀. *Musca plumipes* Scopoli Entomolog. Carniol. p. 331. 895. ♂. *D. simplex* Meig. l. c. 85. 20. ♀. Macq. l. c. 461. 23. ♀. teste D. *Stannio.*

Hab. in graminosis, plantis humilioribus, nec non in foliis fruticum & arborum, libenter locis paludosis, per totam Scandinaviam, 1 Jun.—17 Sept., ubique vulgatissime, in copula multoties capta; scilicet in tota Suecia, Ölandia & Gottlandia, frequentissime; in Lapponiis omnibus usque ad regionem alpinam procedens, passim; in Norvegiæ maritimis a Trondhiem usque ad NordCap, haud infrequenter. — In Dania, teste D. *Stæger*, in Finlandia, D. *Sahlberg*, non raro obvius. — (E Petropoli, per D. *Hummel*; ex Hamburgo per D. *Dahlbom*,

& ex Helvetia per D. *Konnewka*, specimina quoque obtinui. E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Antennæ fulvæ, dimidio supero articuli ultimi, & seta, nigris. Oculi aureo-virides. Palpi rufi. Thorax cupreo-trilineatus. Incisuræ abdominis anguste nigræ. Alarum nervus 4:tus modice flexus, fere in apice excurrente. Squamæ & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ. Color pedum fulvo-flavus. Tibiæ posticæ apice ad 6:tam partem nigræ. Femora subtus nuda. Metatarsi antici flavidi, apice nigri. Tibia & metatarsus antica subæqualiter longa. Costa ad anastomosin nervi auxiliaris anguste & breviter in ♂ atra.

Obs. *D acuticornis* var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. 708. 4. (specim. læsum, tarsis ad partem mutilatis) ad hanc speciem certe pertinet. — Marem hujus speciei in copula cum femina *D. geniculati* (n:o 21) in Scania ad Lindholmen 10 Jul. 1838 semel inveni.

36. *D. pennatus:* viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate flavo (♂), aut albo (♀); antennis longitudine circiter capitis transversi, atris, articulo 1:mo fulvo, linea superna nigra; pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus glaucis, tarsis nigris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, aureo-flavo; antennis capite paullo longioribus; palpis parvis; squamis analibus pallidis, anguste nigro-marginatis & nigro-ciliatis; tarsorum intermediorum articulis: 1 elongato, tenui, pallido, 2 & 3 brevibus, inter se æqualiter longis, subcrassioribus, nigris, atro-muricatis, 4 & 5 adhuc paullo brevioribus, inter se æqualibus, nigro-fuscis, superiori latere (in illæsis) argenteis, nitidissimis; femoribus posticis subtus brevissime pallide ciliatis;

Fem.: epistomate duplo latiore, albido; antennis capite nonnihil fere brevioribus; palpis majoribus; femoribus subtus

nudis; tarsorum intermediorum articulis: 1 elongato, flavido, brevissime atro-pubescente, summo apice nigro, ima basi (articulatione) pallida, nuda, 2, 3, 4 & 5 subæqualibus, brevibus, atris; alis ad nervos subinfuscatis; in copula.

Meig. Dipt. 4. 90. 28. ♂♀. (specim. detrit.). — Macq. Buff. 1. 466. 33. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 64. 15. ♂♀. *D. popularis* Fall. Dolich. 11. 7. var. *α.* ♂♀ (excl. syn. Wiedem.). *D. signatus* Meig. Dipt. 4. 92. 32. ♂. (specim. illæs.). Macq. Buff. 1. 465. 30. ♂. Stæg. Dolichop. 25. 16. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum plerumque in pratis, nemoribus & pascuis humidis, per Scandinaviam, 6 Jun.—30 Aug., passim freq; feminæ, quemadmodum ut apud varias alias species sæpe, usque ad medium mensis Septembr. vigentes; in copula; scilicet in Scania ad Lund, Grönby, Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum, Häradshammar, Sudercopiam; in Westrogoth. ad Gothoburgum & in Ölandia, D. *Wahlberg*, qui eundem quoque prope Holmiam e. gr. ad Cedersdal &c. deprehendit; in Gottlandia ad Ejsta, Östergarn ad Grågarns huk, & Nähr, passim; in Nericia ad Kärr, & Wermelandia ad Årås; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia a Rätan usque ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, vulgaris; in Norvegia ad Alstahaug, Levanger & Thynæs, frequens; sed intra Lapponiam mihi non obvius. — E Dania a D. *Stæger* etiam communicatus.

♂♀. Similis priori. Sed antennarum articulus tantum basalis luteus, linea angusta nigra superne notatus, tibiæ posticæ validæ, totæ flavæ, nec apice fuscæ vel nigræ, alæ subfumatæ, & in ♂ femora subtus breviter ciliata, atque tarsorum mediorum forma, speciem distingvunt. Frons

cærulescenti viridis, nitidissima. Antennarum articulus ultimus totus ater. Palpi rufi. Alarum nervus long. 4:tus modice flexus fere in summo apice excurrens. Stigma nullum. Pleuræ glauco-virescentes. Pedes fulvo-flavi. Tibiæ posticæ raro intus macula fusca.

37. *D. popularis:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore, thorace cupreo-trivittato; epistomate flavo (♂), aut albido (♀); antennis longitudine capitis transversi, fulvis, articulo ultimo apice nigro; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, tarsis omnibus nigris, anteriorum articulis basalibus 2, posticorum 1, pallidis; femoribus posticis ad apicem spinulis 3; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate modice lato, aureo-flavo; squamis analibus pallidis, modice late nigro-limbatis & nigro-ciliatis; tarsorum intermediorum articulis: 1 elongato & 2 breviori, tenuibus, flavis, nudis, 3 & 4 adhuc brevioribus, inter se æqualiter longis, atris, utrinque sat longe atro-pennatis, & 5 brevissimo, subdilatato, niveo;

Fem.: epistomate fere duplo latiore, flavido-albo; antennis paullo brevioribus; tarsis simplicibus.

Wiedem. Zool. Magaz. I. 70. 15. ♂♀. Fall. Dolich. 11. 7. var. *β.* ♂. certe secundum Ejus museum. — Meig. Dipt. 4. 91. 30. ♂♀. Staun. Dolich. in Isis 1831. 66. 16. ♂♀. var. *α.* — Macq. Buff. I. 466. 35. ♂. Stæg. Dolich. 26. 17. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, rarius; in Scania, D. Prof. *Fallén;* ad prædium Gottenvik in parœc. Jonsberg Ostrogothiæ, in Alnetis certis annis sat copiose, D. *Stenhammar;* ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Norvegia ad Alstahaug in parœcia Skogn d. 8 Jul. 1840, ipse. — E Dania uterque sexus begnigne mihi etiam communicatus a D.

Stæger, qui larvam imagine triplo longiorem, tenuem, fuscam, sub cortice truncorum, & pupam albam, agilem, latere corporis semper decumbentem, invenit.

♂♀. Magnitudine paullo majori, pedibus pallidius flavis, nec fulvescenti flavis, tarsorum anteriorum articulis basalibus 2, nec 1, posticorumque metatarso, pallidis, femoribus posticis antice ante apicem spinulis 3, nec 1, nigris, & in ♂ tarsorum intermediorum structura, a duobus proxime antecedentibus mox dignoscitur. — Antennæ ut in *D. pennitarsi.* Alarum stigma nullum. Nervus longit. 4:tus levissime flexus in summo apice excurrens. Femora subtus brevissime pubescentia, nec in ♂ ciliata. Reliqua ut in priori.

38. *D. Wahlbergi:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore, thorace cupreo-trivittato; epistomate flavicante (♂); antennis longitudine capitis transversi, fulvis, articulo ultimo apice nigro; pedibus pallide flavis, coxis posterioribus cinereis, apice pallidis, tarsis atris, metatarsis anticis totis posticisque basi, flavidis, intermediis nigris, in ♂ pennatis; alis subhyalinis. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Suecia media rarissime, duo tantum exempla inveni, unum in Ostrogothia ad Wadstena Jul. 1831, & alterum in Gottlandia in prato depresso, humido, parœciæ Stenkyrka, die 29 Jul. 1841.

♂. Similis *D. populari*, sed epistomate paullo angustiore, albido-flavescente, nec aureo, alarum nervo longit. 4:to geniculato seu distinctius flexo, pedibus adhuc pallidius flavis, coxis præsertim posticis apice latius flavis, tarsorum anticorum articulo tantum primo (nec 1 & 2) & posticorum metatarso a basi ad medium, pallidis, tibiis intermediis tarsis intermediis dimidio longioribus, nec æqualiter longis, metatarso intermedio longitudine reliquorum articulorum simul sumtorum, atro (ima basi seu articulatione tantum

pallida) & atro-pennato, plumis basi & latere postico longioribus, ceteris 4 articulis brevibus, invicem subæqualiter longis, tenuibus, simplicibus, undique atris, unguiculis albidis; tandemque femoribus posterioribus ad apicem spinula nigra solitaria (nec 3), ab illo statim dignotus.

Speciem hanc distinctam & insignem amico suo Cel. Professori Holmiensi & Equiti de Stella Polari, *Petro Wahlberg*, Naturæ Scrutatori eximio, Dipterologorum Suecorum fiduciæ, dedicare voluit hujus operis aùctor.

39. *D. urbanus:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore, thorace cuprescenti trivittato; epistomate albo; antennis capite transverso nonnihil brevioribus, fulvis, articulo ultimo nigro, basi macula media lutea; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, apice pallidis, pedum posticorum femoribus macula apicali, tibiis tarsisque totis, nigris; tarsis anterioribus nigricantibus, metatarsis pallidis; alis fuscanis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, argenteo; squamis analibus pallidis, non late nigro-limbatis, sed distincte nigro-ciliatis, ciliis apice uncinatis; femoribus posticis ad apicem spinulis plerumque 2 (raro 1), nigris; tibiis intermediis tarso nonnihil longioribus, subgracilibus, albo-flavis; tarsorum intermediorum nudorum articulis 1 elongato, & 2 breviori, tenuibus, pallidis, summo apice nigris; 3 & 4 adhuc paullo brevioribus, subsimplicibus, atris; 5 longitudine antecedentis, parum latiori, albissimo, nitido;

Fem.: epistomate duplo latiore, cano; femoribus posterioribus spinula apicali semper solitaria; tibiis intermediis tarso æqualiter longis, parum tenuibus, pallidis; tarsis intermediis articulo 1 elongato, in fundo quidem pallido, sed e pube brevissima fusca undique tecto, quasi obscuro, ima basi (articulatione) nudo, pallido; 2 paullo breviori, pallido, sed e pube fusca obscuro, apice nigro; 3, 4 & 5 adhuc brevioribus, inter se subæqualibus, totis atris.

Meig. Dipt. 4. 92. 31. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 123. 18. ♂. Stæg. Dolich. 27. 18. ♂♀.

Hab. per Scandinaviam borealem in pratorum fruticibus, 2 Jul.—10 Aug., passim; scilicet in Jemtlandia boreali ad Frösön in Storsjön, & ad Säther prope Krokumselfven, usque ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, nec non ad Skalstugan procedens, uterque sexus sat frequens; in Norvegia ad Alstahaug, Levanger & Thynæs in parœcia Skogn, usque ad diversorium Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino situm adscendens, haud raro; sed neque in Succia inferiore, neque in Lapponia propria hanc speciem valde designatam, cujus marem ad Hamburgum detexit D. v. *Winthem*, invenire mihi contigit. — Circa Hafniam etiam captus, teste D. *Stæger.*

♂♀. Antennæ breviusculæ, nigræ, basi tota & macula parva media in basi articuli ultimi, flavis; epistoma album; alæ præsertim ad costam fuscanæ; femora postica superne ad apicem macula fusca notata; tibiæ posticæ validæ, totæ atræ, ima tantum basi testaceæ, ut & in ♂ femora postica spinulis apicalibus sæpissime duabus, & tarsorum intermediorum articulus ultimus niveus, sunt notæ, quæ speciem a reliquis distingvunt. Palpi rufi. Pleuræ glauco-virides. Abdominis incisuræ nigræ, cupreo-marginatæ. Alarum nervus long. 4:tus modice flexus in summo apice rotundato excurrens. Stigma nullum. Squamæ sub alis & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. Femora subtus nuda.

β. β.) Tarsi omnes in utroque sexu simplices. Palpi rufi. Squamæ sub alis halteresque, pallida, illæ nigro-ciliatæ. Spinula apicalis nigra in femoribus posterioribus solitaria. *Mas:* femoribus posticis in speciebus 40, 41, 42 subtus ciliatis, in 43, 44 nudis.

40. *D. cilifemoratus:* aureo-viridis, nitidus, fronte cærulescenti viridi, thorace cupreo-subvittato; epistomate

albo; antennis longitudine fere capitis transversi, fulvis, articulo 1:mo linea superna, ultimoque fere toto, fuscis; pedibus pallide flavis, coxis anticis albescentibus, posterioribus cinereis, apice late pallidis, tibiis posticis apice dilute brunneis, tarsis omnibus validiusculis atris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subinfuscatis, nervo long. 4:to subrectangulatim flexo. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate modice angusto, argenteo-albo; squamis analibus albo-pallidis angustissime nigro-marginatis & nigro-ciliatis, ciliis apicalibus longis uncinatis; femoribus posticis subtus in medio longius flavo-ciliatis; tarsis anticis subtus barbatis, 2, 3 & 4 introrsum leviter arcuatis;

Fem: epistomate duplo latiore, cano; femorum ciliis, tarsorum barba alarumque stigmate, nullis; in copula.

D. cilifemoratus var. Macq. Ins. Dipt. 3. 63. 9. *D. nitidus* Stann. Dolich. Isis 1831. 50. 5. ♂♀ (excl. syn. Fall.).

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ pratis, 2—30 Jul., passim in copula; ad Lund, Grönby, Lindholmen &c., minus frequens; in Gottlandia ad Öja, Garde, Ahlskog, Rhone, Lärbro, Furillen, Martebo &c., vulgaris. In Ostrogothia ad Häradshammar, D. *Stenhammar.*

♂♀. Antennæ lutescentes, superne anguste fuscæ, articulo ultimo nigro-fusco, ima basi indeterminate luteo, pedes pallide flavi, coxæ anticæ flavo-albæ, intermediæ cinereæ, apice pallidæ, posticæ pallidæ, basi cinereæ, tibiæ posticæ apice dilute tantum brunnescentes, metatarsi anteriores summo apice nigri, alarum nerv. longitud. 4:tus distincte & fere rectangulatim flexus, exacte in summo apice excurrens, ut & in ♂ femora postica subtus sat longe pallide ciliata & tarsi antici subtus barbati articulis 2, 3, 4 subarcuatis, speciem determinant. — In Collectione *Falleni* exempla quædam hujus speciei inter *D. nitidum* posita asservantur.

— *Mas:* oculis aureo-viridibus, macula rubro-cuprea pro situ variante.

Obs. 1. Sub. nomine: "*D. cilifemoratus* Macq. *D. nitidus* Stann. Aureo-viridis, antennis obtusiusculis, rufis, apice fuscis, palpis pedibusque pallide flavis: coxis posterioribus basi cinereis, tibiis posticis apice tarsisque nigris, alis fusco-hyalinis: nervo 4:to rectangulariter fracto, transverso in medio alæ sito. *Mas:* femoribus posticis infra flavo-ciliatis, alarum nervo costali basi linea nigra", D. *Stæger* e Dania mihi 1841 pro comparatione, mutuo misit individuum masculum speciei: antennarum articulo ultimo nonnihil breviori, alarum stigmate breviori, nervo 4:to non exactissime in summo apice excurrente, & tarsis anticis tenuioribus, subtus non barbatis, articulisque minime arcuatis, a nostro *D. cilifemorato* certe distinctæ; nec talis in Suecia mihi obvia.

Obs. 2. *D. cilifemoratus* Stann. in Isis 1831. 52. 6. ♂ "epistomate pallidissime flavicante" (in nostro argenteo), "coxis posterioribus griseis" (in nostro cinereis, intermediis apice, & posticis fere totis albido-flavis), & "alarum stigmate ♂ parvo" (in nostro majori), a nostro diversus omnino videtur, nobis ignotus.

41. *D. Macquarti:* aureo-viridis, nitidus, fronte cærulescenti viridi aut cyanea, thorace cupreo-vittato; epistomate albo; antennis longitudine fere capitis transversi, fulvis, articulo 1:mo linea superna, ultimoque apice, fuscis, pedibus pallide flavis, coxis anticis albescentibus, posterioribus cinereis, apice late pallidis, tibiis posticis apice dilute brunneis, tarsis omnibus validiusculis, atris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subinfuscatis, nervo long. 4:to angulo obtuso flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ —2 lin.).

Mas: epistomate modice angusto, argenteo; squamis analibus ut in priori; femoribus posticis subtus in medio longe fla-

vo-ciliatis; tarsis anticis subtus barbatis, articulis 2, 3, 4 introrsum leviter arcuatis; stigmate alarum atro;

Fem.: epistomate duplo latiore, cano; antennis nonnihil brevioribus; femorum ciliis, tarsorum barba, alarumque stigmate, nullis; in copula.

Stæger in litteris 22 Maj 1841. ♂♀., ubi *D. cilifemoratus* Macq. var. b. & *D. cilifemoratus* Stann. ut synonyma alligantur.

Hab. in pratis, per Sueciam meridionalem & mediam, 6—27 Jul., passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund (in hortis haud infrequens); in Gottlandia ad Öja, Rohne, Nähr & Lärbro.

♂♀. Priori valde affinis & similis, sed antennarum articulo ultimo fere breviori, subacuto, fere toto luteo, apice tantum fusco, & alarum nervo 4:to angulo obtuso (nec subrecto) fracto, non exactissime in summo apice excurrente, certe distinctus. Frons sæpe cyanea. Tibiæ posticæ interdum apice saturate brunneæ. Tarsorum anticorum articuli ♂ 2—4 rarius parum vel levissime tantum arcuatis. Reliqua ut in priori. — Oculos maris obscure brunneos in vivo quoque annotavi. — Specimina quædam hujus speciei in museo *Falleni* cum *D. nitido* commixta occurrunt.

12. *D. arbustorum:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, fulvis, articulo ultimo apice late nigro; pedibus pallide flavis, coxis anticis albidis, intermediis cinereis, apice pallidis, posticis pallidis, ima basi angustissime cinerea, tarsis atris, metatarsis flavidis; alis subfuscanis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♂. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.).

Stann. Dolich. in Isis 1831. 125. 20. ♂.

Hab. in Scania rarissime; ad Grönby mens. Jul. 1841 specimen unicum a D. Cand. *Kinberg* inventum.

♂. Viridis, nitidus, cærulescenti micans. Pleuræ glauco-virescentes. Epistoma angustum, argenteum. Squamæ anales ut in priori. Alarum nervus 4:tus non in ipso apice, sed nonnihil ante summum apicem excurrens. Stigma ad basin nullum. Pedes pallidissime flavi. Femora postica subtus in medio longe ciliata. Tarsi antici simplices.

13. *D. simplex:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore aut cyanea, thorace cupreo-vittato; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, fulvis, articulo ultimo nigro (basi interdum fulvo ♀); pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, apice pallidis, tibiis posticis summo apice brunneis tarsis nigris, metatarsis anterioribus subflavidis; alis subhyalinis, stigmate nullo, nervo long. 1:to leviter flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, albido vel pallidissime orichalceo, squamis analibus pallidis, extus angustissime nigromarginatis & nigro-ciliatis, ciliis apicalibus longis, uncinatis;

Fem.: epistomate duplo latiore, cano, ano simplici; in copula.

Var. a. ♂♀. Frons viridis. Epistoma albidum vel orichalceum. Antennarum articulus ultimus totus niger, intus basi tantum macula minuta fulva. Tarsi intermedii nigri, articulo 1:mo flavido.

Meig. Dipt. 4. 85. 20. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 126. 21. ♂♀. Macq. Buff. 1. 461. 23. ♂. Stæg. Dolich. 31. 22. ♂♀.

Var. b. ♂♀. Similis var. a.; sed tarsi intermedii toti nigri.

D. agilis Meig. Dipt. 4. 97. 41. ♂. Zett. Ins. Lapp. 708. 3. ♂♀.

Var. c. ♂♀. Similis var. a.; sed frons cyanea.

Var. d. ♂. Similis var. c.; sed tarsi intermedii toti nigri.

Var. e. ♀. Similis var. a.; sed antennarum articulus ultimus fulvus, superne & apice niger.

Var. f. ♀ (in copula cum ♂ varietatis b.). Similis var. b.; sed antennarum articulus ultimus ut in var. e.

Hab. in Scandinavia, passim frequens, 24 Jun.—4 Sept. obvius; scilicet var. a.: in Scania ad Räften; in Ölandia ad Gärdslösa; in Lapponia Umensi ad Nästansjö; in Norvegia ad Tromsö; var. b.: in Scania ad Engelholm, D. Consiliar. a Statu *O. J. Fåhræus;* ad Räften prope Lund, D. *Dahlbom;* in Gottlandiæ pratis ad Martebo; in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet; in Norvegia ad Alstahaug; var. c.: in Scania ad Röstånga &c.; uterque sexus sub nomine "*D. simplex* Meig." etiam ex Hafnia a D. *Stæger* missus; var. d.: in Scania, D. *Kinberg;* in Gottlandia ad Ejsta & Gothem; in Lapp. Umensi ad Wilhelmina; var. e.: in Scania ad Lund; in Wermelandia ad Åras; & var. f.: in Lapponia Umensi ad Wilhelmina. — Testante D. *Wahlberg* hæc species in Ostrogothia ad Gusum, ad Holmiam & Gothoburgum ubique frequens erit; & secundum D. *Stenhammar*, in Ostrogothia ad Sudercopiam, Häradshammar, Jonsberg &c., vulgatissima (var. b. c. d. & e).

♂♀. Has omnes supra descriptas formas tantum ut varietates unius ejusdemque speciei consideravi. Forsitan ut distinctæ quædam earum prodibunt, cum copulatio &c. in posterum melius observata fuerit. In eo tamen omnes congruunt, quod gaudeant colore corporis nitido, viridi, interdum subcærulescenti, antennarum articulo ultimo ovato, subacuto, alis levissime fuscanis, nervo 4:to leviter flexo non exacte in summo apice excurrente, stigmate nullo, pedibus magis pallido-quam rufo-flavis, coxis posterioribus fere ad apicem cinereis, tarsis in utroque sexu simplicibus, & femoribus posticis subtus nudis.

14. *D. parvicaudatus:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore, thorace cupreo-vittato; epistomate lato, cano; antennis longitudine capitis transversi, fulvis, articulo ultimo in dimidio apicali oblique & determinate atris; pedibus rufo-flavis, coxis posterioribus usque ad trochanteres cinereis, tibiis posticis summo apice tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anticis fusco-flavidis; alis subhyalinis, stigmate nullo, nervo long. 4:to leviter flexo. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm d. 16 Jul. 1840 unicum individuum detexit D. *Dahlbom.*

♂. Epistoma latum & squamæ anales parvæ, flavidæ, apice nigro-marginatæ & nigro-ciliatæ, speciem denotant. Antennarum articulus ultimus ovatus, acutus, supra & apice late ater. Nervus 4:tus, uti reliqui, tenuis, non exacte in summo apice excurrit. Pedes sordide rufo-flavi. Tarsi simplices. Femora subtus nuda. Reliqua ut in diagnosi.

15. *D. inconspicuus:* æneo-viridis, subnitidus, fronte concolore, thorace cupreo-subvittato; epistomate albo; antennis longitudine fere capitis transversi, atris, basi, flavo-fulvis, linea superna angusta nigra; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, tibiarum posticarum summo apice, tarsisque omnibus nigris, metatarsis anticis flavidis; alis subfuscanis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; duo tantum individua inveni, unum in Norvegia ad Thynæs 2 Jul., & alterum ad diversorium Forsa juxta radicem Mullfjellet Jemtlandiæ 30 Jul. 1840.

♀. Parvus. Ænescens. Antennarum articulus ultimus rotundatus, subacutus, totus ater. Alæ ut in priori. Coxæ an-

ticæ pallide flavæ latere antico albescunt; posteriores cinereæ, apice summo pallidæ. Tibiæ posticæ summo apice fuscæ. Metatarsi anteriores sordide flavi. — Similis *D. picto* (33), sed vix ejus femina.

46. *D. parvulus:* obscure æneus, subnitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine fere capitis transversi, nigris, basi flavis, linea superna angusta nigra; pedibus totis pallidissime flavis, coxis intermediis externe vitta cinerea, tarsis nigricantibus, metatarsis anterioribus flavis; alis cinereo-hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali & media, rarius; in Scania circa Lund, & in Ostrogothia ad Wadstena, mense Julio aliquot specimina inveni. — Ad Hamburgum individuum unicum tantum 1 lin. longum, alias simillimum, D. *Dahlbom* Jul. 1838 legit.

♀. Similis *D. acuticorni* (26), sed antennis multo brevioribus, subtus magis flavis, fronte viridi-ænea, nec cyanea, &c., distinctus. Pedibus pallidissimis ab antecedentibus hujus subdivisionis dignotus. Antennarum articuli, ultimus breviter ovatus, vix acutus, niger, basi intus puncto flavo; basales simul sumti longitudine apicalis, basi coarctati, toti flavi, linea superna angusta fusca. Alæ grisescentes, nervis ut in priori directis. Pleuræ, ut vulgo glauco-virescentes. Pedes flavo-albi, coxis anterioribus latere antico candido-micantibus; intermediis externe a basi ad apicem vitta lata dilute cinerascente. Spinæ tibiarum, ut solito, nigræ. Tarsi postici toti nigri; at anteriores tantum apice indeterminate fusci, metatarsis anterioribus semper pallide flavis. — Cel. *Stannii D. agilis & flavipes* huic similes videntur, sed nullus eorum in suspicionem venire potest eundem cum nostro esse. Differunt enim a *parvulo:* magnitudine majori, fronte chalybea, coxis posticis basi saltem

griseis l. cinereis, tibiis posticis apice fuscis, &c. — Sed pro specie rite determinanda mihi deest mas.

47. *D. exiguus:* cærulescenti viridis, nitidus, fronte chalybea; epistomate albo; antennis capite transverso nonnihil brevioribus, subtus fulvis, superne & apice nigricantibus; pedibus pallidissime flavis, coxis posterioribus canis, apice pallidis, tarsis nigro-brunneis, metatarsis anterioribus flavis; alis cinereo-hyalinis, nervo long. 4:to levissime flexo. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime; ad Wadstena mense Julio specimen unicum inveni.

♀. Similis priori, sed minor, antennis nonnihil brevioribus &, ni fallor, apice acutioribus, articulis basalibus subtus late, & ultimo basi inferiori, luteis, frontis colore cæruleo in chalybeum vergente, thorace abdomineque supra magis nitidis, cæruleo-viridibus, nec æneis, nervo 4:to forsitan adhuc levius flexo, coxis posterioribus cano-cinereis, apice tantum pallidis, præcipue distinctus.

**). Alarum nervus longitudinalis 4:tus angulo recto flexus. (*D. confusus* & *cilifemoratus*, nervo 4:to subrectangulatim fracto, sub n:o 29 & 40 quærendi).

Stirps 1:ma: tarsis anticis in mare articulis ultimis plumatis.

48. *D. plumitarsis:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, atris, basi subtus flavis; pedibus pallide flavis, coxis posterioribus cinereis, apice pallidis, tarsis anterioribus apice posticisque totis nigris; alis hyalinis, nervo long. 4:to rectangulatim flexo, geniculo simplici. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate modice angusto, argenteo, squamis analibus pallidis, angustissime nigro-marginatis, & nigro-ciliatis,

ciliis in apice uncinatis; femoribus posticis subtus longe sed parce flavo-ciliatis; tarsis anticis tibia duplo fere longioribus, articulis longitudine sensim decrescentibus, tribus primis tenuibus, ultimis duobus brevibus, subæqualiter longis, nigris, horum penultimo nonnihil latiore, ambobus latere superiori pennatis, seu distincte nigro-ciliatis, ungvibus albis;

Fem.: epistomate latiore, cano; antennis capite paullo brevioribus; femoribus subtus nudis; tarsis anticis tibia vix dimidio longioribus, simplicibus, articulis 1 elongato, flavo, 2, 3 brevioribus, subæqualibus, flavis, 4 adhuc paullo breviori, flavido, apice nigro, ultimo antecedenti æquali, nigro; in copula.

Fall. Dolich. 10. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 89. 26. ♂.

Hab. in Suecia meridionali, 10—24 Jul., rarius; in copula captus; scilicet in Scania ad Silfåkra, ut & in littore maris ad Esperöd, inventus.

♂♀. Similis *D. brevipenni* (n:o 10), *migranti* (11), *clavigero* (27), *discifero* (28), & *confuso* (29), a quibus vero aut antennis basi subtus flavis, nec totis nigris, aut nervo 4:to rectangulatim flexo, nec leviter curvo, &c., facile dignoscitur. Palpi rufi. Antennarum articulus primus dimidio inferiori flavus. Alarum nervus 4:tus angulo recto (licet non exactissime) flexus, genu non appendiculato, exacte in summo apice excurrens. Stigma basale vix ullum. Coxæ anticæ totæ pallidissime flavæ, anticæ albicantes, posteriores cinereæ, apice pallidæ. Femora posteriora ad apicem antice spinula solitaria nigra. Metatarsus intermedius flavus. Tibiæ posticæ summo apice brunnescentes. Frons viridis aut cærulescens. Oculi in vivo aureo-virides.

Stirps. 2:*da:* tarsis in utroque sexu simplicibus. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ (in ♂ *D. Stannii* pallide ciliatæ). Femora posteriora ad apicem spinula solitaria nigra. Palpi rufi.

49. *D. nitidus:* aureo-viridis, cærulescenti micans, fronte concolore aut cyanea; epistomate albo; antennis capite transverso nonnihil brevioribus, atris, articulo 1:mo subtus, & ultimo intus ad basin macula parva, flavis; pedibus pallide flavis, coxis posterioribus dilute cinereis, apice pallidis, tarsis infuscatis, metatarsis omnibus flavis; alis hyalinis, nervo long. 4:to rectangulatim flexo, genu appendiculato. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate modice lato, argenteo; squamis analibus basi angustis, apice truncatis, totis albidis, limbo præsertim apicali late nigro, lateribus breviter fusco-ciliatis, apice truncato, toto pilis longis, uncinatis, nigris ciliato; alarum stigmate atro;

Fem.: epistomate duplo latiore, cano; antennis subtus latius fulvis, fulvedine sæpe ad dimidium articuli ultimi extensa; alarum stigmate nullo.

Fall. Dolich. 1823. p. 12. 9. ♂♀ genuinus. *D. ornatus* Meig. Dipt. 1824. 4. 79. 11. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 46. 2. ♂♀. Stæg. Dolich. 1842. p. 14. 3. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 6 Jul.—2 Sept., in pratorum & hortorum fruticibus obvius, passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd & Sandhammar; in Ostrogothia in parœc. Häradshammar sat freq., D. *Stenhammar*, ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Wadstena, ipse; in Gottlandia ad Gothem, in Furillen & in Westös på Hall, rarius. — In Dania, D. *Stæger*. (E Glogavia a D. *Zeller* sub nomine: *Dol. criniger* missus).

♂♀. Color corporis viridis, nitidissimus, in cæruleum vergens, frons plerumque cyanea, pedum color pallide flavus, metatarsi omnes flavi, apice summo nigri, alæ hyalinæ (stigmate in ♂ atro), genu nervi 4:ti appendiculato, seu nervulo inchoante infra angulum rectum instructo, ut & squamæ anales in ♂ apice truncatæ, late nigro-marginatæ & longe

nigro-ciliatæ, speciem ab affinibus distingvunt. — Femora pubescentia, sed subtus non ciliata. Tibiæ posticæ apice fuscæ. Tarsi anteriores flavidi, articulis apice fusci; postici nigri, metatarso fere ad apicem flavo.

Obs. Dolichopus nitidus supra descriptus est Falleni ipsissimus. Sed in collectione Cel. Falleni sub hoc nomine obveniunt ut & sub descriptione Ejus l. c. latent, simul specimina aliquot, quæ partim ad *D. cilifemoratum* (40), partim ad *D. Macquarti* (41) certe sunt referenda.

50. *D. griseipennis:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore aut cyanea, thorace cupreo-trivittato; epistomate albo; antennis capite transverso sublongioribus, atris, articulo 1:mo subtus fulvo; pedibus rufo-flavis, coxis anticis macula basali, posterioribusque fere totis, cinereis, tibiarum posticarum apice, tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anticis flavidis; alis subcinerascenti hyalinis, nervo long. 4:to rectangulatim flexo, genu appendiculato. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Mas: epistomate modice angusto, albo; antennis capite nonnihil longioribus, articulo ultimo subelongato, magno, acuto; alarum stigmate atro; squamis analibus albidis, apice rotundato angustissime nigro-marginato & nigro-ciliato, ciliis in ipso apice longioribus, uncinatis; femoribus posticis subtus parce, sed longe fusco-ciliatis;

Fem.: epistomate fere duplo latiore, cano; antennis capite brevioribus, articulo ultimo breviter ovato, acuto; femorum ciliis inferis alarumque stigmate, nullis.

Stann. Dolich. in Isis 1831. 49. 4. ♂♀.

Hab. in pratis Sueciæ meridionalis & mediæ, 2—30 Jul., passim; scilicet in Scania rarissime; in Ölandia ad Ottenby, minus frequens; in Gottlandia vero omnium vulgatissimus, ad Hoburg, Wamblingbo, Öja, Rohne, Stitö, Malms ad Kyllej, Furillen, Östergarn ad Grågarns huk, Eke, Thorsborg, Nähr, usque ad Fårön, copiose a

me inventus. — E Dania sub nomine: "*Dol. nitidus* Meig. Fall.?? *D. nitens* Stann.; in Carduis ad littus maris in Amager frequens, in Selandia rarior, captus", a D. *Stæger* in utroque sexu d. 22 Maj 1841 mihi benigne communicatus. — In insula insigni Helgoland specimina quoque mense Jul. 1838 legit D. *Dahlbom.*

♂♀. Antennis longis, alarum nervi 4:ti genu appendiculato (in var. b. appendice fere nulla), colore pedum rufo-flavo, nec pallido, macula cinerea ad basin in coxis anticis, tibiis posticis apice fuscis, &c., hæc species ab affinibus mox dignoscitur. A *D. nitente* Stann. epistomate maris albo, nec flavescente vel stramineo, nervi 4:ti geniculo appendiceo, nec simplici, femoribus posticis subtus fusco-ciliatis, nec nudis, aperte differt; & a *D. nitido* Stann., cui etiam affinis, antennis longioribus, magis nigris, femoribus rufo-flavis, nec pallide flavis, coxis anticis macula cinerea, nec immaculatis, nervo 4:to infra angulum paullulum continuato, & ciliis femorum fuscis, nec pallidis, tarsis anticis in ♂ simplicibus, nec articulis arcuatis, abunde quoque diversus. — Nervus 4:tus exacte in ipso summo apice alæ excurrit. — Antennarum articulus 1:mus dilatatus, lobo inferiori apice acutangulo, flavo. Alarum stigma breve. Frons variat, viridis, ænea, aut cyanea. — Thorax dorso minus nitidus. Alæ in ♀ subfumatæ.

Var. b. ♂♀. nervulo inchoante in genu nervi long. 4:ti brevissimo, interdum tantum rudimento. In littore maris ad Fårön, Nähr, Slitö & Hoburg Gottlandiæ cum var. a. passim.

Var. c. ♂♀. metatarso postico basi flavido, alias var. a. simillimus, & minime specie diversus. In pratis Gottlandiæ ad Öja, Wamblingbo & Östergarn cum var. a. habitans.

51. *D. Stannii:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate argenteo, descendente; antennis longi-

tudine fere capitis transversi, atris; pedibus rufo-flavis, coxis anticis basi, posterioribusque fere totis, cinereis, tibiis posticis apice tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subhyalinis, nervo long. 4:to rectangulatim flexo, genu appendiculato. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate solito latiore argenteo, nitidissimo, infra oculos distincte descendente, apice rotundato instar clypei instrumenta cibaria obtegente, squamis sub alis pallide ciliatis; alarum stigmate brevi, atro; femoribus posticis subtus brevissime pallide ciliatis; squamis analibus pallidis, apice rotundato, modice late nigro-limbatis & nigro-ciliatis;

Fem: epistomate paullo latiore, argenteo, nitido, apice subelevato, infra oculos subdescendente, sed instrumenta cibaria obscura vix obtegente; antennis nonnihil brevioribus; alarum stigmate nullo; squamis sub alis nigro-ciliatis; femoribus posticis subtus nudis.

D. fraternus Stæg. in litteris 22 Maj 1811. ♂♀.

Hab. in Suecia rarius; scilicet in Scania rarissime; in Blekingia ad Carlscrona, D. *J. B. von Borck*; in Gottlandia ad Bursviken 16 Jun. 1819, & in insula Furillen 21 Jul. 1811; ut & in Jemtlandia meridionali ad diversorium Rätan (in ripa arenosa ad Rätansjön) 17 Aug. 1810, a me inventus. — In insula Koön prope Marstrand Bahusiæ in utroque sexu etiam a Cel. *Wahlberg* nuperrime lectus erit. E Dania a D. *Stæger* mihi quoque in utroque sexu benevole communicatus, in plantis Caricinis in Amager, Jul. Aug., haud parce captus.

♂♀. Corpore supra olivaceo, antennis totis atris, epistomate elongato, argenteo, valde nitido, pedibus testaceis, macula basali coxarum anticarum cinerea, nervo alarum transverso magis solito ad marginem interiorem retracto ut & squamis sub alis in ♂ pallide ciliatis, distinctissimus, *Auctori*

Monographiæ *Doliehoporum Europæorum* doctissime elaboratæ celeberrimo, omni jure dicatus. — Abdomen æneum, nitidum, lateribus certo situ albo-maculatum, incisuris nigris, cupreo-marginatis. Alarum nervus 4:tus in summo apice excurrens, geniculo nervulo brevi appendiculato. Pedes postici in ♀: tibiis totis & metatarsis basi testaceis.

†. †. Mares squamis caudalibus nigris.

52. *D. campestris:* obscure æneo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate ochraceo (♂), aut cano (♀); antennis capite transverso fere brevioribus, atris; pedibus nigris, tibiis omnibus metatarsisque anterioribus testaceis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo, in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate modice lato, pallide ochraceo; squamis analibus magnis, rotundatis, fusco-nigris, griseo-ciliatis; femoribus posticis subtus breviter fusco-ciliatis;

Fem.: epistomate latiore, cano; femoribus posticis subtus brevissime pubescentibus.

Meig. Dipt. 4. 78. 8. ♀. Stann. Dolich. in Isis 1831. 136. 30. ♂♀. Stæg. Dolich. 35. 28. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 24 Jun.—10 Aug., passim, minus tamen frequens; scilicet in Scania ad Lund &c., D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Wadstena, ipse inveni. — E Dania a D. *Stæger* uterque sexus communicatus.

♂♀. Abdominis incisuræ nigræ, cupreo-marginatæ. Alæ subhyalinæ, nervo 4:to levissime flexo, non exacte in apice alæ excurrit. Stigma nullum. Squamæ sub alis & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. Tibiæ posticæ apice summo nigræ. Instrumenta cibaria nigra. Femora intermedia spinulis 2, & postica 1, ad apicem armata.

Obs. In collectione Falleni individua quædam hujus speciei mascula inter Ejus *D. cuprei* genuini, & feminea inter *D. planitarsi*, posita deprehenduntur.

53. *D. fulgidus:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate albido; antennis capite transverso fere brevioribus, atris; pedibus nigris, tibiis omnibus metatarsisque anterioribus testaceis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo, ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: aureo-viridis, epistomate solito latiore, albido; squamis analibus rotundatis, fusco-nigris, breviter griseo-ciliatis (non albo-marginatis) ciliis apicalibus longioribus, fuscis, uncinatis; femoribus posticis supra & subtus brevissime griseo-ciliatis;

Fem.: æneo-viridis, epistomate nonnihil latiore, cano; femoribus posticis nudiusculis; forte hujus.

Fall. Dolich. 15. 18. ♂., verissime secundum specimen typicum in collectione. — Meig. Dipt. 4. 97. 10. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 263. 2 (inter ignotos).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; ♂ in Scania, D. *Fallén*; ♀, sine dubio hujus, etiam in Scania ad Högestad a D. Prof. *Sundewall* semel ante plures annos capta in museo meo asservatur. — A D. Præpos. *C. Stenhammar* hæc species pulchra in Ostrogothiæ parœcia Häradshammar locis humidis haud raro inventa fuit mihique in pluribus exemplis utriusque sexus communicata, quæ ab originario in nihilo differunt, nisi quod epistoma in individuo Falleniano vetusto *albicans*, sed in Ostrogothicis masculis recentioribus ochraceum sit. Ab Eodem *Stenhammar* specimina circa Sudercopiam, & ad Carlberg prope Holmiam, quoque capta fuerunt.

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed forsan paullo gracilior, & colore corporis præsertim in ♂ magis splendido, epistomate in ♂ latiore ut & nervo 4:to in utroque sexu distincte ante apicem, nec in apice, excurrente, certe distinctus. In specimine originario Falleniano masculo spinulæ femorum

apicales ordinariæ detritæ, ita ut dicere non possim, an in femoribus intermediis 1 vel 2 spinulæ fuerint. In individuis Ostrogothicis & Holmiensibus (♂♀) spinulas 2 in femoribus intermediis, & 1 in posticis numero. In ♀ spinula tantum 1 observatur in femoribus intermediis apud exemplum Högestadense. Abdomen ut in priori pictum. Tibiæ posticæ apice nigræ.

54. *D. ochripes:* nigro-æneus, subnitidus, fronte concolore; epistomate obscure ochraceo; antennis longitudine capitis transversi, atris; pedibus fusco ochraceis, femoribus anticis basi late, posticis ad apicem, tibiis posticis apice tarsisque omnibus, nigris; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo in apice excurrente. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; inter Suul & Kongsstuen in jugo alpino Norvegiæ & Værdaliæ d. 16 Jul. 1840 exemplum descriptum detegi.

♂. Statura *D. campestris.* Affinis & similis quoque *D. grönlandico* (sub observat. n:ri 24 descripto), sed corpore magis obscuro, fere nigro, minime virescente, epistomate latiore, geniculis tibiisque lividis, nec flavis, femoribus posticis superne ad apicem macula nigra notatis, totis nudis, tibiis posticis apice lætius atris, & squamis analibus paullo obscurioribus, disco parum dilutioribus, certe distinctus. — Os nigrum. Thorax supra opacus. Alarum nervus 4:tus fere in summo apice excurrens. Stigma punctiforme, atrum. Squamæ sub alis & halteres, flava, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ & coxæ obscure schistaceæ. Pedes fusco-testacei, femoribus anticis a basi fere ad apicem, & posticis apice in primis supra indeterminate, nigris. Tibiæ posticæ apice ad tertiam partem totius tibiæ, nigræ. Tarsi omnes atri, metatarsis anticis fusco-testaceis, summo apice nigro.

B. Metatarsus posticus, præter calcaria apicalia, in utroque sexu subinermis (in *D. tarsato* n:o 96

spinula gemina intus in medio armatus). Tarsi omnes simplices (in *D. nigriplanti* (58), *crinipede* (70) & *patellato* (72), articulo ultimo subdilatato). Femora posteriora antice intra apicem spinula solitaria. Squamulæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigrociliatæ.

Stirps. I:a. Mares ano longe inflexo, squamis (lamellis) aut nigris, aut pallidis appendiculato.

Phal. 1. Masculorum squamæ anales nigræ. Vagina nigra.

α. Tarsi postici articulis basalibus 1 & 2 in utroque sexu subæqualiter longis.

a). Seta antennarum pubescens.

55. *D. nobilitatus:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis capite transverso paullo brevioribus, atris; pedibus flavis, coxis anticis albescentibus ima basi cinereis, posterioribus cinereis, apice pallidis, tibiarum posticarum apice tarsisque omnibus nigris, metatarsis anticis flavidis; alis basi angustatis, hyalinis, in medio saturate (♂), aut obsolete (♀), infuscatis, nervo long. 4:to recto (non flexo) ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: supra aureo-viridis, epistomate modice angusto; alis pone medium nigro-fuscis, fuscedine ad costam saturatiori, apice albissimis; squamis analibus irregulariter triangularibus, latere extimo nigro-ciliatis, ciliis longis, uncinatis;
Fem.: supra plerumque cærulescenti viridis, epistomate latiore; alis pone medium fumatis, apice hyalinis; in copula.

Latr. Gen. 4. 292. Fabr. Antl. 268. 6. ♂. Fall. Dolich. 13. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 75. 1. ♂. an quoque ♀? — Stann. Dolichop. in Isis 1831. 140. 34. ♂♀. ut solito bene & adcurate descriptus. — Macq. Buff. 1. 459. 1. ♂♀.

Stæg. Dolich. 37. 30. ♂♀. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 995. 98. ♂. Rossi Fn. Etr. ed. Illig. 2. 474. 1517. *Rhagio* Schrank Fn. Boica. 3. 1. 100. 2397. *D. plumicornis* Meig. Dipt. 4. 83. 15. ♀. forte hujus est, ut rite observavit oculatissimus *Stannius* l. c.

Hab. in hortis & lucis, locis umbrosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 1 Jul.—16 Sept., passim freq., in copula; scilicet per totam Scaniam ubique vulgatissimus; in Ölandia ad Ottenby & alibi, D. D. *Wahlberg* & *B. F. Fries*; in Gottlandia ad Öja, Kräcklingbo, Östergarn, Rhone, Eke, Nähr, Garde &c., a me lectus.

♂♀. Mas alis maculatis, femina colore corporis læte cærulescenti viridi, & uterque sexus alis elongatis, motuque inquietus, etiam e longinquo mox a conspeciebus dignoscuntur. Os nigrum, palpis griseis. Alarum stigma nullum. Nervus long. 5:tus abbreviatus, apice tantum valde rudimentario ad maginem interiorem continuatus. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ glauco-virescentes. Femora subtus non ciliata, intermedia ad apicem utrinque spinula nigra, & postica antice etiam spinula solitaria. Metatarsi postici apice calcare subgemino. Nervi longitudinales 3 & 4 ad costam approximati. Oculi in vivo pulchre aureo-virides.

b). Seta antennarum nuda. Majores l. medii

56. *D. Sahlbergi:* æneo-viridis, subnitidus, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis fere longitudine capitis transversi, atris; pedibus æneo-nigris, tibiis omnibus metatarsisque anterioribus flavis; alis hyalinis, nervis subinfuscatis, longitudinalibus 3 & 4 leviter arcuatis, versus apicem subapproximatis. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto; squamis analibus nigris, magnis, late obovatis, undique distincte nigro-ciliatis, ciliis

apicalibus densioribus, nonnihil longioribus, fere duplici serie positis, incurvatis;

Fem.: epistomate paullo latiore, ano simplici; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 711. 14. ♂♀.

Hab. in Scandinavia boreali, locis umbrosis, 2 Jul. —30 Aug., passim; in copula; scilicet in Lapponia Umensi Suecica ad Wilhelmina & Åsele, haud infrequenter lectus; e Lapponia in provincias adjacentes descendit, & in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, & Åreskutan, nec non ad Ristansfors, Faxelfven & Hofverberget, captus; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal, & in Helsingia ad Kärböle & Storbyn parœciæ Färela, inventus, sed vix infra hanc provinciam versus meridiem descendens; deprehenditur quoque in Norvegia, & ad Alstahaug atque Levanger non raro visus. In alpe Dovre etiam a D. *Boheman* captus.

♂♀. Antennarum articulus ultimus breviter ovatus, seta subgeniculata. Os nigrum. Thorax virescens, antice (in illæsis) albo-micans. Pleuræ glauco-virescentes. Abdomen æenescens. Alarum stigma nullum. Nervi fuscedine cincti; longitudinales 3 & 4 leviter curvati versus apicem paullo appropinquantur, mox ante apicem in costa excurrentes. Locus, ubi geniculum situm habere solet in nervo 4:to, per umbram fuscam indicatus. Costa fusca. Coxæ nigro-schistaceæ, anticæ latere antico canescentes. Femora nigro-ænea, brevissime pubescentia, sed subtus non ciliata; posteriora ad apicem antice spina ordinaria solitaria nigra. Tibiæ flavo-testaceæ, distincte nigro-spinosæ, omnes ima basi, & posticæ apice sat late, nigræ. — Oculi in vivo pulchre læte virides.

57. *D. nigrilamellatus:* subnitidus, thorace virescente, limbo antico albo-micante, abdomine æneo; fronte epistomateque canis; antennis fere longitudine capitis transversi, atris; pedibus nigris; alis subhyalinis, nervis

longitudinalibus 3 & 4 leviter arcuatis, versus apicem approximatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: epistomate angusto; squamis analibus minoribus, nigris, crebre nigro-ciliatis;

Fem.: robustior, epistomate duplo latiore.

Macq. Dipt. 3. 60. 2. ♂♀. Buff. 1. 160. 3. Stann. Dolich. in Isis 1831. 219. 38. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 160. 53. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania orientali ad Esperöd parœciæ Mellby d. 7 Aug. 1818 utrumque sexum inveni. (In Gallia boreali jam mense majo erit obvius).

♂♀. Frons solito latior, cana, thoracis limbus anticus cano-micans, antennæ breviusculæ, & pedes toti nigri, speciem præcipue distingvunt. Similis priori, a quo colore pedum mox dignoscitur. Seta antennarum non geniculata. Thorax dorso lineis 2 nigris. Alæ levissime fuscanæ. Stigma nullum. Nervi long. 3 & 4 versus apicem nonnihil magis appropinquantes, quam in priori, & paullo longius ab ipso apice in costa excurrentes. Pedes in ♀ toti atri, in ♂ picei, trochanteribus in utroque sexu piceis. Coxæ præsertim anticæ apice piceæ, totæ canescunt. Tarsi simplices.

58. *D. nigriplantis:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis longitudine fere capitis transversi, atris; pedibus nigris, trochanteribus, femorum apice, tibiis omnibus totis, metatarsisque anterioribus, flavis; alis hyalinis, ad costam fuscanis, nervis long. 3 & 4 leviter arcuatis, versus apicem subapproximatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: epistomate angusto, argenteo; squamis analibus mediocribus, late obovatis, nigris, nigro-ciliatis, ciliis apicalibus longis rectis, lateralibus incurvatis; tarsis intermediis tibia paullo longioribus, gracilibus, articulo ultimo brevi, subdilatato, atro, ciliato;

Fem.: epistomate latiore, cano, antennis nonnihil brevioribus; tarsis simplicibus; in copula.

Stann. Dolichop. in Isis 1831. 250. 39. ♂♀. — Sub nomine *Dolich. cupreus* Fall. in collectionibus quibusdam male exstat.

Hab. in Suecia media passim; mensib. Jul. & Augusto obvius, in copula deprehensus; scilicet in Ostrogothia in foliis fruticum & truncis cæsis ad Wadstena, Roxlösa, Omberg &c., haud raro.

♂♀. Antennæ breviusculæ, nigræ, coxæ nigræ, cano indutæ, anticæ apice, trochanteribusque omnibus rufescentibus, femora atro-virescentia, apice tibiisque totis flavis, metatarsi anteriores pallidi, ut & in ♂ articulus ultimus tarsorum intermediorum paullo dilatatus, ater, ciliatus, apice albus, speciem determinant. Alæ omnino ut in *D. Sahlbergi*, sed nervi minus infuscati. Coxæ posteriores summo apice, anticæ apice paullo latius, ferrugineæ. Tibiæ posticæ apice nigræ. Tarsi antici tibia æqualiter longi, fere toti fusco-testacei, subtus in ♂ brevissime griseo-barbati. Squamæ anales maris disco nigro-fuscæ.

59. *D. nigripennis:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore, epistomate cinereo; proboscide elongata, nigra; antennis capite tansverso paullo longioribus, atris; pedibus nigricantibus, anteriorum trochanteribus, femorum apice, tibiisque fere totis, flavo-ferrugineis; alis fuscanis, nervo long. 4:to recto, in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Mas: epistomate valde angusto; squamis analibus parvis brevibus, nigris, apice parce griseo-pilosis.

Fem.: epistomate paullo latiore, antennis nonnihil brevioribus.

Fall. Dolich. 15. 16. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 102. 52. t. 35. f. 20. — Stann. in Isis 1831. 253. 42. ♂♀. Macq. Buff. 1. 461. 9. Stæg. Dolich. 39. 33. ♂♀.

Hab. in pratis umbrosis humidis, mense Julio (feminæ usque ad initium Septemb.), per Succiam meridionalem, passim copiose; in Scania ad Silfåkra, utrumque Esperöd, Marklunda (ad limitem Smolandiæ), Kullen (ad limitem Hallandiæ) &c., sat frequenter legi. In Ostrogothia ad Häradshammar haud raro, D. *Stenhammar*, ad Gusum, D. *Wahlberg*. (E Glogavia, a D. *Zeller*).

♂♀. Magnitudo parva, antennæ elogatæ, angustæ, proboscis elongata (longitudine dimidii capitis perpendicularis), crassa, perpendiculariter exserta, alæ obscuræ, nervi longit. 3 & 4 paralleli, & in ♂ squamæ anales parvæ, speciem denotant. — Palpi exserti, nigri. Seta longitudine antennæ. Coxæ anticæ plerumque piceæ. Femora nigro-picea, anteriora apice dilutiora. Tibiæ anteriores rufo-testaceæ, posticæ piceo-ferrugineæ. Sed variant pedes secundum ætatem obscuriores vel dilutiores. Alarum nervus 4:tus in summo apice rectus excurrit, 3:tius levissime tantum ad apicem versus 4:tum vergit.

Obs. Hæc species quoad instrumenta cibaria &c., valde affinis videtur *Orthochili cæruleæ* Latr. & Meig. nigro-cæruleæ & 1 lin. longæ; in *Orthochili* autem antennarum articulus ultimus brevior est, & alarum nervi longit. 3 & 4 non paralleli, sed ad apicem approximati; nec hæc in Scandinavia occurit, quantum novi.

60. *D. germanus:* æneo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, nigris; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, apice pallidis, tibiis posticis apice tarsisque omnibus nigris, metatarsis anterioribus flavis; alis totis fuscanis, nervis longit. 3 & 4 ad apicem subapproximatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{7}{8}$ lin.).

Mas: epistomate angusto; squamis analibus parvis, nigris, apice nigro-pilosis;

Fem.: epistomate latiore, sordide albo; antennis nonnihil brevioribus; in copula.

Wiedem. Zool. Magaz. 1. 71. 17. ♂♀. Fall. Dolich. 14. 14. ♂♀. Meig. Dipt. 95. 36. Stann. Dolich. in Isis 1831. 251. 40. ♂♀. Macq. Buff. 1. 461. 8. Stæg. Dolich. 38. 32. ♂♀.

Hab in foliis fruticum, floribus Achilleæ, foliis Urticæ dioicæ & aliis herbis altioribus, locis umbrosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 26 Jun.—29 Aug., passim copiose; in copula multoties deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Björnstorp (D. *Dahlbom*), Lindholmen (in sylva & in Urtica, 16 Jul. abunde), Esperöd &c., vulgaris; in Smolandia ad Anneberg, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, & in Umbellatis ad Häradshammar ac Sudercopiam, haud raro, D. *Stenhammar;* in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*. Genuinus vero mihi vix extra Scaniam obvius. — E Dania a D. D. *Dahlbom* & *Stæger* communicatus. E Kilia a D. *Wiedemann* uterque sexus olim missus. (E regione Reinerzensi a D. *Zeller* missus.)

♂♀. Pedibus rufo-flavis, alis undique fuscescentibus & præsertim ad costam nigricantibus, species ab affinibus facile dignoscitur. — Os nigrum. Epistoma albidum (♂), aut griseum (♀). Nervus 4:tus long. subrectus fere in apice excurrit, cum 3:tio leviter convergens. Stigma nullum. Oculi in vivo æneo-virides. Coxæ anticæ totæ flavæ. Squamæ anales in ♂ parvæ, triangulares, atræ, nigro-ciliatæ. Genitalia ut plerumque in hoc genere ferruginea.

Obs. In individuis nuper captis alæ evidenter nigrescunt; in mortuis & diu asservatis pictura hæc obscura in fusco-flavidam abit; fuscedo vero juxta nervos & ad costam plerumque manet. Hinc: "alæ nigredine parum tinctæ", dicit *Fallén* l. c. in descriptione.

β. Tarsi postici articulo 1:mo sequente breviore. Minores l. parvi.

61. *D. ærosus:* obscure æneo-viridis, nitidus, fronte grisea, epistomate fusco (♂), aut cano (♀); antennis capite transverso nonnihil brevioribus, atris, seta antennæ duplo longiore, nuda; pedibus flavo-testaceis, coxis cinereis, apice pallidis, femorum posticorum linea superna, tarsisque omnibus nigricantibus, metatarsis flavidis; alis subhyalinis, nervis: longitudinalibus 4:to exacte in summo apice excurrente 3:tioque, rectis, parallelis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Mas: epistomate valde angusto, inter oculos immerso, obscuro, ad os griseo; squamis analibus parvis, rotundatis, nigris, breviter fusco-ciliatis;

Fem: epistomate latiore, cano; antennis nonnihil brevioribus; in copula.

Fall. Dolich. 15. 17. ♂♀. verus. — Meigen Dipt. 4. 98. 43. ♂♀. etiam certus videtur. — Stann. Dolich. in Isis 1831. 258. 47? (exclus. saltem syn. *D. parvilamellato* Macq.). Macq. Buff. 1. 460. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 711. 16. ♂♀ (specimina quædam). — Stæg. Dolich. 40. 35. ♂♀.

Hab. i fruticibus & graminosis libenter locis humidis, per Sueciam meridionalem & mediam, vulgaris, per borealem rarior, 9 Maj.—15 Sept. obvius; in copula; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, utrumque Esperöd, &c., frequens; in Ostrogothia ad Wadstena, Häradshammar, Jonsberg, Gusum, &c., sæpe copiose; in Westrog. ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* in Ölandia ad Ottenby; in Gottlandia ad Ahlskog, Öja, Nähr, &c., abundans; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia ad Rörshyttan; deinde versus septentrionem rarissime tantum

occurrit. — E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Dania a D. *Stæger* quoque missus. (E Glogavia a D. *Zeller*).

♂♀. Parvus. Color corporis obscure metallicus, frons grisea, antennarum seta breviuscula, femorum posticorum linea superna nigricans, nervi: longitudinales 3 & 4 recti, paralleli, horum 4:tus in summo apice excurrens, transversus in medio alæ situs, breviusculus, auxiliaris brevis, stigma nullum, ut & epistoma in ♂ solito angustius, immersum, nigricans, hanc speciem ab affinibus distingvunt. Coxæ anticæ sæpe flavæ, basi cinereæ. Tibiæ parce spinulosæ. Tarsi nigricantes, singuli longitudine tibiarum singularum. Metatarsi flavi, postici apice nigricantes. In vetustis vero vel detritis individuis tarsi anteriores sæpe fere toti flavidi. Hinc apud *Fallén:* "pedes pallidi, tarsis apice nigris," dicuntur. Os nigrum, proboscide subprominula. Oculi æneo-virides. Femorum posticorum linea superna plus minus conspicua, raro omnino deficiens.

Obs. Synonymon Stannii dubius allegavi, quia in descriptione sui *Dolichopi ærosi* dixit Clar. Auctor: "nervo longitudinali 4:to subrecto cum tertio convergente." In speciminibus nostris iisque plurimis, inter quæ etiam varia typi fuerunt descriptionis Fallenianæ hujus speciei, nervi 3 & 4 exacte recti sunt & paralleli. Cetera omnia bene quadrant. — Macquarti *D. parvilamellatus* Buff. "Lamelles jaunes; pieds noirs" minime huc pertinet.

62. *D. Dahlbomi:* obscure æneo-viridis, nitidus, fronte grisea; epistomate fusco (♂), aut cano (♀); antennis capite transverso nonnihil brevioribus, atris, seta antenna fere duplo longiore, nuda; pedibus flavo-testaceis, coxis cinereis, femoribus anticis totis, posticis linea superna, tarsisque omnibus, nigricantibus, metatarsis basi flavidis; alis subhyalinis, nervis: longitudinalibus 4:to exacte in summo apice excurrente 3:tioque, rectis, parallelis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas & Femina omnino ut in præcedente differunt.

Hab. in Scandinavia boreali, 2 Jul.—30 Aug., passim; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Rätan, in Frösön & ad radicem Mullfjellen, haud raro; ab oculatissimo *Dahlbom* detectus; in Dalecarliam rarissime descendit, & ad Rörsbyttan individuum unicum tantum lectum; in Norvegiæ autem graminosis ad littus maris prope Alstahaug, Thynæs & Levanger in parœcia Skogn mense Julio frequenter visus. (E Glogavia a D. *Zeller* specimen ♀ sine nomine missum).

♂♀. Valde similis & affinis priori, a quo tamen magnitudine paullo majori, coxis etiam anticis totis cinereis, apice summo tantum dilutiori, femoribus anticis obscuris, trochanteribus & geniculis summis solis pallidis, femoribus posticis linea superna nigra evidentiori, tarsis omnibus nigris, metatarsis tantum basi fusco-flavidis, ut & alis hyalinis certo situ metallice nitentibus, sed parum fuscanis, certe differt. Nec locus natalis ambobus idem. Femora intermedia sæpe etiam supra subinfuscata. Raro variat femoribus anticis subtus flavicantibus.

63. *D. assimilis:* obscure æneus, nitidus, fronte grisescente; epistomate cano; antennis capite transverso nonnihil brevioribus, atris, seta antenna duplo longiore, subnuda; pedibus flavis, coxis cinereis, anticis fere totis, posticisque apice, pallidis, tarsis nigricantibus, anterioribus totis, posticisque basi, flavidis; alis subinfuscatis, nervis: longitudinalibus 4:to non in summo apice excurrente, 3:tioque, leviter curvatis, ad apicem subapproximatis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.).

Mas: epistomate angusto, argenteo-albo, proboscide retracta; squamis analibus parvis, rotundatis, nigris, breviter fusco-ciliatis; coxis anticis canis, apice pallidis;

Fem.: epistomate latiore, cano, proboscide subexserta; coxis anticis flavis, ima basi subfuscescente.

Stæg. in litteris 22 Maj. 1841. Dolich. 1842. p. 41. 36. ♂♀. *D. ærosus* Zett. Ins. Lapp. 711. 16 (specimina quædam).

Hab. in Scania rarissime; mas etiam in Ångermannia ad Hernösand captus; — uterque sexus mihi quoque a D. *Stæger* communicatus. (E Glogavia a D. *Zeller* missus).

♂♀. Summa similitudo & affinitas cum *D. æroso*, sed colore corporis magis æneo, vix viridi mixto, alis forte paullo magis infuscatis, nervis 4:to leviter curvato (nec rectissimo) non exacte in summo apice alæ excurrente, & 3:tio, non præcise parallelis, sed versus apicem nonnihil convergentibus, femoribus paullo pallidius flavis, omnino immaculatis, ut & epistomate in ♂ argenteo, nec fusco, ore parum prominulo, & coxis anticis in ♀ fere totis flavis, ab illo distinctus videtur. Seta antennarum microscopice pubescens.

61. *D. obscuripennis:* obscure æneus, nitidus, fronte grisea; epistomate cano; antennis capite transverso fere dimidio brevioribus, atris, seta antenna duplo longiore, nuda; pedibus flavis, coxis cinereis, apice pallidis, tarsis nigricantibus, metatarsis anterioribus totis, posticisque basi, flavis, alis fuscanis, nervis: longitudinalibus 4:to in apice excurrente, 3:tioque rectis, parallelis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Mas: epistomate angusto, albido, ore retracto; squamis analibus parvis, rotundatis, nigris, breviter fusco-ciliatis; alarum nervo costali inter basin & exitum nervuli auxiliaris in medio nonnihil incrassato, atro;

Fem.: epistomate latiore, cano, ore paullulum exserto; alarum nervo costali toto simplici.

D. fumipennis Stæg. in litteris 21 Aug. 1839. ♂.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; e Dania marem a D. *Stæger* etiam obtinui.

♂♀. Simillimus iterum *D. æroso & assimili*, sed a priori femoribus pallidius flavis, immaculatis, epistomate (♂) albido, nec fusco, a posteriori alarum nervis longitudinalibus 4:to (in apice excurrente) & 3:tio, magis rectis & parallelis, & ab utroque magnitudine paullo minore alisque evidentius fuscatis, differt. Nervus costalis maris ad basin in *obscuripenni* incrassatus, in *æroso* vero & *assimili* simplex speciem diversam quoque prodit. Antennæ parvæ.

Obs. 1. Celeb. *Stannius* aliam speciem sub nomine *D. fumipennis* jam 1831 descripsit, quare denominationem speciei Cel. Stægeri mutare coactus fui.

Obs. 2. Forte hic idem est ac quem Nobil. *Stæger* jam in Dolich. Danic. 42. 38. *D. brevicornis* denominavit.

65. *D. chrysozygus:* aureo-viridis, nitidus, fronte concolore; epistomate ochraceo (♂), aut albido (♀); antennis longitudine vix capitis transversi, fulvis, apice fuscis, seta nigra plumosa; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, tibiis posticis apice late, tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anticis pallidis; alis subinfuscatis, nervo longitudinali 4:to distincte flexo, sat longe ab apice in costa excurrente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate valde angusto, flavido; squamis analibus mediocribus, subtriangularibus, nigro-fuscis, versus apicem denticulato-nigro-ciliatis, & in ipso apice ciliis longis arcuatis; tarsis anticis albo-annulatis;

Fem.: epistomate duplo latiore, cano; tarsis anticis non albo-annulatis.

Wied. Zool. Magaz. 1. 1. p. 71. 16. ♂♀. Fall. Dolich. p. 16. Not. — Meig. Dipt. 4. 93. 33. ♂♀. Ahrens Fn. Ins. Europ. 6. 21. b. ♂. — d. ♀ male. — Stann. Dolich. in Isis 1831. 259. 48. ♂♀. Macq. Buff. 1. 460. 4 ♂♀. Stæg. Dolich. 39. 34. ♂♀.

Hab. — — — In Suecia meridionali inventus erit, ut mihi relatum fuit; a me vero in Scandinavia numquam captus; a D. *Wiedemann* e Kilia missus.

♂♀. Color aureus, antennæ fulvescentes, seta plumosa, tibiæ posticæ ab apice fere ad medium nigræ & alarum nervus long. 4:tus flexus paullo ante apicem alæ excurrens, speciem facile distingvunt. — Femora postica apice puncto vel macula superna nigra. Tarsi antici in mare albo-annulati. Nervus transversus in medio alæ situs. Pedes rufescenti flavi. Tarsi antici tibia antica paullo breviores. — Simili *D. populari* (n:o 37) & aliis ejusdem subdivisionis, sed metatarso postico inermi, nec spinoso, mox dignoscitur.

66. *D. cupreus:* obscure æneo-viridis, nitidus, fronte cano-micante; epistomate albido; antennis capite transverso paullo brevioribus, atris, seta pubescente; pedibus nigris, trochanteribus, femorum apice, tibiis totis metatarsisque, flavis; alis subfuscescentibus, nervis: longitudinalibus 4:to in apice excurrente & 3:tio, rectis, parallelis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. 1¼ fere 1½ lin.).

Mas: epistomate angusto; squamis analibus brevibus, rotundatis, nigris, nigro-ciliatis; nervo costali pone exitum nervi auxiliaris, paullo crassiori, atro;

Fem.: epistomate latiore; ano & nervo costali, simplicibus.

Fall. Dolich. 15. 15. ♂♀. verus. Meig. Dipt 4. 98. 42? ♂♀. -- Stann. Dolich. in Isis 1831. 260. 49. ♂♀. optime descriptus. — Macq. Buff. 1. 460. 6? ♂. insufficienter descriptus. — Stæg. Dolich. 43. 40. ♂♀.

Hab. in Suecia media locis humidis, rarissime; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Ostrogothia ad Omberg. — E Dania a D. *Stæger* communicatus. (♂ e Glogavia a D. *Zeller* missus).

♂♀. Antennæ breviusculæ, coxæ & femora nigra, alarum nervi longitudinales: 4:tus in summo apice excurrens, & 3:tius, recti, paralleli (licet non exactissime), speciem denotant. — Coxæ omnes nigricantes, summo apice trochanteribusque ferrugineis. Genicula anteriora flavicantia. Metatarsi flavi, posticus apice nigro. Tarsus anticus & tibia antica subæqualia. Reliqua ut in diagnosi.

67. *D. angustifrons*: obscure æneus, nitidus, fronte opaca, griseo micante; epistomate albido, antennis capite transverso brevioribus, atris; pedibus nigris, trochanteribus, geniculis summis, tibiis omnibus metatarsisque anterioribus, flavis; alis subinfuscatis, nervis: longitudinalibus 4:to in apice excurrente, & 3:tio, rectis, parallelis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Stæg. in litteris 24 Aug. 1839. ♂. Dolich. 44. 41. ♂.

Hab. in Suecia rarius; in Gottlandiæ tamen pratis sylvaticis ad Öja, Stenkyrka &c. utrumque sexum, 7—29 Jul., 1841 sat frequenter inveni; individuum masculum, a D. *Stæger* e Dania communicatum.

♂♀. Similis & affinis *D. cupreo*, a quo vero certe distinctus: magnitudine fere duplo minore, colore corporis paullo obscuriore, femoribus fere ad summum apicem nigris, tibiis posticis apice, metatarsisque posticis totis, nigris, ut & nervo costali simplici. Tibiæ intermediæ proportione forte etiam paullo angustiores & rectiores sunt quam in *cupreo*, ut recte observavit D. *Stæger*. Alæ subfuscanæ, nervo long. 4:to in summo apice excurrente. ♂ epistomate valde angusto, squamis analibus parvis, nigris, parce ciliatis; ♀ epistomate latiore, ano simplici.

68. *D. metallicus:* obscure æneo-virescens, subnitidus, fronte grisea; epistomate albido; antennis capite transverso brevioribus atris, seta pubescente; pedibus flavis, coxis cinereis, apice pallidis, tarsis nigricantibus, basi

pallidis; alis subhyalinis, nervis: longitudinalibus 4:to in apice excurrente, & 3:tio, rectis, parallelis, transverso nonnihil pone medium alæ sito. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Mas: epistomate valde angusto, brevi, ore retracto; squamis analibus parvis, rotundatis, fuscis, limbo basali angustissime pallido, apice parce & brevissime ciliatis;

Fem: epistomate multo latiore; instrumentis cibariis subexsertis, obscuris.

Stann. Dolich. in Isis 1831. 262. 51.? ♂♀. — Stæg. Dolich. 43., 39. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ uliginosis mense Junio rarissime; in Scania ad Lund, & in Ölandia ad Borgholm, specimina pauca inveni. — Individuum masculum etiam a D. *Stæger* e Dania obtinui. — In Alnetis ad Sörbyholm & Häradshammar Ostrogothiæ uterque sexus ab oculatissimo *Stenhammar* hoc anno (1842) inventus, mihique benevole communicatus. Femina mare rarius obvia.

♂♀. Antennæ breves, frons grisea, femora & tibiæ tota pallide flava, nervus transversus non in medio alæ, sed paullo pone medium (a basi numeratum) situs, ut & epistoma in ♂ breve & valde angustum, in exsiccatis inter oculos magnos fere immersum, nervusque costalis in utroque sexu simplex, speciem ab affinibus præcipue distingvunt. Antennarum seta longa microscopice subpubescens. Tarsi singuli tibiis singulis subæquales.

Obs. Synonymon Stannii dubius attuli, quia vir Clariss. dicit: "lamellæ" (squamæ anales) "pallidæ"; in nostris vero fuscæ sunt, basi tantum anguste pallidæ. Reliqua autem bene congruunt.

Phal. 2. Masculorum squamæ anales pallidæ. Femora sublus nuda, posteriora ad apicem spinula unica in utroque sexu. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ, in *D. patellato* (72) pallide pilosæ.

α. vagina tota nigra. Tarsi simplices, in *D. crinipede* articulo ultimo patelliformi.

69. *D. chalybeus:* obscure olivaceus, thorace violaceo-splendens, nitidus, fronte chalybea; epistomate argenteo; antennis capite transverso paullo brevioribus, nigris, articulo primo subtus flavo, seta subplumosa; pedibus pallide flavis, coxis cinereis, anticis fere totis posterioribusque apice, pallidis; pedum posticorum femoribus macula apicali superna, tibiis apice latissime, tarsisque totis, nigris; tarsis anterioribus obscuris, metatarso flavido; alis fuscanis, nervis: longitudinalibus 4:to in summo apice excurrente, 3:tioque, rectis, parallelis, transverso paullo pone medium sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate haud angusto, argenteo, ore subretracto, palpis parvis; squamis analibus mediocribus, rotundatis pallidis, mediocriter late nigro-limbatis & nigro-ciliatis, apice longe pilosis;

Fem.: epistomate latiore, cano; instrumentis cibariis subexsertis.

Wied. Zool. Magaz. 1. 1. 72. 18. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 142. 35. ♂♀. bene descriptus. Stæg. Dolich. 37. 31. ♂♀.

Hab. in Pteride aquilina, Urtica dioica &c., locis umbrosis, per Sueciam meridionalem, passim rar.; scilicet in Scania ex. gr. ad Lindholmen, ubi utrumque sexum mense Jul. sub pluribus annis sat frequenter inveni; in Uplandia ad Cedersdal prope Holmiam a D. *Wahlberg* captus. Circa Hafniam etiam a D. D. *Dahlbom* & *Stæger* haud raro lectus. — (E Kilia a D. *Wiedemann* missus.)

♂♀. Frons chalybea, thorax dorso obscure æneus, cyaneo-nitens, alæ præsertim ad costam nigricantes, femora posti-

ca macula apicali superna fusca, tibiæ posticæ fere totæ nigræ, validæ, dense hirtæ & spinulosæ, speciem distingvunt. Palpi rufi. Antennæ sat parvæ, seta plumosa. Alæ longæ, basi subhyalinæ, stigmate nullo. Tarsorum posticorum articuli 2 basales æqualiter longi. Tarsi singuli tibiis singulis æqualiter longi. Femora subtus nuda, posteriora ad apicem spinula solitaria. Tibiæ posticæ ima basi interdum testaceæ. Antennæ basi subtus sæpe tantum fusco-lividæ. Sub nomine *Dolich. Stægeri* hanc speciem inter Amicos meos entomologicos olim divulgavi.

Obs. *D. chalybeus* Meig. 4. 79. 10. rectius forte ut varietas ad *D. ungulatum* (n:o 2) est referendus.

70. *D. crinipes:* æneo-virescens, subnitidus, fronte grisea, opaca; epistomate albo; antennis capite duplo brevioribus, nigris, seta longiuscula; valida, nuda; pedibus pallide flavis, coxis posterioribus cinereis, apice pallidis, tarsis nigris, metatarsis anterioribus flavidis; alis hyalino-fuscis, nervo longitud. 4:to flexo, in apice excurrente ibique cum 3:tio convergente, transverso brevi, in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate valde angusto; ore retracto; squamis analibus oblongis, flavis, apice nigro-marginatis & longe nigro-pilosis, vagina ventri adpressa; pedibus anticis: tibia brevi, flava, metatarso longitudine tibiæ, flavo, intus longe piloso, pilis strictis versus apicem decrescentibus, articulis 2, 3 & 4 sensim brevioribus, tenuibus, atris, 5 seu ultimo brevissimo, subdilatato, atro, subtus fusco, vel argenteo;

Fem.: epistomate latiore, ore subexserto; pedibus anticis: tibia longitudine femoris, intus nuda, tarsis tibia dimidio longioribus, simplicibus nigris, metatarso flavo.

Stæger in litteris 22 Maj. 1841. *Sybistroma* Stæg. Dolich. 1842. p. 6. 2. ♂♀. *Dolichopus pectinifer* Zeller in Isis 1842.

Hab. in Daniæ fruticibus mense Junio rarius; uterque sexus ab Ipso Detectore Nobiliss. D. *Stæger* solita sua benevolentia mihi communicatus. — (E Glogavia sub nomine *Dol. pectinifer* ♂ & ♀ 1842 mihi etiam a D. *Zeller* benigne missi.)

♂♀. Singularis hæc species antennis parvis, apice subrotundatis, seta longa, biárticulata, frons minus lata, cana, alis fuscanis, nervis longitudin. 3 & 4 versus apicem distincte approximatis, & præsertim structura & armatura pedum anticorum in ♂, ab aliis facile dignoscitur. — Palpi obscuri. Alarum costa basi ciliata, stigmate nullo. Tarsorum posticorum articuli basales 1 & 2 elongati, subæqualiter longi, inermes. Abdomen in ♂ angustatum. — Affinis *D. patellato* (n:o 72). — *Obs.* in ♂ speciminis Glogaviensis coxæ posticæ fere totæ flavidæ & squamæ sub alis pallescentes, vix vero a Scandinavico distincta species.

71. *D. celer:* obscure viridi-æneus, subnitidus, fronte grisea, epistomate albo; antennis capite transverso duplo brevioribus, nigris, seta subplumosa; pedibus flavis, coxis cinereis, anticis apice pallidis, tarsis nigricantibus, metatarsis flavidis; alis fuscanis, nervis: longitudinalibus 4:to in summo apice excurrente, 3:tioque, rectis, parallelis; transverso brevi, in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate haud angusto; squamis analibus parvis, rotundatis, flavis, breviter fusco-ciliatis; alarum nervo costali inter basin alæ & apicem nervi auxiliaris in medio incrassato, atro;

Fem.: epistomate latiore; nervo costali simplici.

Meig. Dipt. 4. 84. 18. ♂. Stann. Dolich. in Isis 1831. 262. 50. ♂♀. Stæg. Dolich. 42. 37. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Dania frequentius occurrit mihique in utroque sexu in copula

juncta a D. *Stæger* communicatus. (Sub nomine *D. obscurellus* Fall. specimen masculum a D *Stæger* olim quoque missum). — (E Reincz a D. *Zeller).*

♂♀. Parvus, olivaceus, parum virescens. Antennæ parvæ, seta subplumosa, frons grisescens, alæ subfuscæ, nervi longitudinales 3 & 4 paralleli, costalis inter radicem alæ & exitum nervi auxiliaris ciliatus, & in ♂ incrassatus, speciem denotant. Antennæ acutiusculæ. Palpi nigri. Pedes pallide flavi, coxis cinereis, anticis apice latius, posterioribus summo apice, pallidis. Tarsi singuli tibiis singulis longitudine subæquales, simplices. Tibiæ posteriores distincte spinulosæ. Metatarsus posticus apice niger. Tarsorum posticorum articulus primus sequente paullo brevior.

β. vagina anali maris saltem ad partem pallida, appendicibus 6. Antennarum seta in utroque sexu biarticulata, truncata. *Sybistroma* Auct. recentiorum. — (*D. crinipes* sub n:o 70 quærendus).

72. *D. patellatus:* pallide æneo-virescens, subnitidus, fronte cana, epistomate albo; antennis capite transverso sublongioribus, dilatatis, apice acutis, nigricantibus, seta nuda; ventre pallescente; pedibus elongatis, flavis, coxis concoloribus, tarsis nigris, metatarsis pallidis; alis subinfuscatis, nervis: longitudinali 4:to flexo in apice excurrente ibiqui cum 3:tio convergente, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Fall. Dolichop. 10. 5. ♂. ipsissimum specimen typicum, quod in museo Falleni asservatur. — *Sybistroma discipes* Stæg. Dol. 4. 1. ♂♀. *S. patellipes* Meig. Dipt. 4. 72. 2.? *(D. patellatus* Meigeni ad *D. discifer.* n:o 28; & Stannii *D. patellatus* ad *D. confusum* n:o 29. pertinere videntur.

Hab. in Scania rarissime, tria tantum individua vidi, unum originarium, secundum quod diagnosis & descriptio Falleniana confectæ sunt, & duo ad Esperöd in parœcia Mellby a me die 12 Aug. 1818 propria manu lecta.

♂. Antennis validis, corpore angusto, pedibus pallidis longis, tarsis anticis patellatis &c. mox dignoscitur. Oculi magni, rufi (etiam post mortem). Antennæ longæ nigræ, totæ latæ, articulo ultimo acuminato, fusco, seta longa, biarticulata. Epistoma angustissimum, breve, argenteum. Os subexsertum, palpis ferrugineis. Frons cana. Thorax dorso subopacus, vitta media obscura. Scutellum viride, nitens. Abdomen elongatum, angustum, æneum, nitidum, ventre flavo. Vagina analis inflexa, articulo 1:mo obscuro, ultimo flavo-luteo, squamis angustis, fere linearibus, fuscis, apice ciliis brevibus, & pilis longioribus paucis, flavis, inter quas appendices variæ breviores. Alæ longiusculæ, nervis longit. 3 & 4 versus apicem distincte approximatis. Stigma basale nullum. Squamæ sub alis flavæ, & pallide pilosæ. Pleuræ glaucæ. Pedes elongati, graciles, pallide flavi, coxis concoloribus, anticis albescentibus. Pedes antici nudi, graciles flavi: tibia femore, & tarsi tibia, dimidio longiores; tarsorum articuli longitudine sensim decrescentes, pen-ultimo brevissimo, ultimo magno, suborbiculato, compresso, atro, nudo. Pedes intermedii; tibia parce spinulosa femore duplo, & tarsi tibia dimidio, longiores, simplices. Pedes postici intermediis simillimi, metatarso inermi, articulo sequenti longitudine subæquali.

♀. Antennæ breviores, articulo ultimo acuto; setæ articulo primo brevissimo. Pedes mediocres, tarsis anticis tibia antica dimidio longioribus, simplicibus. Semel cum mare a me inventa.

73. *D. obscurellus:* obscure æneus, subnitidus, fronte cana, epistomate albo; antennis longitudine fere capitis transversi, latis, nigris, apice acuto, seta longa

nuda, apice capillari; ventre pallescente; pedibus pallide flavis, coxis concoloribus, tarsis fuscis, metatarsis flavidis; alis subinfuscatis, nervis: longitudinali 4:to subflexo in apice excurrente ibique cum 3:tio convergente, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ — fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: epistomate angusto, brevi; vagina anali inflexa, basi obscura, apice flava, squamis oblongis, pallidis, apice fuscis & fusco-pilosis;

Fem.: epistomate latiore; antennis brevioribus.

Fall. Dolich. 1823. p. 13. 11. certe. ♂♀. Stann. Dolich. in Isis 1831. 251. 43. ♂♀. *Medeterus appendiculatus* Macq. Buff. I. 453. 7. ♂. *Sybistroma appendiculata* Stæg. Dolich. 7. 3. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *Dol. ventralis*).

Hab. in Suecia meridionali rarius; in fruticibus prope littus maris ad Esperöd, 24 Jul.—10 Sept., minus frequens, in copula. Sub nomine *D. appendiculatus* a D. *Stæger* 1839 communicatus.

♂. Antennæ capite nonnihil longiores. Seta biarticulata, articulo 1:mo ultimo duplo breviore. Palpi nigri. Stigma alarum nullum. Pedes simplices, antici: tibia & femur æqualiter longa; tarsi tibia dimidio longiores. Metatarsi postici articulo 2:do dimidio breviores. Variat tarsis anticis flavidis, articulis tantum ultimis fuscis.

♀. Antennæ capite nonnihil breviores. Epistoma latum. Tarsi antici tibia paullo tantum longiores. — Variat uterque sexus antennar. articulo ultimo apice fusco.

Obs. Specimina typica in museo Falleni asservata comparavi; hinc synonymon ejus certum.

74. *D. ventralis:* obscure æneus, subnitidus, fronte cana, epistomate albo; antennis capite transverso paullo brevioribus, nigris, apice subobtusis, fuscis; ventre toto flavo, pedibus pallidis, coxis concoloribus, tarsis fuscis,

metatarsis flavidis; alis subinfuscatis, nervis: longitudinali 4:to subflexo in apice excurrente ibique cum 3:tio convergente, transverso in medio alæ sito. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Fall. Dolich. 21. 31. ♀. verus.

Hab. in Scania; a me ante multos annos inventus in unico specimine, quod descriptioni Cel. *Falleni* & præsenti typicum fuit.

♀. Valde similis priori, sed magnitudine fere duplo majore, antennis nonnihil brevioribus, nervis long. 3 & 4 versus apicem ni fallor paullo magis approximatis, & ventre toto flavo, differt. — Seta antennarum longissima, teste *Fallén*, in specimine vetusto hodie mutilata. — *D. patellato* (72) quoque simillimus, & ejus feminam facile putarem, nisi color corporis obscurior & antennæ breves obtusiusculæ dubitationis ansam darent. Interea & donec copulatio vel aliæ observationes circa individua viva vel saltem illæsa aliter forte suadeant, separatos proposui.

75. *D. gratiosus:* obscure æneus, subnitidus, fronte chalybea; epistomate albido, in medio elevato, antennis parvis, brevibns, nigris; ventre pallido; pedibus flavis, coxis concoloribus, tarsis fuscis, metatarsis flavidis; alis cinereis, nervis: longitudinalibus 4:to in summo apice excurrente, 3:tioque, rectis, parallelis, transverso pone medium alæ sito. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 4. 100. 17.? ♀. *D. obscurellus* Zett. Ins. Lapp. 700. 6. ♀ (exclus. syn. Fallén. & Meig.).

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi rarissime; in paludosis ad Tresunda d. 12 Jul. 1832 capta.

♀. Fronte chalybea ab affinibus statim dignoscitur. Antennarum seta elongata, ni fallor biarticulata, articulo 1:mo brevi. Epistoma latum, albidum, in medio tuberculatum. Alarum nervus transversus pone medium situs, & longior,

quam in proxime præcedentibus; hinc nervus long. 5:tus intra angulum & marginem interiorem solito brevior. Tarsorum articuli 3 ultimi fusci. Tibia & femur antica sub æqualiter longa; tarsus anticus tibia vix vel parum longior. Abdomen cupreum. — Forte hujus subdivisionis, sed mas deest pro loco certe designando. — *D. tarsato* n:o 96 valde affinis est.

Obs. Ad Esperöd Scaniæ ante plures annos individuum unicum inveni, descriptæ feminæ simillimum, magnitudine paullo minore & coxis posterioribus cinereis diversum. Sed e specimine solitario, minus bene conservato, speciem distinctam fingere non audeo.

Not. Sybistroma nodicornis Meig. in utroque sexu e Silesia a Cel. D. *Zeller* mihi communicata genuinus *Dolichopus* esse videtur, Faunæ Scandinavicæ ignota.

Stirps II:da. Mares ano bifilato; cauda scilicet breviter inflexa, filis 2 brevibus appendiculata. Affines *Rhaphio*, sed seta antennarum dorsalis aut subdorsalis, nec exacte apicalis.

Phal. 1. Masculorum abdomen sæpius albo-sericeo-micans & maculatim diaphanum. Feminarum antennæ breves & os subdescendens. Oculi in utroque sexu maximi purpureo-rufi. Seta mox infra apicem antennæ inserta, microscopice pubescens. Pedes simplices. Volatu celerrimo ad idem punctum, a quo exierunt, revertunt. Squamæ sub alis sæpe nigræ. Majores aut medii. *Porphyrops* Meig. Macq. *Argyra* Macq.

76. *D. diaphanus:* thorace obscure viridi, capite nigro (♂), aut albido (♀); antennis atris; abdomine pedibusque discoloribus; alis vitreis, nervo long. 4:to distincte flexo, squamis sub alis nigris & nigro-ciliatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.)

Mas: epistomate angusto, ore subretracto, fronteque, nigris; antennarum articulo ultimo elongato, compresso-conico;

abdomine virescente argenteo-micante, segmentis basalibus 2 & 3 fascia interrupta flavo-pellucida; squamis analibus nigris & nigro-pilosis; pedibus nigris, coxis cinereis, tibiis flavis, posticis apice ad quartam tibiæ partem nigris; metatarsis anterioribus pallidis; femoribus anterioribus subtus longe pilosis.

Fem.: epistomate lato fronteque canis, puncto verticis nigro; antennarum articulo ultimo beviter ovato, subacuto; ore exserto, nigro, palpis magnis, squamæformibus, latis, proboscidem supra tegentibus, cinereis; abdomine æneo-cupreo, immaculato, ano simplici; pedibus flavis, coxis cinereis, trochanteribus testaceis, femoribus anterioribus, ima basi fuscis, posticisque apice nigris, tibiis posticis summo apice fuscis, metatarsis anterioribus flavidis; femoribus subtus breviter pubescentibus; in copula.

Fabr. Antl. 270. 18. ♂. *Porphyrops* Meig. Dipt. 4. 46. 1. Tab. 35. f. 5. ♂. *Argyra* Macq. Buff. 1. 456. 1. ♂♀. *Dol. pellucens* Fall. Dolich. 17. 20. ♂♀. certe. *Porphyr. versicolor* Meig. Dipt. 4. 50. 9. ♀.

Hab. in fruticibus hortorum, 7 Jul.—2 Aug., per Sueciam meridionalem & mediam, passim; in copula; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd, Fogelsång &c., vulgaris; in Ostrogothia ad Wadstena, Häradshammar, Gusum &c., frequens; in Ölandia & ad Holmiam, D. *Wahlberg*. — E Dania a D. *Stæger* uterque sexus communicatus. — (Sub nomine: *D. diaphanus* in utroque sexu eundem etiam a D. *Zeller* e Glogavia obtinui).

♂♀. In hac subdivisione maximus. Seta antennarum pubescens, ad basin geniculata. Alarum nervus auxiliaris elongatus, fere ad medium costæ simplicis extensus; longitudinalis 4:tus distincte flexus, fere geniculatim fractus; 5:tus integer; transversus in medio alæ situs & apici auxiliaris fere oppositus. Pedes distincte pubescentes, fere villosi, coxis antice pilosis. Femora antice ad apicem inermia, h.

e. spinulis determinatis nullis. Pedes antici: femore, tibia & tarso inter se subæqualiter longis; postici: tarsorum articulis basalibus 1 & 2 muticis subæquilongis. Genicula anteriora summa testacea. Metatarsus anticus reliquis articulis simul sumtis longitudine æqualis.

Var. ♂. segmento abdom. 4:to puncto utrinque flavo.

77. *D. leucocephalus:* thorace aureo-viridi, leviter albo-micante, capite nigro (♂), aut albido (♀); antennis atris; abdomine pedibusque discoloribus; alis cinereo-hyalinis, nervo longitudinali 4:to leviter flexo, squamis sub alis nigris & nigro-ciliatis. ♂♀. (Long. 2—2⅛ lin.).

Mas: epistomate valde angusto, ore subretracto, fronteque nigris; antennar. articulo ultimo nonnihil elongato; abdomine nigro, argenteo-induto, segmentis basalibus 2, 3 & 4 fascia interrupta flavo-pellucida; squamis analibus parvis nigris; pedibus testaceis, coxis cinereis, femoribus anterioribus basi, posticisque apice, late nigricantibus vel fuscis, tibiis posticis apice, tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anterioribus flavidis; femoribus anterioribus subtus nigro-villosis;

Fem.: capite omnino ut in priori specie; abdomine viridi, segmento secundo macula utrinque flava; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, tarsis nigris, metatarsis anterioribus pallidis, femoribus subtus breviter pubescentibus; in copula.

Porphyrops Meig. Dipt. 4. 49. 8. ♀. & 6. p. 362. ♂. *Porph. diaphanus* Meig. l. c. 4. 46. ♀ (est ♂ hujus), & 6. p. 362. ♀. (Specimina quædam in Museo Falleni *Dolichopi diaphani* quoque ad *leucocephalum* referenda).

Hab. in foliis fruticum hortorum & pratorum, locis umbrosis terræ nudæ humidæ sæpe insidens, per Sueciam meridionalem & mediam, Julio & Augusto, vulgaris, in copula; scilicet in Scania ubique frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Omberg, &c., haud raro; in

Calmaria ad Berga, passim; in Gottlandia ad Ahlskog, haud frequens. E Dania a D. *Stæger* etiam communicatus.

♂♀. Similis & affinis priori, sed differt: magnitudine paullo minore, alis minus pure hyalinis, nervo longitudinali 4:to minus curvato, thorace lætius viridi, magis albo-micante, & mas antennis brevioribus, epistomate angustiore, abdomine magis argenteo, fasciis 3 (nec 2) flavis interruptis, anterioribus latioribus, femoribus anterioribus apice, posticisque basi, latius flavidis, ut & femina abdomine viridi, fascia basali interrupta flava, femoribus totis coxisque anticis flavis.

Var. b. ♂ (in copula cum ♀ varietatis a.), femoribus anterioribus totis, posticis basi latissime, coxisque anticis dimidio apicali indeterminate, flavis. Tarsi antici quoque flavidi sunt, articulis tantum 1 vel 2 ultimis infuscatis; in ceteris var. a. similis.

D. pellucens Zett. Ins. Lapp. 712. 18. *Dolich. diaphanus* var. *β.* ♂. Fall. Dolich. 16. 19. — *Argyra confinis* n. sp. Stæg. in litt. 21 Aug. 1839.

Hab. in Scania (in Paradislyckan ad Lund); & in Ostrogothia, haud raro, D. *Stenhammar* & ipse; in Norrlandia minus frequens. — An specie diversa?

78. *D. argentatus:* thorace viridi, albo-induto, epistomate fronteque argenteis; antennis capite transverso nonnihil longioribus (♂), atris; abdomine obscure viridi, argenteo-micante, segmentis basalibus 2 & 3 (sæpe etiam 1) fascia interrupta flavo-pellucida; pedibus flavescentibus, coxis omnibus, cinereis, femoribus anterioribus basi, posticisque totis, nigricantibus, tibiarum posticarum apice late, tarsisque omnibus nigris, metatarsis anterioribus fla-

vidis; alis subhyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Argyra argentata Macq. Buff. 1. 457. 2. Meig. Dipt. 7. 154. 2. *Porphyrops argyrius* Meig. Dipt. 4. 46. 2. ♂. & 6. pag. 332.

Hab. in Suecia meridionali, Jul. Aug., passim; in Scania ad Fogelsång. D. *Dahlbom*, & ad Lund, ipse, invenimus. — Ex Hafnia a D. *Stæger* communicatus.

♂. *D. leucocephalo* similis, eique magnitudine & statura æqualis, sed antennis paullo majoribus, capite argenteo (puncto verticis nigro), & thoracis albedine superficiali copiosiori, aperte distinctus. — Coxæ anticæ cinereæ, apice trochanteribusque pallidioribus. Femora anteriora apice plus minus late flava.

Femina Macq. l. c.: abdominis segmentis 2, 3 & 4 fascia interrupta flava, mihi non obvia.

79. *D. argentinus:* thorace viridi, albo-induto, epistomate fronteque argenteis; antennis capite transverso dimidio longioribus (♂), aut dimidio brevioribus (♀), nigris, seta subapicali; abdomine discolore; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, tarsis posticis totis, anterioribus apice, nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo, squamis sub alis fuscis, pallido-ciliatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto; antennis capite dimidio longioribus, seta longitudine antennæ; thoracis albedine antice saltem copiosa; abdomine fuscæ, argenteo-micante, segmentis 2 & 3 (sæpe etiam 4) fascia interrupta flavo-pellucida, harum antica latissima; filis analibus testaceis; alis subhyalinis;

Fem.: epistomate latiore; ore ut in ♀ *D. diaphori;* antennis capite dimidio brevioribus, seta antenna triplo longiore; thorace disco parum albo-micante; abdomine viridi, segmen-

to 2:do utrinque macula fulva; alis subbrunnescenti hyalinis (in exsiccata); in copula.

Porphyrops Meig. Dipt. 4. 47. 3. ♂. & 6. p. 362. *Argyra argentina* Meig. Dipt. 7. 151. 3. *Dolich. diaphanus* Fall. Dolich. 16. 19. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 712. 17. ♂♀ (exclus. syn. Fabr. & Meig.).

Hab. in Suecia meridionali & media, Jul. Aug., passim; in copula; scilicet in Scania ad Lund, utrumque Esperöd &c., haud raro; in Smolandia, passim; in Ostrogothia ad Lärketorp, Omberg, Gusum, Häradshammar, Sudercopiam &c., frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*; deinde rarescit & in provinciis borealibus mihi non nisi parcissime obvius. — E Dania a D. *Stæger* etiam obtinui.

♂♀. Similis priori, sed minor, & antennis (♂) paullo longioribus, seta propius ad apicem inserta, coxis anticis femoribusque omnibus pallide flavis, ut & squamis sub alis pallido-, nec nigro-ciliatis, mox dignotus. Variat ♂ rarius; pedum posticorum femoribus tibiisque summo apice dilute brunneo; manet tamen nota constans ex antennarum proportione & coxis anticis totis flavis immaculatis, desumta. Antennarum articulus ultimus utriusque varietatis in exsiccatis apice sæpe fuscus. — Varietatem hanc sub nomine: *Porph. argentinus*, in utroque sexu quoque ab Amico meo *Zeller* e Glogavia 1842 obtinui.

80. *D. argentellus:* thorace viridi, albo-induto, epistomate fronteque argenteis; antennis longitudine capitis transversi (♂), nigris, seta antenna nonnihil longiore; abdomine fusco, argenteo-micante, segmentis 2 & 3 (interdum etiam 4) fascia interrupta flavo-pellucida; pedibus flavis, coxis cinereis, anticis apice pallidis, femoribus tibiisque posticis apice, tarsisque omnibus nigris, metatarsis anterioribus flavis; alis subhyalinis nervo long.

4:to leviter flexo, squamis sub alis fuscis & fusco-ciliatis. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$— fere 2 lin.).

Hab. in Succia meridionali rarissime; in Scania ad Lund Aug. pauca individua legi. — Sub nomine: "*Argyra argentata var.*" e Dania a D. *Stæger* 21 Aug. 1839 obtinui.

♂. Similis iterum *D. argentato* & *argentino*, sed a priore: magnitudine paullulum minore, antennis nonnihil brevioribus, femoribus anterioribus totis, posticisque basi, late flavis, nec nigris; & ab *argentino*, cui magnitudine æqualis: antennis multo brevioribus, seta paullo longiore, coxis anticis fere ad apicem cinereis, nec totis flavis, trochanteribus omnibus fuscis, nec pallidis, pedum posticorum femoribus tibiisque apice distincte nigris, ut & squamis sub alis fusco-, nec pallido-, ciliatis, facile distingvitur. — Tarsi antici fere toti flavidi. Fila analia obscura. — *Dolich. diaphanus* var. β. ♂. Fall. Dolich. 16. 19 etiam sub hoc latet. — Nec *Argyra confinis* Stæg. in litteris, multum a nostro *argentello* differre videtur.

81. *D. magnicornis:* thorace viridi, epistomate latiore fronteque albidis; antennis capite transverso duplo longioribus, nigricantibus, seta brevi (♂); abdomine obscure æneo, segmentis 2 & 3 macula utrinque flava; pedibus flavis, coxis omnibus cinereis, trochanteribus fuscis, femoribus tibiisque posticis apice nigricantibus, tarsis nigris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subhyalinis, nervo longitudinali 4:to flexo. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 712. 19. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; in inferalpinis maritimis Nordlandiæ ad urbem Tromsœ d. 21 Jul. 1821 specimen unicum deprehendi.

♂. A ceteris hujus subdivisionis antennis capite duplo longioribus, magnis, & corpore vix albo-micante (an detrito?),

nitidissimo, statim dignoscitur. Antennarum articulus 1:mus longitudine fere capitis transversi, modice latus, niger; 2:dus brevissimus, valde dilatatus, spinulosus, ater; 3:tius longitudine antecedentium simul sumtorum, oblongus, compressus, apice subacutus, totus nigro-fuscus, seta subapicali vix longitudine articuli ultimi, fusca. Pleuræ glaucæ. Abdomen obscure æneum, postice certo situ violaceo-micans. Fila analia nigra. Alarum nervus 4:tus paullo magis flexus videtur, quam in proxime præcedentibus. Squamæ sub alis pallidæ, apice nigricante, ciliis vel pilis fuscis. Femora postica superne macula elongata nigra; posteriora ad apicem spinula solitaria nigra. Tibiæ posticæ apice dilute brunneæ. — *Argyra albiceps* Stæg. n. sp. in litteris 24 Aug. 1839, antennis brevioribus, magnitudine corporis majore &c. a *D. magnicorni* distincta videtur.

Obs. Utrumque sexum certe hujus speciei in Alneto ad Sörbyholm Ostrogothiæ nuper inventum a D. *Stenhammar* accepi. *Mas* tantum in unico specimine, at *femina* in 3 individuis, lecti. Exempla ostrogothica a lapponico supra descripto non nisi antennis nigris, nec fuscis, & abdomine paullo discolore differunt. *Mas:* abdomine æneo-viridi, macula in segmento 2:do utrinque flavo. *Femina:* antennarum articulo ultimo paullo breviore quam in mare; seta longiore, microscopice pubescente. Epistoma latum, canum. Os descendens. Palpi lati, obscuri, margine tenuissime cano. Proboscis nigra. Abdomen æneo-cupreum, nitidum, lateribus albicans. Reliqua ut in varietate a.

82. *D. elongatus:* viridis, nitidus, fronte concolore, epistomate latiore albo; antennis capite transverso dimidio fere longioribus, atris, seta breviuscula; abdomine basi flavo-maculato; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, femorum tibiarumque posticorum apice, tarsisque omnibus, nigris, metatarsis anterioribus flavidis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate modice angusto, argenteo, ore retracto, ab-

domine cupreo, basi fasciis 2 subintegris flavis, ano obtuso, filis analibus brevibus nigris;

Fem.: epistomate latiore, sordide albido, ore subexserto, antennis nonnihil brevioribus, seta paullo longiore, abdomine æneo-viridi, fascia in segmento basali 2:do subinterrupto flavo, ano acuto.

Hab. in Ostrogothia, ubi in Alnetis ad Sörbyholm & Häradshammar 5 mares & 1 feminam detexit Cel. *Chr. Stenhammar.*

♂♀. Species pulchra & distincta. Affinis & similis *D. magnicorni*, sed magnitudine duplo minore, antennarum articulo ultimo minus valido, atro, nec fusco, oculis minoribus, coxis anticis flavis, nec cinereis, femorum posticorum macula apicali fusca brevi & obsoleta, ut & nervo alar. longitud. 4:to levissime tantum flexo, aperte differt.

83. *D. vestitus:* thorace viridi, epistomate fronteque albidis; antennis capite transverso dimidio longioribus (♂), aut dimidio brevioribus (♀), nigris; abdomine argenteo (♂), aut viridi (♀), immaculato; pedibus flavis, coxis totis cinereis (♂), aut anticis flavis (♀), femoribus posticis apice tarsisque omnibus nigris, metatarsis anterioribus pallidis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo; femoribus anterioribus in ♂ basi fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas.: epistomate modice angusto; antennis capite dimidio longioribus, articulo 1:mo brevi 2:doque brevissimo, nigris, ultimo magno, longissimo, basi lato, nigro, apice fusco, seta articulo hoc breviore; abdomine toto argenteo; coxis anticis cinereis; femoribus anterioribus basi late fuscis; squamis sub alis pallidis, apice parvo, nigro, longe fusco-piloso; appendicibus caudalibus nigris;

Fem.: epistomate latiore; antennis brevissimis; articulo ultimo breviter ovato, acuto, seta antenna tota triplo longiore,

ore magno, descendente; abdomine viridi; coxis anticis flavis, femoribus anterioribus basi late ferrugineis; in copula.

Wied. Zool. Magaz. 1. 1. 75. 24. ♂. Fall. Dolich. 17. 21. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 713. 20. ♂♀. *Porphyrops* Meig. Dipt. 4. 48. 5. (♂?) — *Argyra vestita* Macq. Buff. 1. 457. 3. ♂♀. ("antennæ magnæ & seta brevis" marem tantum indicant.). Meig. l. c. 7. 154. 5.

Hab. in foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 6 Jul.—8 Aug., passim, in copula deprehensus; scilicet in Scania ad Kjellby prope Lund, D. *Dahlbom*, ad Esperöd, ipse; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Wadstena & Lärketorp, passim; in Gottlandia ad Gothem, minus frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in provinciis magis borealibus, rarissimus, in Dovre tamen a D. *Boheman* visus. — E Dania a D. *Stæger* missus. (Circa Hamburgum a D. D. *Dahlbom* & von *Winthem* Jul. 1838 quoque lectus mihique benigne communicatus. — E Glogavia a D. *Zeller* 1842 etiam missus).

♂♀. Magnitudine minore & abdomine immaculato ab antecedentibus hujus subdivisionis præcipue dignoscitur. — Frons viridis, albo-micans. Thorax dorso aureo-viridis; scutello interdum cyaneo ut in speciminibus masculis Gottlandicis. Abdomen subdepressum in ♂ supra argenteum, articulo primo & ultimo obscure æneis; in ♀ totum viride, aut æneum. Femora posteriora ad apicem spinula nulla.

81. *D. auricollis:* thorace aureo-viridi, epistomate fronteque albidis; antennis capite transverso dimidio longioribus (♂), aut dimidio brevioribus (♀), atris; abdomine cæruleo-micante, immaculato; coxis trochanteribusque cinereis; pedibus discoloribus; alis subfuscanis, nervo long. 4:to modice flexo. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate, modice angusto, nigro, certo situ albo-micante, ore nigro; antennis ut in *D. magnicorni* (81); abdomine angusto, cylindrico, atro, cæruleo-splendente & leviter albo-micante; ano ventreque nigris; alarum nervo 4:to distincte flexo, transverso sito fere pone medium alæ & aperte pone apicem nervi auxiliaris, oblique ducto; pedibus subvillosis, nigris, anteriorum geniculis summis, tibiis totis, metatarsisque, flavis;

Fem.: epistomate latiore, cano, ore descendente, palpis latis griseis; antennis ut in *D. vestito;* abdomine conico, viridi, parum cærulèo-micante; nervo 4:to minus flexo, transverso in medio alæ sito; pedibus breviter pubescentibus, flavis, coxis trochanteribusque cinereis, femorum tibiarumque posticorum apice, tarsisque, nigris, metatarsis anterioribus flavidis; in copula.

Porphyrops Meig. Dipt. 4. 47. 4. ♂. *Argyra* Meig. Dipt. 7. 157. 4. ♂. *Dolich. pellucens var. β. mas* Fall. Dolich. 17. 20. ipsissimus, secundum museum Falleni.

Hab. in Suecia rarius; scilicet in Scania ad Abusa prope Lund d. 30 Maj. a D. *Dahlbom* ♂ semel inventus; in Ostrogothia specimina aliquot mascula legi; sed in Jemtlandia boreali juxta radicem Åreskutan, nec non in Norvegiæ littoralibus ad Alstahaug & Levanger in parœcia Skogn utrumque sexum in copula junctum, 8 Jul. & 1 Aug. 1840, sat frequenter deprehendi.

♂♀. Alis subfuscanis, squamis sub alis nigris, abdomine subcæruleo-micante immaculato, & coxis trochanteribusque cinereis, ab affinibus facile dignoscitur. Mas præterea tibiis posticis totis atris mox dignotus. Thorax sæpe & abdomen semper præsertim in ♂ cæruleo-splendentia. Pleuræ in utroque sexu glauco-virides. Halteres ut solito flavi. Squamæ sub alis atræ, & nigro-ciliatæ. Spinula ad apicem femorum posteriorum nulla. Alarum nervus transversus leviter flexus, nec exacte rectus. Incisuræ abdominis certo situ interdum anguste albæ. — Cave ne hunc cum *Rhaphio confini* sat

simili confundas. Ut antennar. setam non apicalem, & appendices caudales in ♂ aliter constructas &c., observes, necesse est.

Obs. D. aulicus, abdominalis, ventralis, suturalis, &c. thorace virescente vel grisescente, abdomine pallescente, in *Sectione II:da* quærendi.

Phal. 2. Corpus in utroque sexu obscurum, abdomine oblongo, subdepresso, immaculato. Antennæ breviusculæ, articulo ultimo angusto, seta capillari, distincte dorsali. Nervus alarum longitudinalis 4:tus rectus, fere pone apicem alæ in margine excurrens, & a 3:tio sat longe paralleliter distans; transversus ordinarius paullo pone medium, sed tamen longe ante marginem interiorem alæ situs, qua nota ab *Hydrophoro* distingvuntur species. *Masculi:* ano breviter inflexo, filis brevissimis, ut & tibiis intermediis varie curvatis dignoscuntur a *feminis:* ano pedibusque simplicibus instructis. Hospitium ad aquas; tardiores; minores. *Medeterus* Meig.

85. *D. scambus:* olivaceus, fronte cyanescenti nigra; epistomate ochraceo; antennis vix longitudine capitis, nigris; pedibus testaceis, coxis anticis macula basali, posterioribusque totis, cinereis, tarsis nigris; alis subinfuscatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: epistomate angustissimo; antennis capite nonnihil brevioribus; femoribus tibiisque anticis subtus in medio breviter rigide nigro-ciliatis, tibiis intermediis incurvis, dilatatis, nigris, basi fuscis, extus longe pilosis, tarsis ejusdem paris etiam nigris, pilosulis, metatarso brevissimo, appendiculato;

Fem.: epistomate valde angusto; antennis capite fere dimidio brevioribus; femoribus anticis subtus inermibus; tibiis intermediis testaceis, simplicibus, spinulosis, sed non ciliatis; in copula.

Fall. Dolich. 19. 26. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 713. 21. ♂♀. *Medeterus* Meig. Dipt. 1. 68. 18. ♂. Macq. Buff.

1. 451. 9. ♂. *Medeterus prodromus* Meig. Dipt. 4. 64. 9. ♀. & 6. pag. 364.

Hab. in graminosis, libenter locis umbrosis, humidis, in ripis fluminum & supra aquas stagnantes, per Scandinaviam totam, 19 April.—3 Octob., vulgaris & passim abundans, sæpe in copula; scilicet in Scania, Ostrogothia, Gottlandia ad Gothem &c., Nericia, Uplandia, Dalecarlia, Helsingia, Jemtlandia usque ad Skalstugan, Norrlandia, Bottnia, Lapponia per partem sylvaticam, vulgatissimus; in Norvegia quoque frequenter occurrit, & in Værdalia atque Nordlandia mihi obvius. — (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & ex Hamburgo a D. *Dahlbom* communicatus).

♂♀. Statura angustus. Habitus *Hydrophori bipunctati* & *litorei*, sed multó minor & diversus. Nitidus. Antennæ angustæ, seta dorsali in medio articuli ultimi inserta, antenna fere triplo longiore, nuda. Epistoma valde angustum, obscure ochraceum, sub antennis aureo-viride. Os retratum nigrum. Alæ elongatæ. Nervi long. 3 & 4 paralleli, hic mox pone nervum transversum brevem & rectum in puncto umbra fusca cinctus; auxiliaris ad 3:tiam partem costæ extensus, stigmate nullo. Squamæ sub alis parva & halteres, fusco-testacea. Pleuræ glaucæ. Pedum anticorum femur & tibia subæquilonga, at tarsi tibia paullo longiores. Pedes postici: tibiæ femore & tarso subæquilongis nonnihil longiores, tenues; metatarsus nudus articulo sequente paullo brevior. Tibiæ posteriores parce spinulosæ. Metatarsi omnes testacei. Femora posteriora ad apicem spinula solitaria. Genicula summa nigra. Oculi in vivo æneo-virides, unicolores.

86. *D. curvipes:* olivaceus, fronte cyanescenti nigra; epistomate angustissimo, ochraceo (♂), aut albo (♀); antennis circiter longitudine capitis, nigris; pedibus testaceis, coxis cinereis, tarsis nigris; alis subinfuscatis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Mas: antennis longitudine capitis; pedes intermedii: femoribus subtus in medio spinulis 10—12 nigris armatis, & versus apicem (in serie continuata) pilis 5—7 minoribus instructis; tibiis flavis, utrinque spinulosis, spinulis intus crebrioribus, tibiarum summo apice, tarsisque nudis totis, nigris, metatarso brevi, arcuato, apice denticulato; femoribus posticis subtus nigro-ciliatis;

Fem.: antennis capite paullo brevioribus, femoribus omnibus inermibus, subnudis, tibiis parce spinulosis, metatarsis intermediis subelongatis, rectis.

Fall. Dolich. 20. 27. ♂♀. Zett. Ins Lapp. 713. 22. ♂♀. *Medeterus* Meig. Dipl. 4. 65. 10. ♂. Macq. Buff. 1. 453. 8. ♂.

Hab. in hortis & pratis, locis humidis, umbrosis, etiam ad ripas fluminum, per Scandinaviam, 27 Maj.—2 Oct., passim copiose; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Silfåkra, Esperöd &c., vulgatissimus; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum, Häradshammar &c., frequentissimus; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia usque ad Skalstugan, minus frequens; in Lapponia Tornensi ad Karungi & Wittangi, passim. — Ex Hafnia a D. *Stæger* missus. (E Glogavia a D. *Zeller* communicatus).

♂♀. Simillimus priori, sed differt magnitudine paullo minore, coxis omnibus etiam anticis obscure cinereis femoribus præsertim intermediis basi sæpe fuscis, & præcipue structura armaturaque pedum in ♂, ut in diagnosi indicatum. Coxæ anticæ summo apice testaceæ. Metatarsi flavidi, apice nigri. Femora anteriora basi subtus linea nigra. Antennæ angustæ, acutæ. Tibiæ intermediæ maris subflexuosæ, crassiusculæ, basi coarctatæ.

87. *D. femoralis:* olivaceus, fronte obscure cyanea; epistomate angustissimo, ochraceo (♂); antennis capite brevioribus, nigris; pedibus testaceis, coxis anticis con-

coloribus, posticis cinereis, tarsis nigris, & in mare femoribus intermediis subtus interrupte pilosis, tibiis ejusdem paris angustis, subflexuosis, utrinque parce spinulosis. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in plantatione ad prædium Björnstorp Scaniæ die 21 Sept. a D. *Dahlbom* inventus. — Sub nomine *Medeterus armipes* a D. *Stæger* e Dania quoque communicatus. — Ad Wittangi Lapponiæ Tornensis d. 10 Jun. 1821 individuum unicum in societate cum *D. scambo* etiam lectum.

♂. Priori iterum valde similis, magnitudine vero nonnihil minore, antennis brevioribus, minoribus, coxis anticis totis ferrugineis, femoribus intermediis subtus una serie interrupte rigide nigro-pilosis, tibiis intermediis angustioribus, fuscis, nec flavis, metatarsis intermediis brevibus, sed rectis, & femoribus posticis subtus nudis, nec ciliatis, certe distinctus. — Alæ subinfuscatæ, puncto in nervo 4:to mox pone nervum transversum fusco. Femora intermedia subtus pilis circiter 16 rigidis, nigris interruptis ornata, ita ut in medio femoris pili 10—11, & ante apicem 4—6, cernantur. Frons ænescens. Epistoma pallidum.

♀, mari descripto similis, sed diversa: magnitudine dimidio minore, pedibus intermediis simplicibus, pilosulis, non spinulosis, in prato humido juxta rivulum ad Häradshammar Ostrogothiæ a D. *Stenhammar* lecta, forte ut femina *D. femoralis* est habenda? Affinis videtur *Medetero pusillo* Meig. Dipt. 4. 65. 11., sed hic a nostra specie "pedibus nigris" &c. mox dignoscitur.

Obs. D. picticornis, affinis *curvipedi* in Phalange 3:tia sub n:o 94 inveniendus.

Phal. 3. Corpus subovatum, abdomine haud depresso (in ♂ angusto, subcylindrico). Antennæ breves, articulo ultimo ovato, in quibusdam elongato, seta semper dorsali. Nervi

longitudinales 3 & 4 plerumque non exacte paralleli; horum scilicet 4:tus levissime flexus in alæ apice (sed non exactissime in summo) excurrens. Nervus transversus brevis paullo ante medium alæ ductus. Squamæ sub alis minutæ. Halteres flavi. Pedes flavi, femoribus posticis sæpe apice fuscis. Vertex & thorax dorso distincte pilosi. Masculi: ano breviter inflexo, filis brevissimis; pedibus simplicibus (in *spinigerello* tibiis posticis subclavatis). Parvi aut minuti. *Porphyropis* & *Medeteri* species Meig.

88. *D. pulicarius:* griseo-viridis, parum nitidus, fronte obscure ænea, epistomate albido; antennis brevibus, nigris; pedibus pallide flavis, coxis cinereis, anticis apice pallidis, femoribus anticis in medio late, posticisque apice, fuscis, tarsis omnibus obscuris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subfuscanis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: epistomate angustissimo, argenteo; antennis capite paullo brevioribus, acutis; ore retracto; abdomine angusto, compresso-cylindrico; tarsis posticis articulo tertio latere interiore barbato;

Fem.: epistomate modice lato, albido; antennis capite dimidio brevioribus, ovatis; ore descendente, palpis pallidis; abdomine compresso-conico; tarsis nudis; in copula.

Fall. Dolich. 20. 28. ♂♀. *Porphyrops annulipes* Meig. Dipt. 4. 56. 25. ♂♀. *Medeterus* Macq. Buff. 1. 455. 15. ♂♀. *Chrysotus cinerellus* Zett. Ins Lapp. 705. 88. ♀.

Hab. in graminosis & fruticibus, locis humidis, per Sueciam meridionalem & mediam, vulgaris, per borealem passim, 1 Jul.—5 Sept. obvius, in copula sæpe deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Röstånga, Esperöd, &c., copiose; in Ostrogothia ad Omberg, D. *Dahlbom*, nec non ad Lärketorp, Egebylund, Gusum, Häradshammar c. s. p., frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* in Ölandia haud raro; in

Gottlandiæ hortis & pratis ad Nähr, Sanda, Fårön, Stenkyrka & Martebo, frequens; in Dalecarlia ad Rörsbyttan; in Jemtlandia ad Åreskutan; in Lapponia Suecica meridionali Umensi tantum in monte subalpino Stöttingsfjellet parcissime inveni. — E Dania a D. *Stæger* communicatus. (Specimina a D. *Dahlbom* lecta ad Hamburgum, etiam comparavi. — E Glogavia a D. *Zeller*).

♂♀. Antennarum articulus ultimus puberulus. Thorax grisescens opacus, lineis 3 fuscis. Abdomen subnitidum. Pedes nudi, tibiis parce & breviter spinulosis. Femora posteriora ad apicem spinula solitaria. Coxæ anticæ latere antico breviter albo-pilosæ. Tibiæ posticæ apice plus minus late, fuscæ, interdum apice nigricantes. Tarsi postici articulis 2 basalibus subæquilongis. — Fila analia in ♂ occulta, sed vi elevata ut aculeos vel dentes 2 ferrugineos, pubescentes sese ostendunt.

Var. b. ♂. femoribus anticis flavis, immaculatis, femorum tibiarumque posticorum apice tantum dilute fusco; in celeris var. a. simillimus, & cum illo habitans rarius.

Porphyrops æneicoxa Meig. Dipt. 4. 57. 26. ♂. sub *Dol. pulicarius* Fall. etiam latet.

89. *D. brevicornis:* griseo-viridis, parum nitidus, fronte obscure ænea; epistomate albido; antennis brevissimis, nigris; pedibus pallide flavis, coxis anticis totis concoloribus, posterioribus cinereis; femorum tibiarumque posticorum apice dilute fusco, tarsis omnibus obscuris, metatarsis anterioribus flavidis; alis subfuscanis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate angustissimo, argenteo; ore retracto; abdomine angusto;

Fem.: epistomate latiore, albido; ore descendente; abdomine conico; in copula.

Stæger in litteris 24 Aug. 1839 & 22 Maj. 1841. *Dolich. pulicarius* Fall. Dolich. 20. 28. var.

Hab. locis uliginosis mensib. Jul.—Sept., ad Esperöd Scaniæ & Wadstena Ostrogothiæ, haud infrequens, in copula captus. Ex Hafnia uterque sexus a D. *Stæger* missus. (E Glogavia a D. *Zeller).*

♂♀. Priori valde affinis & similis; magnitudine autem nonnihil minore, antennis minoribus, brevioribus, femoribus anticis flavis, immaculatis, femorum tibiarumque posticorum fuscedine apicali multo dilutiori, ut & in primis tarsis posticis articulo 3:tio in ♂ nudo, nec barbato, vere distinctus videtur.

90. *D. spinigerellus:* viridi-æneus, nitidus, fronte cyanea; epistomate angusto, albo-micante, antennis brevissimis, nigris; pedibus totis cum coxis & tarsis pallide flavis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: ore retracto, abdomine angusto cylindrico; alarum nervo costali pone exitum nervi auxiliaris, crasso, atro; femoribus intermediis subtus in medio longe pilosis, tibiis posticis subflexuosis, spinulosis, apice subclavatis, clava fusca, pilosa;

Fem.: ore subdescendente; abdomine conico; alarum nervo costali pedibusque simplicibus, femoribus intermediis subtus nudis; in copula.

Hab. ad aquas in Suecia meridionali & media, 19 Jul.—4 Sept., in copula captus; passim; minus frequens; scilicet in Scania ad Lund & in Ostrogothia ad Wadstena, a me aliquoties inventus. Sub nomine *Medeterus flavicoxa* Meig. femina etiam e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Minutus. Antennæ minutæ, frons purpurascens, pedes toti pallide flavi, & præcipue in ♂ alarum stigma basale crassum, atrum, tibiæque posticæ sinuatæ, apice subdilatatæ pilosæ, speciem ab omnibus bene distingvunt. Nervi

longitudinales 3 & 4 paralleli, horum 4:tus in ipso apice alæ excurrit; transversus in medio alæ situs, contra costalem perpendicularis. Tarsi summo apice fusci. — Affinis & similis videtur *Medetero calcarato* Macq. & Meig., sed in *M. calcarato* frons viridis, metatarsi antici subincrassati, subtus pilosi, tibiæ posticæ appendiculatæ sunt, quæ notæ in nostrum *spinigerellum* non quadrant.

91. *D. articulatellus:* obscure olivaceus, fronte concolore; epistomate obscuro; antennis brevissimis, nigris, abdomine conico (♀); pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus cinereis, geniculis summis tarsisque nigris; alis hyalinis. ♀. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; in prato parœciæ Öja 8 Jul. 1841 specimen descriptum ab oculatissimo *Dahlbom* inventum.

♀. Similis *D. femorali* (87), sed vix ejus femina, nam præter nuditatem pedum (quæ tantum ut differentia sexus valet), differt quoque magnitudine paullo minore, pedum colore flavo pallidiore, alis magis hyalinis, & nervis long. 3 & 4 nonnihil minus distantibus. Antennæ minutæ. Epistoma modice latum, in exsiccato fuscum, in vivo forte albo-micante. Os non descendens. Thorax & abdomen subconicum, obscure æenescentia, subnitida. Pleuræ ut solito glauco-virides. Nervi subtenues, longitudinalis 4:tus rectus in summo apice alæ excurrens; transversus in disco alæ situs. Pedes graciles, nudi, flavi, coxis posterioribus totis, trochanteribus omnibus, geniculis summis, tibiarum spinulosarum apice summo, tarsisque totis nigricantibus; ex hac pictura pedum in articulatione ratio nominis derivanda, quæ tamen pictura vix alia est quam in speciebus Phalangis 2:dæ, cui vero hanc speciem ob abdomen non depressum & antennas valde breves, articulumque ultimum rotundatum inserere non potui. Deest tamen ♂ pro vero loco designando.

92. *D. pilosellus:* obscure olivaceus, fronte concolore; epistomate albo; antennis brevibus, nigris; pedibus flavo-testaceis, coxis anticis concoloribus, macula basali, posterioribusque totis, cinereis, tarsis fuscis, metatarsis flavidis; alis subhyalinis; femoribus tibiisque posterioribus in ♂ longe pilosis. ♂. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in graminosis, locis umbrosis, rarior; in hortis Wadsteniensibus, 28 Aug.—4 Sept., specimina 5 inveni.

♂. Similis *curvipedi*, sed multo minor, coxis anticis fere totis testaceis, alarum nervo long. 3:tio in costam rectius (nec apice inflexo) ducto, vestitu pedum alio, &c., aperte distinctus. Antennæ longitudine dimidii capitis, angustæ, apice puberulæ, seta haud longa. Epistoma angustissimum, inferne latius, argenteum. Frons & thorax pilosus, olivacea, opaca. Abdomen subdepressum, nudum, ænescens. Alarum nervi ut in priori. Pedes graciles, simplices; posteriores: femoribus subtus tibiisque præsertim intus, longe, sed parce pilosis vel spinulosis.

Var. b. ♂. similis var. a., sed epistomate inferne etiam angusto, pedibus magis testaceis, tarsis totis nigricantibus, distinctus, semel cum var. a captus; an specie diversus.

93. *D. pumilio:* obscure olivaceus, fronte concolore; epistomate obscuro; antennis brevibus, nigris, abdomine depresso; pedibus flavo-testaceis, coxis anterioribus totis concoloribus, posterioribus totis, trochanteribus omnibus, tarsisque, nigris; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: antennis longitudine vix dimidii capitis transversi, angustis; oculis infra antennas secundum totam longitudinem faciei cohærentibus, epistomate occultantibus; abdomine parum depresso; femoribus posterioribus subtus tenuiter & parce ciliatis, tibiis posticis præsertim spinulosis;

Fem.: epistomate modice angusto, fusco, certo situ albo-micante; antennis brevissimis; tibiis posterioribus spinulosis, femoribus subtus nudis; abdomine subdepresso.

Hab. ad littus maris & ripas lacuum, per Sueciam meridionalem, 9 Jul.—11 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Sandhammar & Silfåkra, D. *Dahlbom* & ipse specimina quædam legimus.

♂♀. Minutissimus. Affinis *curvipedi*, sed in multis diversus. Seta antennarum breviuscula. Os retractum. Thorax pilosus. Alæ subhyalinæ. Nervi longitudinales: 2:dus fere rectus in costam ductus, 3 & 4 recti, paralleli, proportione sat late distantes, horum 4:tus in apice, vel, si exacte dicere velis, mox pone summum apicem alæ excurrens; transversus brevis in medio alæ situs. Pedes graciles, simplices. Coxæ anticæ latere antico albo-pubescentes. Genicula summa, tibiæ summo apice tarsique toti, nigricantes. An varietas *D. articulatelli*, cui etiam valde similis, sed fere minor, & ejus locus natalis alius.

91. *D. picticornis:* olivaceo-æneus, fronte cyanescente; epistomate pallide flavo; antennis capite brevioribus, angustis, nigris, basi flavis; pedibus flavis, coxis posterioribus tarsisque nigricantibus; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali & media locis graminosis, humidis, rarius; scilicet in Scania ad Räften d. 4 Sept. 1831 a D. *Dahlbom* detectus; in Ostrogothia ad Lärketorp a me semel captus, sed in parœcia Häradshammar a D. *Stenhammar* frequentius lectus; ad Holmiam a D. *Wahlberg* quoque inventus.

♂♀. *D. curvipedi* subsimilis, sed antennis basi fulvo-flavis ab hoc & aliis affinibus statim dignotus. Antennæ acutæ, apice puberulæ. Epistoma angustissimum (♂), inferne nonnihil latius, flavidum. Os retractum. Frons cyanescens, nitida. Thorax opacus. Abdomen subdepressum, æneum. Alæ ut

in præcedente. Pedes graciles, simplices, nudi, flavi, coxis anticis concoloribus. Coxæ posteriores cinereæ. Tarsi nigricantes, metatarsis flavidis. — Sub nomine *D. basalis* olim divulgatus.

95. *D. bifasciellus:* viridi-æneus, nitidus, fronte cyanea; epistomate albo; antennis capite fere brevioribus, nigris; abdominis fasciis basalibus 2 flavis; pedibus pallidis, tarsis fuscis; alis subhyalinis. ♂. (Long. ½ lin.).

Hab. in Ostrogothia; ad Häradshammar specimen descriptum D. *Stenhammar* detexit mihique benevole communicavit.

Mas. Similis *D. pulicario* (88), seu *Porphyrop. annulipedi* Meig.; sed duplo fere minor & fronte cyanea, pedibus flavis immaculatis, abdomine flavo-fasciato &c. distinctus. Epistoma angustatum, argenteum. Antennæ acutæ puberulæ. Seta antenna duplo & ultra longior. Os retractum. Abdomen compresso subcylindricum, æneum, fasciis 2 basalibus, approximatis, integris, flavis. Anus obtusus, puberulus, filis 2 brevissimis nigris. Alæ ut in *pulicario*, sed nervi longitud. 3 & 4 nonnihil magis distantes, ita ut horum 4:tus in apice vel fere mox pone apicem alæ excurrit. Pedes simplices, nudi, pallide flavi, coxis concoloribus, tarsorum articulis 3 ultimis fuscis. Tibiæ posteriores parce spinulosæ. — An hic sit *Medeterus bifasciatus* Macq. Dipt. 1. 48. 12. Id. Buff. 1. 455. 13, & Meig. Dipt. 7. 158. 32 ♂, ex brevi descriptione l. c. allata: "æneus; segmento 2:do 3:tioque abdominis fascia flava; pedibus flavis, 1 lin. long." pro certo affirmare non audeo.

Phal. 4. Corpus obscurum, abdomine subcylindrico. Antennæ elongatæ (♂), aut breves (♀), seta subapicali. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli: masculorum tarsi intermedii apice dilatati. — Forte proprii generis, inter *Dolichopum* & *Rhaphium* medii.

96. *D. tarsatus:* olivaceus, subnitidus, fronte chalybea; epistomate albido; antennis longissimis (♂), aut

brevissimis (♀), atris; pedibus flavis, coxis concoloribus, tibiarum posticarum apice in mare, tarsorumque omnium articulis apicalibus in utroque sexu, nigris; ventre pallido; alis subfuscanis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: antennis capite transverso saltem dimidio longioribus, articulo ultimo subrhomboidali seu magno, longissimo, lineari, apice oblique acuto, seta longitudine articuli ultimi; epistomate angustissimo, albo; tibiarum posticarum apice incrassato, nigro, metatarso etiam subincrassato, intus in medio spinula gemina (altera minore), erecta armato; pedibus intermediis: femoribus subtus breviter & tenuiter ciliatis, tibiis femore nonnihil longioribus, tenuibus, parce spinulosis, tarsis longitudine femoris, inermibus, articulo 1:mo longitudine reliquorum simul sumtorum, gracili, flavo, reliquis brevibus, æqualiter longis, horum 2:do obconico, flavo, apice nigro, 3 & 4 dilatatis atris, cum 5:to parvo, angusto, nigro, summo apice cinereo, subincurvis;

Fem.: antennis capite dimidio brevioribus, articulo ultimo subrotundato; epistomate lato, griseo-cinereo, apice subelevato; pedibus omnibus simplicibus, inermibus.

Zett. Ins. Lapp. 713. 23. ♂. *Hydrophorus* Fall. Dolich. 7. 4. ♂. (exclusa femina, nam specimen ipsissimum, quod in museo Falleni ut femineum hujus speciei asservatur, est mas *Rhaphii hamati* nobis n:o 17).

Hab. locis humidis & graminosis, sæpe umbrosis, per Scandinaviam, mense Julio, minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd rarius; in Ostrogothia: in parœcia Häradshammar ad fontem prope Pastoris habitaculum ex utroque sexu plura specimina præsertim mascula Jun. Jul. 1841—1842 sat copiose legit D. *Stenhammar*, ad Lärketorp & Wadstena parce, ipse: in Uplandia ad Holmiam, D. *Nyblæus*, teste D. *Wahlberg;* in Lapponia

Umensi ad Wilhelmina & Tresunda, passim; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman.* In Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Frons cyanea, pedes toti & venter pallide flavi, ut & in ♂ antennæ longæ, tibiæ posticæ clavatæ, tarsorumque intermediorum articuli penultimi 2 dilatati, atra, speciem distingvunt. Os subretractum. Alarum stigma nullum. Nervi longitudinales: 2:dus rectus, 3 & 4 modice distantes, non exacte paralleli, sed versus apicem leviter convergentes, horum 4:tus in summo apice excurrens; transversus longiusculus, nonnihil pone medium alæ situs. Femora posteriora antice ad apicem spinula solitaria. Tibiæ posteriores parce spinulosæ. Tarsorum posticorum articuli basales 1 & 2 breves, æqualiter longi. Antennæ apice pubescentes, seta mox ante apicem inserta longitudine circiter articuli ultimi, nuda, geniculata. Pars apicalis setæ infra genu longior est in ♀ quam in ♂.

Obs. Cel. *Stenhammar*, qui majorem copiam individuorum colligendi & comparandi occasionem habuit felicem, per suas observationes extra dubitationis alam posuit, supra descriptos marem & feminam ad eandem pertinere speciem. Observavit quoque Clar. Vir ventrem fere totum in feminis vivis esse flavo-pellucidum, qua nota ab affinibus femina hujus speciei, sui mari de cetero valde dissimilis, bene dignoscitur. — Concedo equidem libenter, per totum habitum & variarum partium convenientiam naturalem nexum intercedere inter *D. tarsatum* & plures *Rhaphii* species præsertimque *R. hamatum* (n:o 17), qui secundum methodum naturalem dispositi juxta poni debuissent. Sed cum in dispositione nostra systematica artificiali Familiæ Dolichopodum, *setam terminalem* atque os ♀ longe descendens inter notas essentiales pro *Rhaphio*, & *setam dorsalem* atque os ♀ non longe descendens inter notas constantes pro genere *Dolichopo* determinando, assumsi, crediderim etiam speciem, de qua jam quæritur, seta subterminali & ore in utroque sexu subretracto instructam, facilius inter *Dolichopos* quam inter *Rhaphia* esse inveniendam.

Sect. II. Pallescentes: aut corpore toto, aut saltem abdomine maxima ex parte, pallidis. Corpus subcylindricum, angustatum, gracile, molle. Hospitium in foliis fruticum, raro ad aquas. Motu agiles, inquieti. Volatus celer. Oculi in vivis virides. Pedes simplices (in ♂ *D.* 4-*fasciati* n:o 101, tarsi antici apice patellati).

a). cauda maris magna, incrassata, deflexa. *Porphyropis* species Meig.

97. *D. pallidus:* testaceus, antennis brevissimis concoloribus, capite albido; pedibus pallide flavis, tarsis apice fuscis; alis hyalinis, nervo longitudinali 4:to leviter flexo. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: angustior, epistomate angusto; ano crasso, atro, nitido, appendicibus 3, quarum 2 interioribus subdentiformibus, ultima magna, rotundata, tumida;

Fem.: epistomate nonnihil latiore; ano simplici.

Fall. Dolich. 21. 29. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 714. 21. ♂♀.

Hab. in pratis fertilibus in foliis Coryli & Alni repens, per Scandinaviam, 29 Jun.—17 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd rarius; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena, Hagalund, Lärketorp &c., frequens, ipse; in Gottlandia ad Westerby, Thorsborg & Kjellunge; in Norvegia ad Alstahaug & Thynæs, minus freq.

♂♀. In hac Sectione maximus. Testaceus. Antennæ flavæ, articulo ultimo breviter ovato, subacuto, lineola basali superna transversa nigra, basi seta nigra nuda inserta. Frons cana. Epistoma argenteum. Os retractum, palpis albidis. Thorax ad latera rigide nigro-pilosus. Metathorax obscurus. Abdomen nitidum, segmento 4:to (in ♂) fascia dor-

sali fusca. Alarum nervus auxiliaris fere ultra 3:tiam partem costæ extensus, stigmate nullo; longitudinalis 4:tus subflexus in apice alæ excurrens, ibique cum 3:tio paullulum convergens; 5:tus usque ad marginem interiorem ductus; transversus in medio alæ situs. Squamæ sub alis halteresque, pallida, illæ longe pallido-ciliatæ. Sternum fuscum. Pedes elongati, toti cum coxis pallide flavi, brevissime pubescentes, inermes, tibiis posterioribus tantum nigro-spinulosis. Tarsi postici articulo basali 1:mo parce spinuloso, & 2:do, subæquilongis. Spinula ad apicem femorum posteriorum nulla, sed in coxarum posticarum medio spina solitaria, erecta, atra adest. Tarsi apice (in ♀) fusci. Coxæ anticæ latere antico superne pallido-, inferne nigro-spinulosæ.

98. *D. abdominalis:* capite thoraceque læte cinereis; antennis brevissimis, scutello abdomineque flavis, pedibus pallidis; alis subhyalinis, nervo longitud. 4:to curvato ante apicem alæ excurrente ibique cum 3:tio convergente; transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Dolich. 21. 30. ♂ (exclus. ♀; specimen enim femineum, & id unicum, in museo cel. Falleni asservatum ad *D. suturalem* pertinet).

Hab. in Scania rarissime, in Paradislyckan ad Lund 19 Jun. inveni; teste D. *Stenhammar* etiam in Ostrogothia ad Häradshammar raro visus erit, mihi neque in Ostrogothia neque in aliis superioribus Sueciæ provinciis obvius.

♂♀. Statura omnino prioris, eique similis, sed magnitudine minore, thorace cinereo, & alarum nervo long. 4:to paullo ante apicem excurrente, 3:tioque magis approximatis distinctus. Epistoma ♂ angustissimum, argenteum, ♀ latius. Anus ♂ clavatus, nigricans. Incisuræ abdominis in ♀ anguste fuscæ. Metatarsus posticus (♂♀) subinermis. Tarsi ♀ apice fusci. — Cetera ut in præcedente. — Cel. *Fallén* diagnosin se-

cundum specimen masculum *D. abdominalis*, descriptionem secundum femineum (*D. suturalis*), confecisse videtur.

99. *D. suturalis:* capite thoraceque læte cinereis; antennis brevissimis, scutello abdomineque flavis, incisuris anguste fuscis; pedibus pallidis; alis subhyalinis, basi angustissimis, nervo long. 4:to parum subarcuato, in summo apice excurrente, 3:tioque, parallelis; transverso pone medium alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: epistomate angustissimo, argenteo; ani clava deflexa, nigra; alis subpetiolatis; tarsis vix infuscatis;

Fem: epistomate latiore, cano; ano simplici, flavo; alis basi minus angustatis; tarsis apice fuscis; in copula.

Fall. Dolich. 21. 32. ♂♀. *Porphyrops* Meig. Dipt. 6. 363. 30 ♂♀.

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ hortis & pratis, 10 Jul.—20 Aug., passim, in copula; scilicet in Scania ad Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Lärketorp frequens, ad Gusum, D. *Wahlberg*, & in Tilia ad Stegeborg a D. *Stenhammar* 1840 semel captus; in Ölandia, D. *Dahlbom*.

♂♀. Valde similis priori, sed forte paullo major, alis in ♂ basi angustioribus, incisuris abdominis fuscis præsertim in ♀ evidentioribus, ut & nervo long. 4:to in summo apice excurrente 3:tioque, parallelis, transverso distincte pone medium alæ sito, statim dignotus. Alæ ad costam subfuscæ. Reliqua ut in præcedente.

100. *D. Erichsoni:* testaceus, antennis brevissimis concoloribus; capite albido; incisuris abdominis nigricantibus; pedibus pallide flavis; alis hyalinis, nervo long. 4:to leviter flexo in apice excurrente, ibique cum 3:tio paullulum convergente, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$— fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

D. 4-fasciatus var. "totus pallidus" Fall. Dolich. 22. 33.

Hab. in fruticibus præsertim Alni, & graminosis, locis umbrosis & humidis, per Sueciam meridionalem & mediam, 21 Jun. — 10 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Röstånga, Lindholmen, utrumque Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* & ad prædium Gottenvik in parœcia Jonsberg, sat copiose, D. Præpos. *Stenhammar;* in Gottlandia ad Nähr & in insula Furillen, minus frequens. — (Specimina ad Hamburgum a D. *Dahlbom* 1838 lecta mihique benevole communicata Suecicis simillima).

♂♀. *D. pallido* (n:o 97) in plurimis similis, sed constanter differt: magnitudine fere duplo minore, fasciis abdominis fuscis, alarum nervis longit. 3:tio nonnihil magis flexo, & 4:to, ad apicem magis approximatis, ut & in ♂ epistomate angustiore anique clava simpliciore. Feminæ frequentiores mihi obviæ. Fasciæ abdominis 4 fuscæ, sat latæ, in ♀ in medio emarginatæ.

Speciem a *D. 4-fasciato* omni jure remotam, D. Prof. & Doctori *W. F. Erichson*, Berolinensi, in toto mundo entomologico cognito & æstimato, amica mente & grata dicavi.

101. *D. 4-fasciatus:* capite thoraceque læte cinereis; antennis brevissimis, scutello abdomineque flavis, hoc fasciis 4 nigricantibus; pedibus pallide flavis, anticis in ♂ longissimis, tarsorum articulis 3 & 4 apicalibus plumatis atris; alis hyalinis, nervo long. 4:to flexo in apice excurrente, ibique cum 3:tio paullulum convergente, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 48. 7. verus. ♂ (♀ forte exclusa). — *D. 4-fasciatus* var. "thorace grisescente" Fall. Dolich. 22. 33.

Hab. in Suecia meridionali mense Julio, rarior;

scilicet in Scania ad Abusa & Esperöd specimina quædam inveni.

♂. Affinis priori, thorace vero cinereo, nec testaceo, pedibus anticis maris longioribus, tarsis apice patellatis &c. certe distinctus. A *D. suturali*, cui etiam similis, alis basi latioribus, nec angustatis, & nervo transverso in disco alæ, nec pone medium, sito, mox dignoscitur. Pedes antici longi, graciles, tarsorum articulis basalibus 1 & 2 longissimis, valde tenuibus, pallide flavis, antepenultimo & penultimo (3 & 4) brevissimis, fuscis, utrinque nigro-pennatis, & ultimo antecedenti longitudine æquali, tenui, nudo, albido. Anus clavatus ater, tuberculo nigro sub articulo ultimo ventrali. Alæ ut in *D. Erichsoni.*

Obs. Femina a D. *Meigen* l. c. descripta & quæ Fabricii *Musca 4-fasciata* genuina videtur, forte ut femina præcedentis speciei consideranda.

b). ano maris breviter bifilato. Pedes simplices. *Porphyropis*, *Argyræ* & *Medeteri* species Meig. & Macq.

102. *D. aulicus:* thorace ænescente, fronte cyanea; epistomate albido; antennis capite transverso paullo brevioribus, nigris; abdomine ferrugineo, fasciis 4 obscuris; pedibus pallide flavis, tarsis fuscis; alis subhyalinis, nervo long. 4:to levissime flexo in summo apice excurrente, 3:tioque, subparallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$— fere 2 lin.).

Mas: epistomate angustissimo, argenteo; antennis capite paullo tantum brevioribus; metatarso postico intus in medio subexciso & fasciculo spinularum armato;

Fem: epistomate latiore, cano; antennis capite fere dimidio brevioribus; metatarso postico breviter pubescente, simplici & inermi.

Porphyrops Meig. Dipt. 4. 48. 6. ♂. *Argyra aulica* Meig. Dipt. 7. 154. 8.

Hab. in Scania rarissime; e Dania vero, ubi frequentior esse videtur, plura specimina ex utroque sexu benignissime a D. *Stæger* communicata. Nuperrime etiam unicum individuum femineum ex Ostrogothia a sæpius laudato Entomologo *Stenhammar* mihi missum.

♂♀. Antennarum articulus ultimus breviter ovatus, subacutus, apice puberulus, seta versus apicem inserta, modice longa, subnuda, prope basin geniculata. Os retractum. Frons nitida. Thorax opacus, sublineatus, setosus, pleuris glaucis. Scutellum viride. Abdomen nitidum. Appendices anales exsertæ nullæ, sed articulus ultimus in ♂ subcompressus, in ♀ latior, subdepressus. Alarum stigma nullum. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli, sat remoti; transversus haud brevis, in medio alæ situs. Pedes toti pallide flavi, coxis intermediis extus cinerascentibus, tarsis obscuris, metatarsis dilutioribus. Tibiæ posteriores parce nigro-spinulosæ & femora posteriora ad apicem spinulis 2 vel 3 nigris armata. Metatarsus posticus articulo sequente nonnihil brevior. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ in ♂ pallido-, in ♀ fusco-ciliato.

103. *D. tenellus:* thoracis postici impressi dorso ferrugineo-setoso, scutello fronteque virescentibus; epistomate albo; antennis brevissimis testaceis, apice fuscis; abdomine pedibusque totis pallide flavis; alis subhyalinis, nervis long. 3 & 4 subparallelis seu versus apicem levissime subconvergentibus, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: epistomate angustissimo; abdomine angusto, subcylindrico, ano subcrasso, non deflexo; ore subretracto; pleuris glaucis;

Fem.: epistomate latiore; abdomine subdepresso, ano simplici; ore descendente, pleuris testaceis.

Fallèn Dolich. 22. 34. ♂♀.

Hab. in hortorum, pratorum, nemorum foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 8 Jul.—10 Aug.; passim; scilicet in Scania ubique frequens; in Ostrogothiæ parœcia Häradshammar & ad Sudercopiam; in Gottlandia ad Kyllej; in Uplandia ad Carlberg prope Holmiam, D. D. *Stenhammar* & *Wahlberg*.

♂♀. Minutus & mollis facile corrugatur, unde post mortem difficilis examinatu. Abdomen aurantiaco-flavum, dorso interdum fusco-maculatum. Palpi flavescentes. Pedes cum coxis & tarsis pallide flavi, inermes, tibiis posterioribus spinulosis. Metatarsus posticus inermis, articulo sequenti longitudine subæqualis. Thorax supra virescens, griseo-pilosus.

101. *D. bicolorellus:* thoracis postici impressi dorso nigro-setoso, scutello fronteque virescentibus; epistomate albo; antennis brevissimis testaceis, apice fuscis; abdomine pedibusque albo-flavis, illo fasciis 3 obscuris; alis hyalinis, nervis longit. 3 & 4 parallelis, transverso in medio alæ sito. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: epistomate angustissimo; abdomine angusto, cylindrico, ano rotundato, vix incrassato;

Fem.: epistomate latiore; abdomine subdepresso.

Argyra bicolor Stæg. in litteris 22 Maj. 1841.

Hab. in Suecia meridionali & media, rarius, 24 Jun., 31 Jul., 6 Aug., & 10 Sept. captus; scilicet in Scania ad Abusa & Esperöd; in Gottlandia ad Martebo. — E Dania uterque sexus etiam a D. *Stæger* missus.

♂♀. Similis priori, a quo abdominis incisuris posterioribus fuscis, pedibus pallidioribus, fere albescentibus, alarum nervis long. 3 & 4 vix l. parum convergentibus, pleuris in utroque sexu glaucis, thoracis dorso pilis nigris, nec ferrugineis vestito, ut & ano in ♂ simpliciore distingvitur.

Obs. Dolich. bicolor Macq. Buff. 1. 462. 14. & Meig. Dipt. 7. 160. 54. longe alia est species.

105. *D. flavellus:* flavo-testaceus, thorace postice foveola viridi; fronte cana, epistomate albo; antennis brevissimis, ore subexserto pedibusque pallide flavis; alis flavescenti hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subconvergentibus, transverso fere in medio alæ sito. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: epistomate angustissimo; ano rotundato, parum incrassato;

Fem.: epistomate latiore; ano simplici.

Var. a. ♂♀. thoracis dorso flavo, fovea postica viridi. *D. tenellus* Wiedem. Zool. Magaz. 1. 73. 20. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 69. 21. *D. tenellus* var. *β.* Fall. Dolich. 22. 34.

Var. b. ♂♀. thoracis dorso flavo, macula discoidali plus minus dilatata, virescente. *Medeterus tenellus* Macq. Buff. 1. 455. 14.

Hab. in pratis & lucis, foliis fruticum insidens & reptans, per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jul. —22 Aug., passim; scilicet var. a. in Scania ad Abusa, Esperöd &c., sat copiose; in Ostrogothia ad Sudercopiam, Häradshammar & Gusum, D. D. *Stenhammar* & *Wahlberg*, in Gottlandia ad Martebo; e Dania a D. *Stæger* missus. Var. b. ad Esperöd rarius inveni.

♂♀. Magnitudine parva, ore exserto, colore corporis ochraceo & thoracis foveola ante scutellum viridi, nitido, ab affinibus præcipue & facile dignoscitur. Antennæ apice sæpe fuscæ. Frons albo-micat. Abdomen interdum fusco-maculatum. Nervi longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli, sed versus apicem leviter appropinquantes; transversus paullo ante medium alæ situs. Tarsorum articulus ultimus obscurus.

106. *D. flavicollis:* thorace ochraceo; fronte cinerea, epistomate albo; antennis brevissimis, nigricantibus, basi dilutioribus; palpis exsertis pedibusque totis pallide flavis; abdomine obscuro, ventre pallescente; alis longitudinalibus 3 & 4 rectissimis, parallelis. ♂♀. (Long. ½ lin.).

Porphyrops Meig. Dipt. 1. 56. 24. ♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Succiam meridionalem & mediam, 10 Jul.—12 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, & Esperöd in parœcia Tranås, rar.; in Ostrogothia ad Lärketorp, parce; in Ölandia rarissime.

♂♀. Valde minutus. Os subexsertum, thorax silaceus, abdomen fuscum, nervi longitudinales 3 & 4 rectissimi & paralleli vel potius versus apicem sensim subdivergentes, speciem denotant. — Nervus longit. 4:tus in apice vel si mavis mox pone summum apicem, excurrens; transversus in medio alæ situs. Metatarsus posticus articulo sequente fere paullo brevior. *Mas:* epistomate angustissimo, ano subincrassato. — Similis *Rhaphio pallido* n:o 22.

Tribus secunda. Epistoma inæqualiter latum seu versus partem inferam sensim latius. Antennæ apice obtusæ, seta biarticulata. Os subdescendens. Alarum nervus longit. 4:tus flexus paullo ante apicem alæ excurrens. *Mas:* metatarso antico elongato, reliquis articulis tarsorum anticorum brevibus; cauda magna, inflexa apice lamellifera. *Ammobates* Stann. Species hujus Tribus valde affines sunt speciebus 72—75 seu *Sybistromæ* Auct.

107. *D. plumipes:* cinereo-æneseens, subnitidus, fronte concolore; epistomate albo; antennis longitudine capitis transversi, nigris, articulo basali subtus fulvo; pedibus nigro-æneis, femoribus apice, tibiis tarsisque basi late, flavo-ferrugineis; alis hyalinis, nervo long. 4:to obtuse geniculato. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: epistomate argenteo; antennis longitudine capitis; alis parvis, brevibus, vitreis, nervo transverso leviter infuscato; cauda magna, inflexa, nigra, squamis (lamellis) 6, quarum interioribus 4 minoribus, fuscis, exterioribus 2 duplo longioribus, nigris, undique sat dense nigro-ciliatis; tarsorum anticorum articulis 4 ultimis brevibus nigris & nigro-plumosis, unguibus albis;

Fem.: epistomate cano; antennis capite paullo brevioribus; alis majoribus, longioribus, hyalinis, nervo transverso & puncto, ubi nervus 4:tus fractus, fuscedine evidentiori cinctis, ut & tarsorum anticorum articulis 4 ultimis brevibus, nigris, subcrassis, breviter pubescentibus, sed non plumosis; in copula.

Fall. Dolich. 14. 13. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 87. 23. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 711. 15. ♂♀. *Ammobates* Stann. Dolich. in Isis 1831. p. 268. 1. ♂♀. Stæg. Dolich. 9. 1. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, 25 Jun.—26 Aug., passim, littora maris & ripas lacuum arenosas præsertim amans; in copula; scilicet in Scania ad Silfäkra, Raflunda, Sandhammar &c., frequens; in Ostrogothia ad lacum Wettern haud raro; ad prædium Gottenvik, D. *Stenhammar*; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Lummelund, Lausmyr, Fardhem, Ruthe &c., freq.; in Helsingia ad lacum Löfvik, copiose; in Lapponia Tornensi rarissime, D. ***Deutsch.*** In Dania ad lacum Fredriksdal quoque captus erit, teste D. *Stæger.*

♂♀. Robustus, obscurus. Epistoma in utroque sexu fere æqualiter latum. Antennarum seta in medio articuli ultimi inserta, nuda, basi crassior, apice capillaris; articulus antennarum basalis fulvo-flavus, linea superna nigra. Os nigrum, palpis cinereis. Thorax supra setulosus, sublineatus, in individuis illæsis ferrugineo-indutus. Abdomen æneum nitidum, fasciis cupreis. Alarum stigma nullum, sed nervus costalis totus crassus, ater. Nervi long. 3 & 4 ante apicem

sat approximati, ad costam fere coëuntes; transversus paullo pone medium situs, sat longus, leviter arcuatus. Squamæ sub alis & halteres, pallida, illæ nigro-ciliatæ. Pleuræ canæ, nitidæ. Coxæ schistaceæ. Femora nigro-æneа, apice antica mediocriter late, intermedia late, postica anguste, ferruginea; omnia tota breviter pubescentia, subtus subciliata, basi valida, intermedia ad apicem spinulis 1—2, postica spinulis 4—6, armata. Tibiæ flavæ, apice nigræ, totæ sat dense nigro-spinosæ. Tarsi nigri, metatarsis basi late ferrugineis, postico inermi, articuloque sequente parum breviore. — Oculi in vivo aureo-virides cæruleo-micantes.

Var. b. ♂. Simillimus var. a., sed differt alis hyalinis, nec vitreis, punctis fuscis paullo magis perspicuis (fere ut in ♀ varietatis a.), tarsorum anticorum articulis: 1:mo paullo validiore, apice latius nigro, 2—5 validis, atro-pubescentibus, sed non plumosis. Vix species distincta. — Cum var. a. in Scania ad Silfåkra captus; etiam ad diversorium Ås Jemtlandiæ unicum individuum d. 11 Aug. 1810 a D. *Dahlbom* deprehensum.

108. *D. notatus:* cinereo-æenescens, parum nitidus, fronte concolore; epistomate argenteo; antennis longitudine capitis transversi, nigris, articulo basali subtus fulvo; pedibus nigro-æneis, femoribus anterioribus apice, tibiis omnibus basi late, metatarsisque intermediis basi anguste, ferrugineis; alis hyalinis, nervis: costali ad basin incrassato, atro, longitudinali 4:to levissime flexo. ♂. (Long. 2 lin.).

Ammobates Stann. Dolichop. in Isis 1831. 269. 2.

Hab. in Succia meridionali & media rarissime; in littore maris baltici ad Esperöd in paroecia Mellby d. 12 Aug. 1818 mas semel a me lectus; in Bahusia ad Marstrand uterque sexus d. 10 Aug. 1842

a D. *Wahlberg* captus; & femina in insula Bornholm mense. Sept. inventa erit, testante Nobiliss. *Stæger.*

♂. Priori valde similis & affinis, sed constanter differt: femoribus anterioribus apice angustius ferrugineis, posticis fere ad summum apicem ænescentibus, tarsis omnibus fere totis atris, metatarsis tantum intermediis basi anguste ferrugineis, tarsorum anticorum articulis 4 ultimis crassis, non vero plumosis, ut & alarum nervo costali inter radicem alæ & exitum nervi auxiliaris, incrassato atro (& id in utroque sexu). Epistoma apice subdescendens, os supertegens. Abdominis incisuræ nigræ. Squamæ anales 2 externæ nigræ forte paullo minores sunt quam in præcedente; internæ occultæ. Femora posteriora versus apicem spinulis 3—5 armata. Tibiæ posticæ basi etiam nigræ. Alarum nervus 4:tus parum flexus, unipunctatus cum 3:tio ante apicem alæ ad costam fere coit. Nervus tranverssus fere rectus, nec arcuatus, leviter fuscedine cinctus. Reliqua ut in *D. plumipede.*

Obs. Cel. *Stannius* l. c. etiam feminam *D. notati:* mari similem, "epistomate paullo latiore, minus nitente, antennis paullulum brevioribus, stigmate alarum minus distincto" dignotam describit, a me non visam.

Obs. Sub impressione harum pagellarum per litteras mihi notum fecit Cel. Prof. *Wahlberg*, se in littore maris arenoso humectato ad Marstrand Bahusiæ d. 10 Aug. 1842 *Ammobatem insignem* Stann. in utroque sexu invenisse. Hunc igitur Faunæ Scandinaviæ rarissimum *Dolichopum* venia Detectoris libro meo insero cum hac diagnosi:

109. *D. insignis:* ferrugineo-ænescens, capite ochraceo; antennis capite nonnihil longioribus, nigris, articulo 1:mo flavo; pedibus flavo-ferrugineis, coxis, femoribus basi, tibiis posticis & articulis omnibus tarsorum posteriorum apice nigro-fuscis. (Long. circit. 2 lin.).

Mas: tarsorum anticorum articulo 1:mo elongato, tenui, reliquis brevibus, dilatatis, nigro-plumosis; squamis analibus nigris & nigro-ciliatis.

Ammobates Stann. Dolichop. in Isis 1831. 270. 3. ♂. Stæg. Dolich. 12.

Hab. in Bahusiæ littoribus marinis mens. Aug. D. Prof. *Wahlberg*.

---

61. PSILOPUS Megerl.

Corpus minoris magnitudinis valde angustum, omnibus partibus teneris & gracilibus. Antennæ breves, articulo ultimo parvo, patelliformi, puberulo, seta mox ante apicem inserta, subnuda. Os subexsertum. Oculi in utroque sexu plerumque undique late remoti, semper nudi *) in vivo virides. Nervus long. 4:tus subfurcatus, furcæ ramulo altero abbreviato h. e. non usque ad summum marginem interiorem continuato, altero geniculatim ad costam flexo, ibique cum nervo 3:tio coëunte. Nervus transversus pone medium alæ situs. Squamæ sub alis minutæ, pallide ciliatæ. Halteres pallidi. Pedes subpubescentes, subinermes (præter femora antica subtus pilosa). Metatarsus posticus articulo sequenti subæqualis. Tibiæ parcissime spinulosæ. Femora postica ad apicem spinula solitaria. *Color* corporis cinerascens, virescens vel pallide ænescens, pedum flavus. *Motu* agilis. *Habitatio* in foliis fruticum & sæpibus. *Differentia sexus; mas:* major, epistomate sæpe angusto, abdomine angusto, subfiliformi, cauda inflexa, apice sublamellifera l. filifera; *femina:* epistomate latiore, ano simplici.

1. *Ps. tipularius:* pallide virescens; capite albido; antennis flavis, apice subfuscis; pedibus cum coxis pallide flavis, metatarso postico articulo sequente duplo longiore; alis hyalinis, nervi long. 4:ti furca ramulo in-

---

*) oculi Dolichopodum nudi hospitium in siccis, puberuli habitationem in humidis l. ad aquas plerumque produnt.

feriore fere ad marginem interiorem continuato, superiore subangulatim in summo apice excurrente ibique nervo 3:tio approximato. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 1¾ lin.).

Mas: epistomate valde angusto; alis dilatatis; cauda magna, nigra, apice filis 2 brevibus nigris l. fuscis, pilosis, at appendicibus ceteris retractis; femoribus anticis subtus versus apicem longe pallide ciliatis, ciliis versus medium decrescentibus; tibiis intermediis elongatis, tarsis ejusdem paris longissimis, articulo 1 longo, 2 dimidio breviore, flavis, 3 longitudine antecedentis, paullo crassiore, albo, diaphano, 4 paullo breviore, crassitie fere antecedentis, basi albo, diaphano, dimidio apicali nigro-brunneo, & 5 brevissimo, nigro;

Fem.: epistomate paullo latiore; alis anoque simplicibus; femoribus anticis subtus versus basin vel fere in medio spinis 5 erectis, remotis, pallidis armatis; tibiis tarsisque brevioribus, simplicibus, flavis, horum articulis 2 ultimis brevibus, fuscis; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 714. 1. ♂♀. *Leptopus* *) *tipularius* Fall. Dolich. (anno 1823) p. 23. 1. ♂♀. — *Dolichopus platypterus* Fabr. Antl. 270. 20. sexus tantum femin. — *Psilopus platypterus* Meig. Dipt. (1824) 4. 36. ♂♀. T. 31. f. 14. ♂. — Macq. Buff. 1. 448. 1. ♂♀. — (Sub nomine *Sciapus tipularius* ♂♀ e Glogavia a D. *Zeller* nuperrime etiam communicatus).

Hab. in Suecia, 29 Jun.—1 Sept., passim, in foliis fruticum currens, in copula deprehensus; scilicet in Scania ad Räften, Lindholmen, Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Gusum, passim, & ad Skönberga prope Sudercopiam a D. *Stenhammar* captus; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*;

---

*) *Leptopus* est etiam nomen Hemipteri generis.

in Gottlandia ad Gothem & Garde, minus frequens; deinde valde rarescit & in provinciis magis borealibus non nisi parcissime inventus.

♂♀. Frons virescens, cano induta. Palpi flavi. Vertex & thorax setosi. Abdomen fasciis incisuralibus fuscis. Venter basi flavus. Nervus transversus longiusculus, non exactissime rectus. Stigma costale nullum. Coxæ subalbidæ, anticæ latere antico pilis brevibus, flavis, nitidis obsitæ. Metatarsus posticus articulo sequente fere duplo longior, præsertim in ♂.

Obs. Sub nomine: "*Psilop. crinipes* Winthem. apud Meig. 6. 361. 9." specimen femineum a D. *Stæger* 1837 e Dania obtinui, quod non nisi ♀ *Ps. tipularii* est.

2. *Ps. Wiedemanni:* pallide virescens; capite albido; antennis flavis, apice fuscis; pedibus cum coxis flavis, tarsis obscuris, metatarsis flavidis, horum postico articuloque sequente subæquilongis; alis hyalinis, nervi longitudinalis 4:ti furca ramulo inferiore non ad marginem interiorem continuato, superiore subarcuatim in apice excurrente ibique nervo 3:tio approximato. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{4}$, ♀ 2 lin.).

Mas: epistomate lato (fere latiore quam in ♀ prioris); cauda parva, inflexa, cinerascente, appendicibus apicalibus fuscotestaceis; femoribus anticis subtus a basi ad medium longe sed parce pallide pilosis; tarsis anticis elongatis, pallescentibus, articulo 1 longissimo, 2 & 3 æquilongis, simul sumtis vix longitudine antecedentis, 4 adhuc breviore, apice bifido, lobo nigro, & 5 brevissimo, atro, simplici;

Fem.: epistomate latitudinem epistomatis maris parum superante; femoribus subtus a basi ad medium spinis 6 erectis, remotis, pallidis armatis; tarsis anticis subelongatis, tenuibus, simplicibus, nigris, metatarso flavido; in copula.

Meig. Dipt. 6. 360. *Leptopus* Fall. Dolich. 24. 2. ♂♀. (minime *Dolichopus nervosus* Lehmann Dissert. 40.

neque *Psilopus* idem Meig. Dipt. 4. 36. 3. ♂♀. Macq. Buff. 1. 449. 2. ♂.)

Hab. in hortis & nemoribus, per Sueciam meridionalem & mediam, 28 Jun.—16 Aug., passim, in fenestris mares errabundi interdum quoque visi; in copula captus; scilicet in Scania ad Lund, Marklunda, Lindholmen, Esperöd, Östra Torp prope Trelleborg &c., vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena & Omberg, frequens; in Gottlandia ad Wamblingbo, Hafdhem, Thorsborg, Eke, Nähr, Fårön, Lärbro, Stenkyrka & Lummelund, copiose; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; sed in provinciis Sueciæ borealibus a me non inventus. — (Specimina, quæ circa Hamburgum legit D. *Dahlbom* nostris Suecicis simillima).

♂♀. A præcedente, cui de cetero similis, differt: antennarum apice paullo obscuriore, pedibus minus albido-flavis, tarsis, exceptis metatarsis, nigricantibus, tarsorum posticorum articulis 1 & 2 basalibus subæqualiter longis, ramulo inferiore furcæ nervi longitudinalis 4:ti longe ante marginem interiorem cessante (nec usque ad marginem ducto), superiore paullulum ante summum apicem excurrente, epistomate in utroque sexu fere æqualiter lato, ut & in ♂ alis simplicibus, femoribus anticis subtus parcius pilosis, tarsorum anticorum articulo penultimo bifido, cauda minore, & in ♀ femoribus anticis (in illæsis) subtus spinis 6 (nec 5) armatis. — Oculi in vivo virides, angulo superiore aureo-fulgido. Alarum nervi validi. Fila analia in ♂ 2 subsquamæformia, breviuscula, flava, ciliata, & appendices variæ, ferrugineæ. — *Obs. Psil. nervosus* Meig. ♂, qualem a D. *Zeller* obtinui, a nostro *Ps. Wiedemanni* differt: epistomate multo latiore, antennis apice parum infuscatis, scutello chalybeo, nervis 3 & 4 long. ad apicem multo minus approximatis, metatarso postico articulo sequente paullo longiore, ut

& squamis analibus 2 longioribus, filiformibus, pilosis, fuscis; nec talem in Scandinavia inveni.

3. *Ps. contristans:* opacus, thorace griseo; capite albo; antennis flavis, articulo ultimo nigro; abdomine æneseenti cano, dorso fasciis brunneis; pedibus cum coxis flavis, tarsis nigricantibus simplicibus, metatarsis dilutioribus; alis hyalinis, nervi longit. 4:ti furca: ramulo inferiore non ad summum marginem interiorem continuato, superiore subangulatim in apice excurrente ibique nervo 3:tio distincte incurvato valde approximato. ♂♀. (Long. ♂ 1½ fere 2, ♀ 1½ lin.)

Mas: epistomate fronteque latis, argenteis; abdomine cylindrico, valido, segmento, 1:mo in medio canaliculato, cauda parva, inflexa, nigra, appendicibus variis brevibus obscuris; femoribus omnibus subtus nudis;

Fem.: epistomate argenteo & fronte grisea, paullo latioribus; abdomine subconico, depressiusculo, ano simplici, femoribus anticis subtus spinis 6, erectis, remotis, flavis.

Dolichopus contristans Wiedem. Zool. Mag. 1. 72. 19. ♂♀. *Leptopus* Fall. Dolich. 21. 3. ♂♀. secundum specimina pleraque in collectione. — *Psilopus regalis* Meig. Dipt. 4. 35. 1. ♀.

Hab. in Suecia minus frequens, 2 Jul.—20 Aug. obvius; in Scania ad Lund & Esperöd; in Ostrogothia in prato Medhamra prope Wadstena; in Ölandia, teste D. *Wahlberg*. (Circa Hamburgum specimina omnino ejusdem Jul. 1838 legit Præclariss. *Dahlbom.*)

♂♀. Prioribus paullo minor. Color corporis cano-grisescens, opacus, corpus supra nigro-, subtus albo-pilosulum, oculi late distantes, interstitio albo disjuncti, nervi 4:ti furcati ramulus superior valde curvatus fere in apice excurrens ibique sat intime cum 3:tio distincte inflexo conjunctus, inferior paullulum ante marginem interiorem cessans, abdo-

men fasciatum, tarsi simplices, fere toti fusci vel brunnei, ut & femora antica subtus in ♂ nuda, in ♀ 5-spinosa, speciem præprimis distingvunt. — Palpi flavi. Abdominis fasciæ brunneæ ad segmentorum basin sat latæ.

Obs. Synonymon Falleni certum. Forte etiam Wiedemanni, nam pedes *simplices* & ceteræ notæ quadrant. Sed Meigeni *Psil. contristans* 4. 37. 4. ♂♀. sine dubio alius, "abdomine aureo-æneo & maris articulo 4:to tarsorum anticorum apice atro bilobato", a nostro distinctus. Nec talem in Scandinavia inveni.

4. *Ps. zonatulus:* opacus, thorace fronteque griseis; epistomate lato, cano; antennis flavis, articulo ultimo nigro; abdomine viridi, nitidissimo, antice opaco, fasciis 4 atro-purpureis; pedibus cum coxis flavis, tarsis nigricantibus, metatarsis pallidis, femoribus anticis (♀) subtus 5-spinosis; alis hyalinis, nervi longitudinalis 4:ti furca: ramulo inferiore fere ad marginem interiorem obsolete continuato, superiore subangulatim in apice excurrente ibique nervo 3:tio distincte incurvato valde approximato. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime, in Scania ad Lund mense Jul. 2 individua legi.

♀. Simillimus antecedenti, a quo epistomate sordide cano, abdominis segmentis 2—5 apicalibus subcærulescenti viridibus, nitidissimis, basi nigro-fasciatis, fere unice distingvitur. In speciminibus lustratis sub femoribus anticis 5 tantum spinulæ flavæ adsunt. Coxæ intermediæ extus dilute cinereæ. Tarsorum posticorum articuli 2 basales æqualiter longi, omnino ut in priore, cujus tamen varietatem detritam haud existimem.

5. *Ps. lugens:* læte viridis, subnitidus, epistomate lato fronteque albo-micantibus; antennis flavis, articulo

ultimo nigro; pedibus cum coxis flavis, tarsis nigricantibus; metatarsis flavidis, femoribus anticis (♀) subtus 4-spinosis; alis hyalinis, nervi longit. 4:ti furca: ramulo inferiore ad marginem interiorem obsolete continuato, superiore subangulatim fere in apice excurrente ibique nervo 3:tio distincte incurvato sat approximato. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 38. 6.?

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund specimen unicum ipse inveni. E Dania a D. *Stæger* individum femineum sub nomine allato quoque obtinui. (E Glogavia a D. *Zeller* absque nomine missus).

♀. Parvus. Similis priori, sed in variis differt. Epistoma album. Frons viridis, nitida, albo-micans. Thorax læte viridis, nigro-setosus, nitens, certo situ levissime ferrugineo-micans. Abdomen viride. Pleuræ glaucæ. Alæ ut in præcedente. Femora antica subtus in speciminibus 3 lustratis spinas pallidas tantum 4 in singulo habent (an in his spinula 5:ta casu avulsa?). — An varietas sequentis? Venter flavus.

Obs. Secundum *Meigen* l. c. mas, quem non vidi, tantum coxis posterioribus læte cinereis a femina distinctus erit.

6. *Ps. longulus:* obscure viridis, nitidissimus, fronte concolore aut cyanea; epistomate lato, albescente; antennis flavis, articulo ultimo nigro; pedibus cum coxis flavis, tarsis simplicibus, nigricantibus, femoribus anticis subtus 5-spinosis; alis hyalinis, nervi long. 4:ti furca: ramulo inferiore obsoletissime ad marginem continuato, superiore subangulatim fere in apice excurrente ibique nervo 3:tio distincte incurvato sat approximato. ♂♀. (Long. ♂ vix $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{1}{3}$ lin.).

Mas: abdomine valde angusto, filiformi, ventre anguste flavo, cauda parva parum inflexa, fusca, appendicibus apicalibus pluribus, ferrugineis;

Fem.: abdomine paullo latiore, posterius attenuato, ventre latius flavo, oviductu subexserto, ferrugineo.

Meig. Dipt. 6. 361. 10. *Leptopus* Fall. Dolich. 24. 4. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum etiam in graminosis, locis umbrosis, 4—28 Jul., per Sueciam meridionalem & mediam, passim; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Lindholmen, Esperöd, &c., sat frequens; in Ostrogothia rarissime inventus; in Gottlandiæ pratis ad Gothem a D. *Dahlbom* lectus.

♂♀. Angustus, tener. Priori valde affinis. Epistoma latum, in fundo cyanescens l. viride; albo-pollinosum. Frons lata, plerumque cærulescens, nitidissima. Torax & abdomen viridia, nitidissima, sæpissime detrita, sed in illæsis pruina ferruginea levissime vestita. Alæ ut in præcedente, sed ramulus inferior nervi furcati obsoletior, basi tantum conspicuus, versus marginem evanescens. Coxæ intermediæ extus læte cinerascentes. Tibiæ & tarsi graciles, simplices. — Oculi maris in vivo aureo-virides, macula in cantho anteriore (versus antennas) magna, determinata, purpurea. — A *Ps lugente* Meig. hæc species parum differre videtur.

Obs. Sub nomine *Sciapus lobipes* Meig. speciem nuper (1842) e Glogavia a D. *Zeller* accepi, cujus ♂ nostro *contristanti* præter articulum 4:tum tarsor. anticor. lobatum sat similis est, & cujus ♀ a nostra *lugente*, cui affinis videtur, differt: magnitudine paullo majore, thorace magis griseo, nec viridi, ut & spinulis 4 sub femoribus anticis nonnihil magis approximatis, h. e. locatis in serie a femoris basi & vix ad medium extensa, nec ut in *lugente* a femoris basi & ultra medium extensa. Hic autem *lobipes* in Scandinavia hactenus frustra quæsitus.

62. CERIA Fabr.

Corpus majoris magnitudinis, cylindricum, subtiliter punctulatum, opacum, glabrum. Antennæ capite transverso duplo & ultra longiores, articulo ultimo fusiformi, stylo apicali brevissimo. Oculi nudi. Epistoma tuberculatum, infra oculos descendens. Pedes subglabri & inermes. Alarum nervus long. 4:tus angulatim flexus, angulo appendiculato; transversales, qui areas 2 posticas terminant, parum curvati. *Color* niger, abdomine flavo-fasciato. *Motus:* volatus celer; insectum sedens alas vibrat. *Habitatio* in floribus; succum arborum etiam libenter hauriens. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte angulo cohærentibus; ♀ oculis in fronte late distantibus.

1. *C. conopsoides:* atra, capitis pectorisque maculis, scutelli linea transversa, genubus abdominisque segmentis tribus margine apicali, flavis; alis vitta costali brunnea; petiolo antennarum elongato. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 160. 2. ♂♀. t. 22—25. Latr. gen. 328. Macq. Buff. 1. 481. 1. ♂♀. *Musca* Lin. Fn. 1790. Schrank Enum. 440. 895. *Syrphus conopseus* Panz. Fn. 44. 20. ♂. *Ceria clavicornis* Fabr. Antl. 173. 1. Fall. Syrph. 6. 1. ♂♀.

Hab. in Suecia, 22 Jun., 15 Jul., 20 Aug., rarius; in floribus at imprimis in succo destillante arborum Quercus obvia; scilicet in Scania ad prædium Beckaskog, D. *Fallén;* in Blekingia ad Skillinge, D. *Dahlbom;* in Smolandia ad Berga Calmariæ, ipse; in Ostrogothia: ad Lärketorp & Wadstena; ut & ad Gusum, D. *Wahlberg*, nec non ad Sudercopiam & in Häradshammar, D. *Stenhammar.*

♂♀. Atra; flava sunt: epistomatis latera, puncta frontis & verticis, macula utrinque pectoris, linea pleurarum verticalis, fasciola scutelli, abdominis ima basis (ad latera latius), & segmenta 2, 3 & 4 margine apicali, halteres, trochan-

teres, femorum basis & apex, tibiarum basis, & metatarsi antice. Antennæ ima basi ferrugineæ. Pedes simplices, femoribus posticis in ♂ subserrulatis. Var. puncto humerali flavo.

---

63. CALLICERA Meig.

Corpus magnum, latiusculum, pubescens, abdomine fornicato. Antennæ capite duplo longiores, porrectæ, seta apicali breviuscula. Epistoma paullo descendens, apice emarginatum, tuberculo ante aperturam distincto. Oculi magni, hirti (♂). Ocelli in triangulum dispositi. Alarum nervi fere ut in *Chrysotoxo*, at 4:tus longitudinalis omnino rectus. Pedes simplices, inermes. *Color* æneus. *Motus:* volatus celerrimus. *Habitatio* in floribus, per Sueciam mediam. *Differ. sexus; mas:* oculis in fronte connexis, hirtis, linea media transversa nigra; *femina:* oculis sejunctis, nudis, immaculatis.

1. *C. ænea:* ænea, nitida, flavo-tomentosa, thorace supra nigro; antennis atris, apice albidis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 155. 1. t. 26. f. 17. 20. ♂♀. Panz. Fn. 101. 17. ♂ (figura non bona). — Latr. gen. 4. 328. Macq. Buff. 1. 485. 1. *Bibio* Fabr. Antl. 66. 2. *Syrphus auratus* Ross. Fn. Etr. 2. p. 415. 1462. ♀. t. 10. f. 4 (figura mala).

Hab. in floribus Allii fistulosi, Pastinacæ sativæ &c., omnium rarissime; per Sueciam mediam mense Julio aliquoties visa; scilicet in Westrogothia: ad Roo, Kinnekulle & Olleberg, D. Prof. *Dalman*, ad Gothoburgum, D. Consiliar. a Statu *Fåhræus*; in Gottlandia in folio fruticis Corni albæ ad Gothem d. 5 Jul. 1819, ipse. — In montosis & aridis libenter, ut videtur, versatur.

♂♀. Antennæ nigræ, seta alba. Scutellum semicirculare, muticum. Pedes lutescentes, femoribus ultra medium tarsisque apice nigris. Alæ immaculatæ, versus costam lutescentes, nervis nonnullis luteis, aliis nigris. Halteres albi, squama concolore, flavo-ciliata.

---

64. CHRYSOTOXUM Meig.

Corpus majoris magnitudinis, ovato-oblongum, pubescens, nitidum. Antennæ capite longiores, seta dorsali nuda. Epistoma infra oculos parum descendens, subtuberculatum, apice late emarginatum. Oculi nigro-brunnei, sæpissime hirti. Scutellum inerme. Abdomen fornicatum. Alarum nervi longitudinales 3 fere usque ad marginem interiorem extenduntur. *Color* niger; pictura determinate flavo-fasciata. *Motus:* volatus velox. *Habitatio* in floribus. *Metamorphosis* haud rite cognita. *Differentia sexus*; *mas:* oculis in fronte connexis; *femina:* oculis late sejunctis.

*) Abdomen latum, ovatum vel ovale.

1. *C. marginatum:* hirtum nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli linea antica, abdominisque cingulis 6 liberis, flavis, horum 4 interruptis; alarum costa obscure testacea; ano pedibusque totis, luteis. ♂♀. (Long. 5—5½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 171. 5. ♀. Zett. Ins. Lapp. 587. 1. ♂♀. Lœw in Ent. Zeit. Stett. 1841. p. 160. *Syrphus arcuatus* Panz. Fn. 2. 10. ♀. *Mulio fasciolatus* Fall. Syrph. 5. 1. ♂♀.

Hab. in nemoribus graminosis per Scandinaviam, 14 Jun.—28 Aug., minus frequenter, & ♂ rarissime; scilicet in Ostrogothia ad Gusum & in Häradshammar; in Ölandia rar.; in Gottlandia ad Röstede rar.; in Uplandia ad

Holmiam, teste D. *Wahlberg*; in Botnia boreali ad Haparanda & Turtola; in Lapponia Umensi ad Stensele & Wilhelmina, & in Tornensi ad Muonioniska; in inferalpinis Nordlandiæ & Finmarkiæ Norvegicæ ad Björkvik & Bossekop, passim: in floribus Cardui &c.

♂♀. Maximum nostratum in hoc genere. Nigrum, hirtum. Epistoma flavum, vitta media denudata atra. Frons feminæ in medio maculis 2 cinereis. Oculi in utroque sexu hirti. Antennæ nigræ, articulo ultimo antecedentibus simul sumtis fere nonnihil longiore; seta rufa. Thorax maculis 6 flavis, nempe 2 humeralibus, 2 ad scutellum & 2 pectoralibus. Scutellum nigro-brunneum, linea transversa antica flava. Abdominis fasciæ 6 liberæ, flavæ, quarum 3:tia & 5:ta integræ, reliquæ anguste interruptæ. Segmentum anale macula magna triangulari lutea, fere totum segmentum occupante. Alæ hyalinæ, costa distincte fusca, fuscedine ad apicem extensa; basi pallidiore. Nervi: 4:tus longitudinalis & ille, qui aream primam terminat, modice curvati, at aream secundam terminans subrectus. Halteres & squamæ pallida. Pedes lutei, coxis & trochanteribus nigricantibus. Thorax antice in medio dorsi lineolis 2 abruptis, albidis in individuis illæsis.

2. *C. fasciolatum:* hirtum nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo abdominisque cingulis 6 ad latera connatis, flavis, horum 4 interruptis; alarum costa testacea; ano pedibusque luteis, his basi nigricantibus. ♂♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 170. 4. ♀. (excl. forte syn. Fabr. & Deg.) — Zett. Ins. Lapp. 588. 2. ♂♀. Macq. Buff. 1. 490. 5. ♂♀. *Mulio fasciolatus* Fall. Syrph. 5. 1. var. *β. C. hortense* Meig. Dipt. 3. 173. 8. ♂. an hujus nostræ speciei mas?

Hab. in lucorum fruticibus & floribus Pastinacæ &c. per Scandinaviam mediam & borealem, 22 Jun.—25 Aug.,

passim frequens; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, Jonsberg & Gusum rar.; in Westrog. ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Ruthe & Ahlskog rar.; in Jemtlandia ad Berge, Säther, Hofverberget usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellet, vulgare; in Lapponia Umensi ad Stöttingsfjellet & Lycksele, in Tornensi ad Muonioniska, passim; in Norvegia a Næs & Garnæs Værdaliæ usque ad Björkvik prope Ofotenfjord Nordlandiæ & Bossekop Finmarkiæ occidentalis, frequens.

♂♀. Simillimum *C. marginato*, sed magnitudine fere duplo minore, thoracis maculis lateralibus flavis in primis postica longioribus, lineam lateralem in medio anguste interruptam formantibus, scutello flavo, disco transversim brunneo, abdomine brevi, rotundato-ovato, fasciis flavis ad latera connexis, alarum costa testacea, nec fusca, qui color non ad apicem extenditur, ut & femoribus basi nigricantibus, certe ab illo distinctum. Segmentum anale flavum, linea nigra bifurca notatum.

Obs. Testante D. *Wahlberg* in litteris, *C. fasciolatum* Meig. & *hortense* Meig. vere distinctæ erint species & ambæ in utroque sexu ad Gusum Ostrogothiæ lectæ. Hoc igitur in dubium revocare non decet. Sed specimina comparare mihi ipsi licitum non fuit. Mihi tantum una forma (descripta) in Scandinavia obvenit, quæ si ad *fasciolatum* aut *hortense* Meig. rectius referenda sit, dijudicare nolo. — Specimen unicum femoribus posticis totis luteis e Gottlandia vidi, quod tamen abdomine latiore & hirsutiore a sequente facile dignoscitur.

3. *C. intermedium:* glabriculum nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo late, abdominis cingulis 6 ad latera connatis, anoque, flavis, horum 4 interruptis; alarum costa testacea, nervo long. 4:to distincte curvato; pedibus luteis; antennarum articulis subæque longis. ♀. (Long. vix 4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 169. 3. t. 27. f. 6. ♂. *Mulio arcuatus* Fall. Syrph. 5. 2. var. *β.* ♀. genuinum.

Hab. in Ostrogothia rarissime; specimen typicum Fallenianæ descriptionis ante multos annos ad Lärketorp inveni; ad Gusum, Holmiam & Ölandiam etiam a D. *Wahlberg* lectum erit.

♀. A priori, cui alias similis, differt: magnitudine nonnihil minore, abdomine præsertim paullo angustiore, corpore glabriore, antennarum articulis omnibus fere æque longis, scutelli macula centrali minore, determinata, nigra, nec brunnea, abdominis segmento anali fere toto flavo, in medio tantum linea bifurca atra, alar. nervo long. 4:to magis flexo, & pedibus totis lutescentibus. Alarum macula costalis fusca in nostro specimine vix ulla, sed in regione stigmatis punctum fuscum observatur. Femora antica & postica basi subinfuscata. Tibiæ omnes citrini coloris.

4. *C. arcuatum:* tenuiter pubescens nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo late, abdominisque cingulis 4 deorsum arcuatis, interruptis flavis; alarum costa testacea, stigmate fusco, nervo long. 4:to curvato; pedibus luteis; antennarum articulis subæque longis. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ sæpe fere 5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 168. 2. t. 27. f. 7. ♀. Latr. Gen. 4. 327. Macq. Buff. 1. 489. 2. Zett. Ins. Lapp. 588. 3. ♂♀. Löw. Bemerk. p. 26. 1. Ent. Zeit. Stett. 1841. 159. 3. *Musca* Linn. Fn. 1806. De Geer Ins. 6. 125. T. 7. f. 14. ♂. *Mulio* Fabr. Antl. 184. 3. Fall. Syrph. 5. 2. ♂♀.

Hab. in lucorum floribus locis sæpe paludosis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 16 Jun.—21 Sept., haud raro; scilicet in Scania ubique copiose; in Blekingia, D. v. *Borck;* in Smolandia frequens; in Ostrogothia vulgare; in Ölandia haud raro; in Gottlandia pass. ex. gr. ad Wamblingbo, Nähr & Ruthe, D. *Dahlbom;* in Uplandia

ad Holmiam, D. *Wahlberg;* deinde rarescit, & in provinciis magis borealibus non nisi parcissime obvium. In Dania, D. *Stæger.* (Ex Hamburgo a D. *Thorey* & e Glogavia a D. *Zeller* missum).

♂♀. *C. fasciolato* paullo longius & angustius, minus hirtum. Caput ut in *marginato.* Antennæ longæ ut in *intermedio* constructæ. Oculi ♂ tenuiter hirti, ♀ subglabri. Macula frontalis supra tuberculum atrum, in utroque sexu gemina cinerea. Thorax & scutellum ut in *intermedio.* Abdominis fasciæ 4 arcuatæ, liberæ, haud latæ. Segmenta: 3, 4 & 5 apice plerumque anguste flavo-marginata. Alarum costæ flavedo terminatur per maculam stigmaticalem fuscam plus minusve perspicuam. Nervus long. 4:tus distincte curvatus. Pedes lutei, coxis & trochanteribus nigris.

5. *C. elegans:* tenuiter pubescens nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo late, abdominisque cingulis 4 interruptis deorsum arcuatis cum segmentorum 3, 4 & 5 lineola apicali ad latera confluentibus, flavis; alarum costa testacea, stigmate nullo, nervo long. 4:to curvato; pedibus luteis; antennarum articulis subæque longis. ♀. (Long. $4\frac{3}{4}$ lin.).

Lœw in Ent. Zeit. Stett. 1841. p. 459. 5. certe.

Hab. in Suecia rarissime; in Gottlandia ad Ruthe in floribus 15 Jul. 1819 semel deprehendi. — (E Vindobona a Cel. Prof. *Lœw* per D. *Zeller* etiam specimen femineum Maj. 1842 obtinui).

♀. Magnitudo, statura angusta, glabrities corporis omnino ut in *arcuato*, cum quo simillimum, sed alarum macula stigmaticali nulla & abdominis arcubus non liberis, sed tribus ultimis cum segmentorum lineola marginali ad latera connexis, vere distinctum videtur.

6. *C. vernale:* tenuiter pubescens nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo late, abdominisque

cingulis 4 interruptis deorsum arcuatis liberis, flavis; alarum costa taestacea, stigmate fusco, nervo long. 4:to modice curvato; pedibus luteis, femoribus anterioribus basi nigris; antennarum articulo medio breviore. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Lœw in Ent. Zeit. Stett. 1841. p. 459. 4. verum.

Hab. in Suecia meridionali & media, 15 Jun.—31 Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Fogelsång & Räften prope Lund 3 mares & 2 feminas inveni; in Blekingia, D. von *Borck;* in Gottlandia ad Ejsta a D. *Dahlbom* individuum unicum captum. (E Glogavia specimina typica utriusque sexus a D. *Zeller* hoc anno accepi).

♂♀. *C. arcuato* iterum valde simile, sed magnitudine fere duplo minore, antennis brevioribus, articulo ultimo quam intermedio fere duplo longiore, alarum macula stigmaticali obsoletiori, nervo long. 4:to minus curvato & femoribus anterioribus basi nigris, facile dignoscitur. Thorax subpubescens, abdomen glabriculum. Lineola apicalis angusta utrinque abbreviata, flava, in segmento 4:to plerumque adest. Oculi ♂ hirtuli, ♀ glabri.

**) Abdomen angustatum, oblongum aut lineare.

7. *C. bicinctum:* subglabrum nigrum, thoracis linea laterali interrupta, scutelli summo margine, abdominisque segmentis 2:do & 4:to fascia arcuata, subintegra, flavis; alarum costa fusca; pedibus flavis, femoribus late nigris. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Var. a. ♂♀. scutello nigro, summo margine flavo.

Meig. Dipt. 3. 168. 1. Latr. Gen. 4. 327. Macq. Buff. 1. 489. 1. Zett. Ins. Lapp. 588. 1. ♂♀. Lœw in Ent. Zeit. Stett. 1841. p. 459. 2. *Musca bicincta* Linn. Fn. 1805. *Mulio* Fabr. Antl. 183. 2. Fall. Syrph. 6. 3. var. α. β. ♂♀.

Var. b. ♂♀. scutello toto nigro.

Panz. Fn. 45. 18. ♂.

Hab. in floribus Umbellatarum & foliis fruticum, per Scandinaviam, 25 Jun.—23 Aug., haud infrequenter; scilicet varietas a. in Scania ad Lund, Lindholmen & Esperöd; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena (var. b.) Medhamra, Gusum, Sudercopiam &c., passim; in Ölandia freq.; in Gottlandia ad Ejsta, Gothem, Fårön, Stenkyrka &c., vulgaris; in Uplandia ad Holmiam; var. b. in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, & in Norvegia ad Næs Værdaliæ rar. — In Dania minus freq., D. *Stæger* (E Schweitz per D. *Konewka* etiam obtinui).

♂♀. Affine & simile *C. arcuato*, sed abdominis fasciis dorsalibus tantum 2 remotis & ventrali unica, & ab hoc & ab aliis mox dignotum. Antennarum articulus 1 longus, 2 brevior, 3 longitudine primi. Thorax subpubescens. Abdomen glabrum. In segmentis 3 & 5 sæpe etiam vestigium fasciolæ flavæ. Segmenta 2 ultima summo margine interdum flavescunt. Alarum macula stigmaticalis elongata fusca plerumque perspicua. Squamæ sub alis fuscæ. Metatarsus posticus obscurus.

8. *C. lineare:* glabrum nigrum, thoracis linea laterali interrupta, abdominisque sublinearis fasciis 4 subrectis, interruptis, flavis; alarum costa testacea, macula stigmaticali fusca obsoleta; pedibus flavis, femoribus basi late nigris. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 173. 9. Lœw Ent. Zeit. Stett. 1841. 159. 2. *Mulio linearis* Zett. Act. Holm. 1819. p. 82. ♂♀. Fall. Dipt. Suec. Suppl. p. 8.

Hab. in Suecia media rarissime; in palude infra arcem Borgholm Ölandiæ d. 7 Jul. 1819 unicum marem unicamque feminam invenimus D. *B. F. Fries* & ipse;

nec nisi hoc par in Scandinavia hactenus detectum, quantum novi.

♂♀. Habitus *Ceriæ*. *Chr. arcuato* affine & simile, sed corpore angustiore, antennis nonnihil longioribus, scutello nigro, abdominis fasciis parum arcuatis & femoribus basi nigris, abunde diversum. Caput ut in *arcuato*, sed antennarum articulus basalis sequente fere dimidio longior. Fasciæ abdominis flavæ angustatæ in segmentis 2, 3 & 4 subrectæ, seu ad latera tantum leviter curvæ, sed in segmento 5:to fascia deorsum arcuata. Venter fascia unica integra & altera interrupta, flavis. Alæ quoad nervorum directionem & picturam omnino ut in *arcuato*. Pedes flavo lutei, coxis, trochanteribus & femoribus a basi fere ad medium nigris. Tibiæ posticæ annulo medio fusco.

---

65. MICRODON Meig.

Corpus majoris magnitudinis, obtuse ovatum, hirsutulum. Caput non tuberculatum. Antennæ medio frontis insertæ, elongatæ, angustatæ, basi approximatæ, articulo 1 longissimo, 2 brevi, 3 longo seta basali nuda. Epistoma latum infra oculos nudos vix descendens. Scutellum emarginatum. Abdomen incurvum, convexum. Areæ discoidales binæ (harum altera per nervum transversum sæpissime abbreviatum subgemina) terminantur prope marginem interiorem nervis valde incurvis. Nervulus tantum unicus, ille scilicet brevis, qui ex area angulari exit, ad ipsum marginem descendit. Pedes breviusculi, validi, simplices. *Color* obscure æneus, pictura vix ulla. *Motu* tardus, nec nisi sole urente volat; tempestate frigidiore sæpe tota die in culmo vel planta immobilem sedentem vidi. *Habitatio* in graminosis, paludosis; etiam in floribus. *Metamorphosis* ignota, sed pupam semel sub cortice arboris captam, & altera vice graminis culmo fixam, hemisphæricam, nudam, subreticulatam, glabram, pellucidam, stramineam, margine ciliatam

& postice tuberculo instructam, inveni. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas angulo subappropinquante modice distantibus, ano rotundato; *femina:* oculis late & fere æqualiter remotis, ano minus obtuso.

1. *M. apiformis:* obscure æneus, antennis atris, thorace ferrugineo-cano-villoso, scutello concolore; abdomine subfasciatim cano-tomentoso; alarum nervis transversis subinfuscatis; halteribus tibiisque pallescentibus. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. tibiis tarsisque flavo-testaceis.

Var. b. ♂♀. tibiis basi albidis, apice tarsisque nigris.

Zett. Ins. Lapp. 589. 1. ♂♀. *Musca apiformis* Deg. Ins. 6. 128. 18. T. 7. f. 18. ♂. *Musca plebeja* Schrank Enum. Ins. Austr. 438. 890. *Musca mutabilis* Linn. Fn. 1807. Descr.? — *Mulio* Fall. Syrph. 4. 1. ♂♀. Fabr. Antl. 184. 4. *Microdon* Meig. Dipt. 3. 161. 2. *Aphritis* Macq. Buff. 1. 187. 2. *Stratiomys conica* Panz. Fn. 12. 21? ♀. An quoque *Microdon micans* Meig. Dipt. 3. 165. 3?

Hab. in graminosis sæpe pratorum humidorum, 29 Jun.—15 Jul., passim; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Gottlandia, D. *Wahlberg*, rar.; in Calmaria ad Berga; in Uplandia ad Holmiam, idem D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Skalstugan; in Lapponia Umensi ad Næstansjö & Stensele; in Lapp. Tornensi ad Juckasjervi, ubi e pupa d. 4 Jul. egressus. (E Schweitz per D. *Konewka* specimen accepi; & sub nomine: *Microd. apiformis* hanc speciem ut frequentem Glogaviæ incolam a D. *Zeller* etiam obtinui).

♂♀. Magnitudo variat; specimina lapponica suecicis plerumque multo minora. Crassus, æneus, villosus, subnitidus. Antennæ capite transverso fere duplo longiores. Thorax & scutellum griseo-tomentosa. Abdomen cano-tomentosum, tomento fascias vel maculas præsertim ad latera perspicuas formante. Alæ abdomine breviores, cinereæ. Squamæ & halteres pallida. Pedes nigri, genubus tibiisque albo-flavis, his apice tarsisque totis testaceis. Tibiæ plerumque annulo medio angusto fusco. Metatarsus posticus incrassatus. Variat rarius tibiis apice tarsisque totis nigricantibus.

2. *M. mutabilis:* obscure æneus, antennis atris, thorace fulvescenti villoso, scutello ferrugineo; abdomine griseo-aureo-tomentoso; alarum nervis transversis subinfuscatis; halteribus, tibiis tarsisque flavis. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Fall. Syrph. 4. 1. var. γ. — Panz. Fn. 82. 21. *Musca* Linn. Fn. 1807. Diagn. — *Musca nova* Schrank Enum. 437. 889. *Mulio apiarius* Fabr. Antl. 185. 9. *Aphritis apiformis* Macq. Buff. 1. 486. 1. *Microdon apiformis* Meig. Dipt. 3. 163. 1.

Hab. in Suecia rarius; in Blekingia 1813, in Gottlandia 1819, & in Ostrogothia ad Läkketorp 1825; mens. Jun. & Julio aliquot specimina utriusque sexus in copula inveni. (Ex Helvetia per D. *Konewka etiam obtinui).*

♂♀. Similis priori, an ejus varietas? Sed differt magnitudine paullo majore, tomento præsertim thoracis magis fulvescente, ut & scutello toto ferrugineo differt. In copula quoque non nisi similem cum simili junctum deprehendi.

---

66. PSARUS Latr.

Corpus mediæ l. minoris magnitudinis, elongatum, sublineare, punctulatum, glabriculum. Antennæ tuberculo frontali elon-

gato, truncato insertæ, articulo 1 brevi, 2 mediocri, 3 nonnihil longiori, oblongo, compresso, seta dorsali (versus apicem inserta) crassa, nuda. Epistoma infra oculos nudos descendens, subtuberculatum. Scutellum rotundatum, integrum. Areæ 2 discoidales nervis parum curvis terminantur. Nervuli 2 longitudinales marginem interiorem attingunt. Pedes nudi, inermes. *Color* niger, abdominis rufus. *Motus*: volatu velox. *Hospitium* in floribus. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas angulo subcohærentibus; *femina*: oculis in fronte modice distantibus.

1. *P. abdominalis:* ater, opacus, capite nitidissimo, antennarum seta halteribusque pallidis; abdomine rufo, basi apiceque nigris; alarum nervis transversis infuscatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Fabr. Antl. 211. 1. Latr. Gen. 4. 326. Consid. génér. 413. Meig. Dipt. 3. 171. 1. t. 27. f. 9—12 (at oculi maris in fronte magis remoti quam in nostris speciminibus). Macq. Buff. 1. 490. 1. ♂♀. Ahrens. Fn. Fasc. 10. tab. 19. Lœw Bemerk. p. 27. 4. 1.

Hab. in floribus, per Succiam meridionalem rarius, certis annis paullo frequentius visus, mense Julio tantum vigens; scilicet in Scania prope Lund, ubi in Geranio sanguineo ad Fogelsång ab eximio naturæ scrutatore *Dahlbom* d. 2 Jul. 1830 in unico pare primum intra Scandinaviam inventus fuit; deinde 6—27 Jul. 1835, 36 & 37 in ejusdem speciei floribus ad Fogelsång & Räften ab Eodem in utroque sexu plura specimina utriusque sexus collecta. Ut Germaniæ & Galliæ propria incola hactenus cognitus.

♂♀. Statura fere *Scævæ scalaris.* Ater. Epistoma ad latera & punctum frontale ad oculos utrinque albo-micantia. Ocelli in vertice 3. Antennarum articulus ultimus sæpe piceus.

Instrumenta cibaria sæpe picea aut ferruginea. Abdomen rufo-ferrugineum, segmento primo toto & secundo macula media plus minusve magna, rotundata cum nigredine segmenti basalis cohærente, anoque, nigris. Alæ fumato-hyalinæ, nervis transversis mediis distincte infuscatis. Squamæ sub alis & halteres nudi, flavo-alba. Genua summa & metatarsorum basis ferruginea. Var. abdom. lineola dorsali magis vel minus interrupta. In illæsis individuis thoracis macula humeralis vel collaris albida. — Feminam oviparam, ova alba, conglomerata, rotunda vidi.

---

67. SERICOMYIA Meig.

Corpus magnum, ovato-oblongum, hirsutum. Antennæ tuberculo frontali insertæ, nutantes, breviusculæ, articulo ultimo suborbiculari, basi seta dorsali longe plumata. Oculi nudi. Epistoma infra oculos sat longe descendens, tuberculatum, apice emarginatum. Alæ divaricatæ, nervis longitudinali 4:to, & duobus illis, qui areas marginales terminant, subrectis seu tantum leviter curvatis. Area sola angularis per nervulum fere ad marginem descendit. Pedes minus validi, simplices, tibiis præsertim posticis curvis; inermes, sed pubescentes, femoribus posticis subtus pilosis. *Color* nigricans; pictura fasciata. *Motus:* volatu celer, at in floribus sæpe longe morans, ibique facilior captu. *Habitatio* in floribus. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas*: oculis in fronte angulo cohærentibus, femoribus tibiisque posticis nonnihil incrassatis & curvatis; *femina:* oculis modice distantibus, pedibus posticis vix incrassatis & parum curvatis.

Subd. 1. Alarum fascia media abrupta fusca. Corpus hirsutum, ovatum, crassum.

1. *S. bombiformis:* nigra, antennis fuscis; thorace antice scutelloque flavo-hirsutis; abdomine basi anoque

albo-hirtis; pedibus fusco-testaceis, femoribus nigris. ♂♀. (Long. $5\frac{1}{2}$—$6\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 343. 1. ♂♀. t. 31. f. 8. ♀. — Macq. Buff. 1. 496. 1. ♂♀. *Syrphus* Fall. Syrph. 16. 1. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali, 15 Jul.—16 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd & Abusa in floribus Scabiosæ arvensis, Hieraciorum &c. aliquoties capta.

♂♀. In hoc genere maxima, robusta, *Bombum hortorum* fere mentiens. Epistoma conicum, longe descendens, flavido-pollinosum, linea media denudata nigra. Abdominis segmentum 2:dum & anus late, albo-hirta. Halteres & squamæ duplicatæ sub alis, obscura. Femora nigra, tibiæ sordide testaceæ, tarsi ferruginei. Tibiæ in ♀ sæpe obscuriores.

2. *S. mussitans:* supra fulvo-tomentosa, subtus nigricans; antennis luteis, facie flava; pedibus nigris. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$— fere 6 lin.).

Meig. Dipt. 3. 345. 4. ♂♀. Macq. Buff. 1. 496. 2. *Syrphus* Fabr. Antl. 225. 6. Panz. Fn. 1. t. 15. ♀ (thorax dorso nigro-maculatus immerito repræsentatur). Fall Syrph. 18. 4. ♂♀.

Hab. in Sueciæ meridionalis floribus nemoralibus, 8 Aug.—22 Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad Räften, Fliinge, Abusa, Grönby, ambos Esperöd, &c., haud raro capta. — In Dania, rar.

♂♀. Dorsum thoracis fulvo-, abdominis flavo-dense hirsutum. Epistoma parum tuberculatum, flavum, lateribus & subtus nigrum. Corpus in fundo æneo-nigrum. Halteres & squamæ sub alis, fumata. Pedes toti nigri, vel in junioribus brunnei. Frons in ♀ flava. Oculi in viva violaceo- & nigro-brunnei, immaculati.

Subd. 2. Alarum fascia fusca nulla. Corpus pubescens, oblongum, minus crassum.

3. *S. borealis:* griseo-pubescens nigra, scutello concolore, abdominis fasciis 4 latioribus flavis; pedibus luteis, femoribus basi nigris; alis immaculatis, costa anguste testacea. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 243. 2. ♂♀. t. 31. f. 9. ♂. Macq. Buff. 1. 496. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 590. 1. ♂♀. Lœw Bemerk. p. 37. 1. ♂. *Syrphus* Fall. Syrph. 20. 7. ♂♀. *Musca lappona* De Geer Ins. 6. 141. 6. descript. var. & T. 8. f. 14. ♀.

Hab. in floribus Cratægi, Sorbi &c., per Scandinaviam, 18 Jun.—10 Sept., passim; scilicet in Scania vulgaris; in Blekingia ad Carlscrona, D. von *Borck;* in Westrogothia ad Sparresäter, D. *Kinberg;* in Ostrogothia pluribus locis freq; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Helvig rar.; in Uplandia ad Holmiam & Upsaliam; in Dalecarlia ad Rörsbyttan; deinde rarescit, & intra limitem Lapponiæ non nisi rarissime obvia. — In Dania parce, D. *Stæger.* (Ex austria a D. *Andersch* missa, mus. D. *Fallén.*).

♂♀. Antennæ fuscæ. Epistoma pallide flavum, vitta media determinata & lateribus nigris. Frons in ♂ flavida, in ♀ nigricans. Abdominis fascia prima interrupta. Squamæ sub alis flavæ. Halteres obscuri. Femora præsertim anteriora basi nigra. Tarsorum articuli 2 ultimi obscuri. Scutellum interdum piceum.

4. *S. lappona:* griseo-pubescens nigra, scutello ferrugineo; abdominis fasciis 3 angustioribus, flavo-albidis; pedibus rufis, femoribus anticis basi nigris; alis hyalinis,

costa testacea, macula versus apicem fusca. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 341. 3. ♂♀. Macq. Buff. 1. 496. 4. Zett. Ins. Lapp. 590. 2. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1794. *Syrphus lapponum* Fabr. Antl. 226. 7. Fall. Syrph. 20. 8. ♂♀.

Hab. in Succia & Lapponia, 29 Maj.—2 Sept., passim; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd &c., in copula; in Smolandia ad Berga; in Calmaria ad Ishult, D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Omberg, Godegård, Gusum, Härads-hammar &c., non raro; in Gottlandia ad Hoburg minus frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia a Berge prope Alsen usque ad diversorium Forsa juxta radicem alpium Mullfjellen, freq.; in Botnia boreali ad Sangits & Torneå; in Lapponia Umensi ad Barrsele, & Tornensi ad Muonioniska; ut & in Finmarkia Norvegica ad Bossekop. (E Reinerzensi regione mihi a D. *Zeller* ut ibi non rara incola, 23 Maj. 1842 communicata).

♂♀. Similis priori, sed præter magnitudinem paullo minorem differt etiam ab illa scutello ferrugineo, fronte in utroque sexu nigra, abdominis fasciis tantum tribus, & his angustioribus, linearibus, interruptis albidisque, alarum macula prope apicem ad costam fusca, ut & femoribus plerumque tantum anticis basi nigris. Variat femoribus intermediis raro etiam posticis basi nigris.

68. VOLUCELLA Geoffr.

Corpus magnum, ovatum, crassum, hirsutum. Antennæ fronti parum prominenti insertæ, deflexæ, articulo ultimo elongato, compresso, basi seta dorsali utrinque longe plumata. Epistoma infra oculos conice descendens, gibbum, apice profunde emarginatum. Alæ divaricatæ, nervis: longitudi-

nali 4:to *) recto (juxta apicem ad costam curvato), at illo aream discoidalem primam terminante distincte arcuatim flexo. Areæ 2 discoidales a margine remotæ, sed angularis per nervulum fere ad marginem descendit. Pedes mediocres, simplices, inermes. *Color* niger, hirsutie sæpe flava; pictura abdominis interdum fasciata. *Motus:* volatu omnium celerrima; sole lucente in aprico nemorum in aëre quasi immobilis pendens, deinde citissime avolat, mox ad idem punctum revertens; & hic lusus sæpe continuatur usque dum insectum perterritum aufugit. *Habitatio* in floribus, in quibus interdum longe commoratur & ibi escam sibi comparando intenta facile capitur. *Metamorphosis* non rite cognita, at *larva*, postice tentaculato-radiata, in nidis Bomborum degit, testant *Reaumur & Latr.* Larvas *Voluc. inanis* in nido *Vespæ Crabronis* degere, & hujus hymenopteri larvas devorare, observarunt D. D. *De St. Fargeau & Serville* (cfr. *Macq.* Ins. Gall. Syrph. 188). *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte angulo connexis, hirsutis; *femina:* oculis non late distantibus, nudis, pluma setæ majori.

A. Corpus dense hirsutum. Abdomen non pellucido-fasciatum.

1. *V. plumata:* nigra, thoracis dorso abdominisque basi macula utrinque flavido-tomentosa, ano late albo-hirsuto; antennarum articulo ultimo fusco; alis hyalinis, maculis costalibus 2, una media, altera apicali, nigricantibus. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Var. a. ♂♀. thoracis dorso toto flavido-vel griseo-tomentoso.

Meig. Dipt. 3. 403. 2. ♂♀. Lœw Bemerk. 38. 1. *Musca* De Geer Ins. 6. 134. 5. T. 8. f. 4. ♀. *Syrphus*

---

*) in Dispositione p. 34 in charactere generis *Volucellæ* pro "tertio quartoque" legas: quarto quintoque.

Fall. Syrph. 17. 2. diagnos. & descript. var. a. ♀. — *Musca mystacea* Linn. Fn. 1793. var. *β*. ♀. Panz. Fn. Germ. 8. 22. ♀. (at macula alarum deest & cingulum abdominis ferrugineum pro macula basali flavida designatum).

Var. b. ♂. thoracis disco denudato, nigro; freq. Meig. l. c. var. — Zett. Ins. Lapp. 590. 1. *Voluc. bombylans* var. *plumata* Macq. Buff. 1. 493. 3. *Syrphus plumatus* Fall. l. c. var. *β*.

Hab. in pratorum & lucorum floribus, per Scandinaviam, 25 Maj.—26 Aug,, vulgaris; scilicet in Scania ubique; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Häradshammar, Gusum &c.; in Ölandia rar.; in Gottlandia ad Sanda, rar.; in Jemtlandia usque ad radicem Åreskutan; in Lapponia Umensi ad Lycksele & in Brattiksfjell, passim; in Norvegia a diversoriis Næs & Garnæs Værdaliæ usque ad Hacksten Nordlandiæ & Alten Finmarkiæ, frequens. In Dania rarius, D. *Stæger*. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta; & ex Austria a D. *Andersch* communicata).

♂♀. Epistoma nigrum, antice flavidum, medio præsertim dense pallido-hirsutum. Antennæ nigræ, articulo ultimo fusco vel ferrugineo. Abdomen supra fascia ante medium nigra. Anus late albo-hirtus. Squamæ sub alis & halterum clava, nigricantes. Corpus subtus & pedes toti, nigra. Scutellum flavum. Frons ♀ flava & flavo-villosa. — Ova oblonga, albida vidi.

2. *V. hæmorrhoidalis:* nigra, thoracis abdominisque dorso fulvo-tomentosis; antennarum articulo ultimo fusco; alis hyalinis, maculis costalibus 2, una media, altera apicali, nigricantibus. ♂♀. (Long. 5—5$\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. in copula, thoracis abdominisque dorso

toto dense fulvo-tomentoso, relicta tantum macula triangulari parva nigra in basi abdominis.

Var. b. ♂♀ (& ♂ semel in copula cum ♀ *V. bombylantis)*, thoracis limbo abdominisque basi utrinque macula, flavo-tomentosis, ano late fulvo-tomentoso.

Zett. Ins. Lapp. 591. 2. ♂♀. *Syrphus* Dalm. in litteris. *Syrphus mystaceus* Fabr. Antl. 224. exclus. syn. Linn. &c. — *Volucella plumata* Meig. Dipt. 3. 403. 2. var.

Hab. in Scandinaviæ nemoribus, 17 Jun.—14 Jul., passim, sole sereno & tempestate calida rapidissime volitans; scilicet var. a. solummodo in Gottlandia, ibique vero ad Wamblingbo, Fardhem, Sanda, Malms, Kyllej, Nähr &c. frequenter obvia, in copula 11 Jul. deprehensa; var. b. magis divulgata & in Scania ad Lund, Räften, Lindholmen &c. haud raro inventa; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Ostrog. ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Gottlandia rar.; in Lapponia Tornensi ad Muonioniska & in Finmarkia Norvegica ad Alten, rarius. Varietatem b. ut ♂ & *Vol. bombylantem* ut ♀ in copulatione hybrida ad prædium Björnstorp Scaniæ d. 20 Jun. 1820 inveni.

♂♀. Valde affinis priori, & var. b. præsertim ei similis, & vix differt ab illa nisi abdominis segmentis analibus ferrugineo-tomentosis, nec albo-hirsutis; sed var. a. magis discrepat, plerumque paullo major, thorace abdomineque supra totis dense fulvo-hirtis diversa.

3. *V. bombylans:* nigra, hirsuta, scutello livido atro-hirto; ano late fulvo-tomentoso; facie flava, antennarum articulo ultimo ferrugineo; alis hyalinis, macula costali media nigra. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Var. a. ♂♀. thorace abdomineque atris, hoc dimidio apicali fulvo-hirto.

Meig. Dipl. 3. 402. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 493. 3. var. a. — Zett. Ins. Lapp. 591. 3. ♂♀. Lœw. Bemerk. 38. 1. *Musca* Linn. Fn. 1792. Schæff. icon. T. 10. f. 7. *Syrphus* Fabr. 224. 4. Panz. Fn. Germ. 8. 21. ♀. Fall. Syrph. 18. 3. ♂♀.

Var. b. ♀. thorace atro, macula media parva ex hirsutie flavida, abdomine toto albo-hirto, hirsutie versus apicem densiori.

Hab. in floribus nemoralibus, per Scandinaviam, 24 Jun.– 20 Aug., vulgaris; scilicet var. a. in Scania ubique; in Blekingia, D. von *Borck*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Häradshammar, Gusum &c.; in Ölandia freq.; in Gottlandia ad Nähr, Ruthe, Wamblingbo, non raro; in Uplandia ad Holmiam; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Åsele, passim; in Dania, D. *Stæger*, freq.; var. b. tantum in Gottlandia a D. *Dahlbom* & *Wahlberg* rarissime lecta. (Utramque varietatem ex Helvetia per D. *Konewka* etiam obtinui.).

♂♀. Similis *V. plumatæ* & *hæmorrhoidali*, sed thoracis dorso toto abdominisque basi, nigris, immaculatis, differt. — ♀ semel in copula cum mare præcedentis capta.

B. Corpus tenuiter pubescens. Abdomen pellucido-fasciatum. Caput flavum.

4. *V. pellucens:* subpubescens nigra, capite flavo, scutello rufescente; abdominis fascia basali lata, albido-subpellucida; alis hyalinis, macula costali media nigra. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

Mas: oculis in fronte continue cohærentibus; thorace subimmaculato; scutello nigro-piceo; abdominis fascia alba interrupta;

Fem.: oculis in fronte dissepimento haud lato, flavo, dis-

junctis; thoracis linea utrinque gemina scutelloque rufescentibus; abdominis fascia alba integra; in copula.

Meig. Dipt. 3. 404. 3. ♂♀. Macq. Buff. 1. 493. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 591. 4. ♂♀. Löw Bemerk. 38. 3. *Musca* Linn. Fn. Su. 1826. Geoffr. Ins. 2. 540. 1. Schrank Enum. 453. 920. Ross. Fn. Etr. 460. 1487. ♀. *Syrphus* Fabr. Antl. 244. 3. Panz. Fn. 1. 17. ♀. Fall. Syrph. 19. 5. ♂♀. *Syrphus inflatus* Fabr. forte etiam hujus femina est.

Hab. in floribus Pruni, Sorbi, Cratægi, Tiliæ, Corni, Hederæ, Serratulæ &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 24 Jun.—6 Sept., sat vulgaris, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Absa, Esperöd &c., freq.; in Blekingia, D. v. *Borck;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Omberg, Godegård, Gusum, Häradshammar, Jonsberg &c., freq.; in Ölandia haud raro; in Gottlandia in Thorsborg, Nähr, Eke, Gothem, &c., vulgaris; In Wermelandia & Uplandia, passim; in Helsingia ad Kurland, rarius; sed longius versus septentrionem procedens mihi non obvia. In Dania freq., D. *Stæger.* (Circa Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta).

5. *V. inanis:* subpubescens nigra, capite flavo, thoracis lineis, pectoris macula utrinque scutelloque, melleis; pedibus testaceis, basi nigris; abdominis fasciis 4 flavo-pellucidis, prima interrupta; alarum costa ochracea, macula media & apicali fuscis. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 407. 6. Latr. Gen. 322. *Musca* Linn. Fn. Su. 1825. Ross. Fn. Etr. 459. 1486. *Syrphus* Fall. Syrph. 19. 6. ♂♀. *Musca trifasciata* Schrank Enum. 453. 919. *Syrph. micans* Fabr. Antl. 224. 2. *Voluc. zonaria* var. *inanis* Macq. Buff. 1. 492. 1.

Hab. in Suecia media, in floribus Umbellatarum, Compositarum &c. obvia, 10 Jul.—28 Aug., passim; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, Omberg, Wadstena, Fredensborg, Häradshammar, Gusum, &c., haud raro: in Calmaria ad Berga rar., in Blekingia ad Carlscrona, D. v. *Borck*, rar.; in Ölandia pass.; in Gottlandia in Pimpinella nigra ad Ruthe; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*.

♂♀. Caput flavum, epistomate linea laterali nigra. Antennæ aurantiacæ, setæ pluma nigra. Thorax niger, dorso vitta laterali lata mellea, & (præsertim in ♀) lineis 2 angustis remotis ferrugineis plus minusve perspicuis, in macula flava ante scutellum desinentibus. Pleuræ macula mellea. Scutellum melleum, setis marginis nigris. Abdomen flavo-pellucidum, segmento primo toto, reliquis margine apicali & ano, nigris. Venter flavus, cingulis 3 apicis nigris. Squamæ sub alis flavidæ, flavo-ciliatæ. Halteres albidi. Alæ ut in diagnosi. Pedes rufo-testacei, femoribus basi plus minus late nigris. Tarsi apice fusci. Nigredo segmenti primi & marginis secundi per lineolam nigram cohæret.

Obs. Volucella zonaria Schrankii, Meigenii & Macqvuarti seu *Syrphus inanis* Fabr. Antl., major, fasciis abdominis nigris tantum 2 &c. diversa, non est varietas *V. inanis*, ut autumat D. *Macquart*, sed certe distincta species, in Scandinavia non obvia, ut Galliæ incola a D. v. *Winthem* in utroque sexu mihi communicata.

---

69. SYRPHUS Fabr.

Corpus majoris magnitudinis, oblongo-ovatum, hirsutum. Antennæ fronti parum prominenti insertæ, breviusculæ, nutantes, articulo ultimo orbiculato, basi seta dorsali plumata aut nuda. Oculi obscure brunnei, immaculati, hirti (in *S. cimbiciformi* nudi). Epistoma infra oculos distincte de-

scendens, tuberculatum. Alæ divaricatæ. Nervus 4:tus longitudinalis versus apicem valde arcuatim flexus. Nervi transversi, qui areas 1 & 2 discoidales juxta marginem alæ terminant, subrecti; nervulus, qui ex area angulari excurrit, vix ad summum marginem descendit. Nervus costalis paullo ante apicem alæ desinit. Pedes simplices (in *S. cimbiciformi* postici incrassati), mutici, tibiis posticis subincurvis. *Color* (in nostris) nigricans, pictura abdominis, dum adest, triangulariter flavo-maculata. *Motus:* volatu celerrimus; in aëre pendulus velocissime avolat, cito vero ad eundem locum revertit, lusum talem pluries repetens, pipiens. *Habitatio* in hortis, pratis & lucis, quorum flores sedulo visitat, a primo vere usque ad serum autumnum vigens. Quædam species in alpes Lapponiæ usque ad terminum vegetationis adscendunt. *Larvæ* in aqua putrida, limo, luto, truncis cavis arborum succo l. aqua impura repletis, e. s. p. degunt. Plures species generationes saltem duas, unam vernalem & alteram autumnalem, anno producere videntur. *Differentia sexus; mas:* oculis aut sæpissime cohærentibus, aut dissepimento angusto, lineari in fronte disjunctis; *femina:* oculis sat late remotis.

Subd. 1. Seta antennarum plumata. Oculi masculorum in fronte connexi.

1. *S. intricarius:* ater, supra luteo-hirtus, abdomine aut concolore, segmentis 2 & 3 lateribus macula fulva (♂), aut nigro, ano albo-hirsuto (♀); scutello flavido; alis vitreis, aut immaculatis (♂), aut in medio macula costali fusca notatis (♀); tibiis basi albis. ♂♀. (Long. $4-4\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. thorace supra luteo-hirsuto.

Fabr. Spec. Ins. 2. 426. 22. ♀. Panz. Fn. Germ. 59. 11. ♀. Ross. Fn. Etr. 136. 1448. ♂♀. Fall. Syrph. 23. 12. ♂♀. Zett. Ins Lapp. 592. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1800. ♀. *Eristalis* Fabr. Antl. 282. 3. ♀. Meig. Dipt. 3.

391. 12. ♂♀. Macq. Buff. 1. 501. ♂♀. Löw Bemerk. 38. 6. ♂♀. *Syrphus aureus* Panz. Fn. Germ. 90. 20. ♂ (figura manca). *Syrphus bombyliformis* Panz. Fn. 59. 12. ♂. Fabr. Antl. 227. 12. ♂.

Var. b. ♀. thorace atro nigro-hirsuto.

Hab. in nemoribus & hortorum floribus, per Scandinaviam, 10 Maj.—29 Sept., vulgaris; scilicet var. a. in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, Uplandia &c., frequens; in Dalecarlia ad Uppbo; in Jemtlandia usque ad radicem Åreskutan; in Lapponia Tornensi & Kemensi, rar.; in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ ut ad Schiervö &c., passim; in Dania freq.; Var. b. 27. Maj. & 28 Aug. in Scania in floribus Prun. spinosæ &c. ad Abusa & Silfåkra inveni, eadem etiam in Ostrogothia ad Wadstena a *Dahlbom*, & ad Gusum a D. *Wahlberg* rarius lecta, ad Holmiam quoque capta erit.

♂♀. In hoc genere magnus, robustus. Antennæ fuscæ, seta pallida in medio distincte plumata. Epistoma nigrum, griseo-pollinosum & tomentosum, linea media denudata atra. Frons flavo-hirta. Scutellum flavum vel (in ♀) subalbidum. Alarum area costalis (quæ a nervis longitudinalibus 2 & 3 formatur) apice occluso per nervulum brevissimum cum nervo costali cohærens. Squama & halteres, obscura. Pedes nigri, pilosi, geniculis summis tibiisque basi albis; metatarsi intermedii basi quoque sæpe albidi. Var. b. totus niger, antennis fuscis, capite scutelloque lividis, ano albo-hirto, tibiis basi albis.

Obs. *S. fraterculus* Zett. Ins. Lapp. huic valde similis, sed seta antennarum nuda &c. distinctus in *Subd.* 2. sub. n:o 9 inveniendus.

2. *S. flavicinctus:* niger, lutescenti hirtus, epistomate albido, linea media atra; scutello flavicante; abdo-

mine nudiusculo, segmento 2:do utrinque macula trigona lutea, reliquis margine apicali angustissime albidis; pedibus nigris, geniculis, tibiarum basi late, & metatarso medio, albidis, femorum posticorum basi flava; striga alarum fusca. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Fall. Syrph. 24. 13. var. a. ♂♀. certe. — Zett. Ins. Lapp. 592. 3. var. a. b. ♂♀. *Eristalis* Fabr. Antl. 232. 5. *Musca horticola* De Geer Ins. 6. 140. T. 8. f. 12. ♀. (exlus. syn. Linn. *M. nemorum*). *Eristalis* Meig. Dipt. 3. 396. 18. ♂♀. Macq. Buff. 1. 503. 8. ♂♀. Löw. Bemerk. 38. 10.

Hab. in floribus, per Scandinaviam, a primo vere usque ad autumnum, vulgaris; scilicet in Suecia tota, Lapponia meridionali, & Dania, frequentissime; in Norvegia vero a me haud observatus.

♂♀. Priore minor, angustior. A sequentibus, præsertim *Syrph. Arbustorum* & *Nemorum*, quibus valde similis, differt præcipue femorum posticorum basi flava & alarum macula media costali fusca in ♀ in primis plerumque sat perspicua. Antennæ fuscæ, seta in medio distincte plumata. Abdominis macula lateralis basalis rufa (in ♂ interdum macula alba notata) in segmentum tertium etiam sæpe extenditur. Squama sub alis & halteres, pallida. Femorum posticorum basis latius vel angustius flava. Tibiæ anteriores ultra medium, posticæ ad medium, albæ. Tarsi intermedii articulo 1 toto & sæpe etiam 2 basi, albis. Metatarsi postici in junioribus rufescunt. Alarum nervi ut in *S. intricario* directi.

3. *S. piceus:* nitidus, niger, thorace parum flavopubescente; capite nigricante; abdominis incisuris tenuissime albidis; alarum macula media costali subquadrata, nigra; geniculis, tibiarum omnium tarsorumque posticorum simplicium basi, albis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Mas: caput nigrum, epistomate parum cinereo-pollinoso. Thorax luteo-hirtus. Abdominis segmentum 2:dum macula laterali lutea. Alarum nubecula fusca, irregularis;

Fem.: caput cano-pollinosum, vertice, fronte & epistomatis linea denudata nigris, nitidis. Thorax parum flavo-hirtus. Abdomen atrum, nitidissimum, subnudum, immaculatum, incisuris tenuissime albis, & macula in segmento 2:do laterali transversa lineari rufa obsoleta. Alarum nubecula distincta.

Fall. Syrph. 24. 14. ♀. verus. — Zett. Ins. Lapp. 593. 4. ♂♀. *Eristalis rupium* Fabr. Antl. 241. 38.? ♀. Meig. Dipt. 3. 397. 19. ♂♀. (t. 32. f. 22 *Syrphum Cryptarum* nostrum potius repræsentat). — *Syrph. cryptarum* Panz. 90. 18. ♀. *S. flavicinctus* var. *β.* Fall. Syrph. 24. 13 est ♂ hujus.

Hab. in Scandinaviæ borealis floribus frequens, in mediæ passim, 10 Jun.—1 Sept. in hortis, pratis & cultis (nec in rupibus) obvius; scilicet in Lapponia Umensi, Jemtlandia tota usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellet, Herjedalia, Wermelandia, Nericia &c., ubique vulgaris; descendit in Sueciam mediam, & in Ölandia atque Ostrogothia ex. gr. ad Gusum, Häradshammar, Lärketorp, Wadstena, Omberg &c., haud raro lectus. In Suecia meridionali a me non observatus, sed in Norvegia ad Næs Værdaliæ 8—10 Jul. copiose visus, femina præsertim abundans.

♂♀. *S. flavicincto* valde affinis & similis, in primis ♂; differt vero colore nigriore, nitido, nubecula alarum magis determinata (præsertim in ♀), tarsis albidioribus, femoribus posticis totis nigris &c.; a *S. Arbustorum*, cui etiam subsimilis, metatarso postico simplici, nec incrassato, mox dignotus. Scutellum brunneum. Squama & halteres, alba.

Pedes graciles, nigri, genubus, tibiarum basi semper, ut & tarsorum articulis 1 & 2 præsertim in ♀, albis. — Variat rarius femoribus posticis ima basi, flavis. Nigredo capitis, gracilitas pedum, & nitor corporis speciem ab affinibus præcipue distingvunt.

4. *S. Nemorum:* niger, thorace lutescenti hirsuto; epistomate cinerascenti villoso, linea media denudata atra; abdominis incisuris tenuissime albidis, macula in segmento 2:do utrinque trigona rufa; alis nubecula fusca obsoleta; tibiis basi albis metatarso postico simplici. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Ross. Fn. Etr. 439. 1152. ♀. Zett. Ins. Lapp. 593. 5. ♂. *Musca* Linn. Fn. Su. 1797? diagn. — *Eristalis* Fabr. Antl. 234. 10. Meig. Dipt. 3. 391. 16. ♂♀. Macq. Buff. 1. 502. 5. Löw Bemerk. 38. 11. (Sub *Syrph. arbustorum* Fall. Syrph. 25. 15 hæc species certe etiam latet).

Hab. in Suecia passim; genuinum vix nisi in Scania ad Lund Kjeflinge, Krageholm & Esperöd, 29 Jun.—16 Sept., ipse inveni; sed ad Gusum Ostrogothiæ & Holmiam Uplandiæ hæc species quoque observata erit, teste D. *Wahlberg;* & in Herjedalia ad Öfver-Hogdal specimen unicum femineum d. 17 Aug. 1810 legit D. *Dahlbom.* In Dania freq., D. *Stæger.*

♂♀. Epistoma flavido-albidum, subtus & linea media distincta atris. Antennæ fuscæ vel obscuræ. Scutellum brunneo-flavum. Abdominis primum segmentum glaucum, 2:dum macula laterali simplici rufa, in ♀ sæpe nulla. Alæ hyalinæ, nubecula media fusca, in ♂ plerumque perspicua, in ♀ vix nisi in puncto obscuro observanda. Squama & halteres pallida. Pedes nigri, geniculis, tibiis basi late, & metatarso intermedio albidis. Metatarsus posticus simplex.

5. *S. Arbustorum:* niger, thorace lutescenti hirsuto; epistomate cinereo-villoso, immaculato; abdominis incisuris tenuiter albidis, basi rufo-maculata; alis subimmaculatis; tibiis basi albis, metatarso postico incrassato. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Mas: paullo obscurior; abdominis segmentum 2:dum fere totum flavo-rufum, relicta macula media trapezina nigra; 3:tium macula basali utrinque rufa; incisuræ tenuiter & simpliciter albidæ;

Fem.: grisescens; thorax in illæsis sublineatus; abdominis segmentum 2:dum fere totum nigrum, macula laterali (interdum nulla) trigona rufa; 3:tium immaculatum; incisuræ latius coloratæ, subgeminatæ, h. e. canæ, summo margine albæ; in copula.

Ross. Fn. Etr. 410. 1457. ♂. Fall. Syrph. 25. 15. verus. ♂♀. Panz. Fn. 14. 22. ♀. Zett. Ins. Lapp. 593. 6. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1798. ♂. Schrank Enum. 445. 902. ♂. *Eristalis* Fabr. Antl. 236. 17. ♂. Meig. Dipt. 3. 395. 17. ♂♀. Macq. Buff. 503. 7. ♂♀. Löw Bemerk. 38. 9.

Hab. in floribus præsertim Compositarum & Umbellatarum, foliis fruticum, graminosis &c., per hortos & prata Scandinaviæ in primis meridionalis & mediæ, ubique vulgatissimus, ut nullus frequentior, in prima generatione sæpe jam mensib. Aprili & Majo visus & tunc statim ad copulationem frequenter paratus; sero autumno individua etiam observantur; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Westro- & Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia tota, Uplandia, Jemtlandia usque ad Rätan & Hofverberget, copiose; deinde versus septentrionem rarescit & intra Lapponiam vix nisi ad Öfver-Torneå & Karesuando parcissime visus. In Dania freq. (In Finlandia, D. *Sahlberg*. Ex Hamburgo & Helgolandia utrumque sexum mihi benigne communicavit 1838 D. *Dahlbom)*. Feminas

sub volatu pipientes, veloces, ad fossas & margines stagnorum pro ovis deponendis congregatas sæpe vidi. Corpore suberecto & vagina emissa ova terræ vel limo committunt. Larvæ in putridis præcipue mens. Aug. abundanter versantur. Status puparum 10—20 diebus. Nymphæ seriores hibernant.

♂♀. Simillimus priori, an tantum ejus varietas? Sed differt: abdominis incisuris albidis paullo latioribus, alis hyalinis immaculatis, puncto tantum stigmaticali fusco, metatarso postico distincte incrassato, ut & epistomate antice toto dense flavo-vel cano-villoso, linea media denudata atra tantum tenuissima, fere nulla. Et hoc in utroque sexu, quem non nisi cum simili in copula junctum observavi. Mas quoque *Arbustorum* abdominis macula basali laterali rufa magis dilatata in segmentum 3:tium etiam extensa gaudet. Individua variant macula fusca alarum magis perspicua, ut rite observavit D. Profess. *Löwius* l. c. *S. Arbustorum* in Scandinavia multo frequentior est, quam *Nemorum*. — Seta antennar. a basi ad medium distincte plumata, sed specimen unicum femineum seta pubescente legi.

6. *S. similis:* elongatus, niger, thorace lutescenti hirsuto; epistomate stramineo, linea media angusta atra; macula supra antennas obscura; abdominis incisuris anguste albidis, basi macula utrinque trigona rufa; alis hyalinis, lineola stigmaticali brunnea; tibiis basi albis, metatarso postico simplici. ♂♀. (5—5¼ lin.)

Fall. Syrph. 392. 13. ♀. *Eristalis* Meig. Dipt. 392. 13. Macq. Buff. 1. 502. 2. ♂. Löw Bemerk. 38. 7.

Hab. in floribus Prun. spinosæ, Pastinacæ sativæ &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 25 Maji—26 Sept., passim frequens, in hortis & pratis obvius; scilicet in Scania ad Lund in Paradislyckan & horto botanico, ad Abusa, Esperöd & Tungbyholm, vulgaris, atque

ad Grönby, D. *Kinberg;* in Blekingia ad Carlscrona, D. v. *Borck;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, in Häradshammar, D. *Stenhammar*, ad Wadstena freq. ipse; in Gottlandia ad Nähr, Eke & Öja; in Dania haud raro.

♂♀. Simillimus *S. tenaci* (n:o 7), antennarum seta a basi & ultra medium longe plumata &c. mox dignotus. Similis quoque *S. Nemorum & Arbustorum*, sed a priore epistomatis linea media atra angustiore, macula abdominis maris etiam in segmentum 2:dum plerumque continuata; a posteriore: epistomatis linea media denudata distinctiori, metatarso postico haud incrassato; & ab utroque: magnitudine majore, præsertim longiore, margine frontis supra antennas nudo, lucido, flavo, macula supra hunc obscura, nigro-villosa, & alis immaculatis præter lineolam stigmaticalem determinatam, nigro-brunneam inter nervum costal. & alterum longitudinalem. Tarsi anteriores sæpe flavi, sed variat etiam tarsis omnibus nigricantibus, metatarso medio albido. — Abdomen interdum cyaneo-renitens.

Obs. S. nitidiventris seta antennarum in medio pubescente in Subd. sequente quærendus.

Subd. 2. Seta antennarum nuda.

*) Oculi masculorum in fronte cohærentes.

A. Oculi obscure bivittati. Pedes postici dilatati, compressi, bifariam nigro-ciliati.

7. *S. tenax:* niger, thorace lutescenti cinereo-hirsuto; abdomine nigro-piceo, antice fasciis 2 inæqualibus interruptis obscure ferrugineis; pedibus nigricantibus, anteriorum geniculis tibiarumque basi albidis. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Var. a. ♂♀. abdominis fasciis 2 ferrugineis, femoribus nigris, immaculatis.

Fabr. Ent. Syst. 4. 288. 36. Panz. 14. f. 23. ♂. 24. ♀. — Ross. Fn. Etr. 411. 1455. Fall. Syrph. 26. 17. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 594. 7. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1799. ♀. *Eristalis* Fabr. Antl. 238. 21. Meig. Dipt. 3. 385. 4. ♂♀. Macq. Buff. 1. 504. 11. ♂♀. Löw Bemerk. 38. 3.

Hab. in floribus hortorum & pratorum, per Scandinaviam, 1 Jun.—10 Novemb., vulgatissimus; scilicet in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Gottlandia, Uplandia, Helsingia usque ad Gevaliam, frequens; etiam in Lapponia Umensi haud raro obvius. In Dania freq. (Circa Hamburgum & in Helgolandia eundem 1838 legit D. *Dahlbom* mihique communicavit). — Prima generatio ineunte mense Junio, altera in fine mensis Augusti & initio Septembr. provenire videtur. Ova deponentes imagines femineæ in cloacis, ad aquas fimetarias & putrescentes sæpe copiose inveniuntur. *Larva* tenacissima, vix prelo destructibilis. *Pupas* oblongo-subcylindricas, nudas, griseas, filo anali suspensas multoties vidi & excludi.

♂♀. Facies capitis albida, vitta media lata, denudata, atra. Antennæ obscuræ. Macula frontalis supra antennas nigra. Oculorum hirsuties in disco densior, ita ut in illæsis individuis præsertim masculis lineas 2 longitudinales formet, in mortuis etiam observandas. Scutellum flavidum. Abdomen glabriculum, nitidum, nigricans, segmento primo glauco; in segmento 2:do utrinque macula rufa magna triangulari, & in segmento 3:tio alia ejusdem coloris, sed multo angustior & fasciam interruptam formans; incisurarum 3:tia distincta, & 4:ta tenuissima, rufo-flavæ. Hæ vero signaturæ interdum obsoletæ. Squama sub alis & halteres, pallida, clava fusca. Nervi ut in *S. intricario* directi. Pedes nigri, pilosi, anteriorum geniculis tibiarumque basi albidis; metatarso intermedio flavo. Pedes postici compressi, femoribus & præsertim tibiis dilatatis, utrinque ciliatis. — Seta antennarum basi microscopice pubescens.

Var. b. ♂♀. abdominis segmentis 2 & 3 aut lateribus late rufis (♂), aut fasciis 2 interruptis, omnino ut in mare varietatis a. formatis, ferrugineis (♀): femoribus posticis in utroque sexu plus minusve late rufo-flavis.

Eristalis campestris Meig. Dipt. 3. 387. 5. ♂♀. Macq. Buff. 1. 505. 12. *Eristalis tenax* var. *campestris* Löw Bemerk. 38. 4.

Hab. in Scania & Gottlandia cum priori frequens; e nympha nuper declaratum sæpe legi.

Var. c. ♂♀. abdomine aut toto nigro, immaculato, aut fascia angusta rufo-picea obsoleta in 2:do segmento; femoribus nigris immaculatis; de cetero varietati a. simillimus.

Eristalis Hortorum Meig. Dipt. 3. 387. 6. ♂.

Hab. cum var. a. & b. in Scania freq. & præsertim circa Lund abundans; in Lapponia cum var. a. etiam lectus. E pupa egredientem mens. Aug. multoties deprehendi.

B. Oculi immaculati. Pedes postici non compressi; pilosi, sed haud ciliati.

a.) Oculi nudi. Alarum area costalis, quæ e nervis long. 2 & 3 formatur, apice (ad costam) aperta. Femora postica incrassata. An proprii generis?

8. *S. cimbiciformis:* ater, nitidus, thorace fulvo-tomentoso, scutello flavido; alis cinereo-hyalinis, striga media fusca. ♂♀. (Long. 5—5½ lin.).

Fall. Syrph. 27. 18. ♂. *Eristalis* Meig. Dipt. 3. 385. 3. ♂ (secund. Fall. descript.).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime, tria tantum specimina vidi, unum masculum in horto Esperöd Scaniæ mens. Sept. 1816 a Cel. *Fallén* detecto, alterum etiam masculum ad Hoka prope Carlshamn Blekingiæ loco umbroso 25 Jul. 1825 a D. *Sundewall* lectum, & tertium femineum ad Hafniam captum a D. *Westermann* 1831 mihi communicatum.

♂♀. Longitudo *S. tenacis*, sed paullo angustior. Nuditas oculorum, crassities femorum, nervorum in alis directio, thoracis hirsuties densa fulva, & abdominis pedumque color ater, nitidus, speciem denotant & ab aliis abunde distingvunt. Caput nigrum, facie tenuiter albo-pollinosum, vitta media denudata. Squama sub alis & halteres, sordide albida. Femora anteriora valida, postica crassa; tibiæ posticæ incurvæ. Genua anteriora summa pallida. Tibiæ anticæ intus & tarsi omnes subtus breviter at dense, ferrugineo-hirta. Femina nonnihil brevior & latior, oculis distantibus, thorace cinereo-flavo-tomentoso, femoribus modice incrassatis & cano- (nec nigro-) pilosis, a mare differt.

b.) Oculi hirti (in ♀ *S. ænei* oculi nudi). Femora simplicia.

†. Alarum area costalis apice occlusa.

9. *S. fraterculus:* niger, lutescenti griseo-hirsutus, scutello flavido; ano sordide albido-hirto, geniculis anterioribus albidis; alis hyalinis, puncto costali medio fusco. ♀. (Long. vix 4 lin.),

Zett. Ins. Lapp. 592. 2. ♀. (immerito ad division. antennis seta plumata instructis relatus).

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in floribus Salicis ad pagum Juckasjervi specimen unicum d. 21 Jun. 1821 inveni.

♀. Simillimus *S. intricario* (n:o 1), sed magnitudine nonnihil minore, hirsutie corporis minus lutea, fere grisea, ano minus pure albo-hirto, alis macula stigmaticali tantum minuta nigra, pedibus totis nigris, solum geniculis anterioribus summis sordide albidis, ut & antennis omnino nudis certe distinctus. Nec extra Lapponiam hactenus visus.

10. *S. nitidiventris:* niger, thorace flavo-hirsuto, scutello flavo, abdomine tenuiter griseo-hirto, segmento 2:do macula laterali rufa, 3tio fascia interrupta 4:toque aureo-lucidis; tibiis basi albis; alis striga media fusca. ♀. (Long. 4 lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; specimen descriptum bene conservatum ad Lummelund d. 2 Aug. 1841 inveni.

♀. Similis *S. anthophorino* infra (n:o 12), sed corpore minus dense hirsuto, thoracis disco obscuriore & abdominis segmentis apicalibus aureo-maculatis differt. Caput flavidum & flavo-pubescens, epistomate linea media & subtus atro. Antennæ nigræ, seta ferruginea, in medio microscopice pubescente. Thorax niger, disco tenuiter griseo-hirtus, antice in fundo lineis 2 abbreviatis, cinereis; limbo & pleuris dense flavo-hirsutis. Scutellum flavum & flavo-hirtum. Abdomen nigrum, tenuiter flavido-hirtum; in segmento 2:do macula utrinque sat magna, rufa; in 3:tio fascia sat lata, recta, interrupta aureo-splendida; segmentum 4:tum totum aureo-splendidum, margine solum apicali anguste nigro; segmentum anale nigrum nitidissimum. Alæ hyalinæ, striga media fusca. Squama & halteres sordide albida, clava obscuriore. Pedes atri & atro-pilosi, geniculis summis & tibiis omnibus fere ad medium albis. Tarsi subtus ferruginei, pubescentes.

11. *S. apiformis:* ater, hirsutus, scutello albido, abdominis segmentis: 1:mo cano-, 4 & 5 fulvo-hirtis; alis hyalinis immaculatis (♂), aut fascia media obscura (♀). ♂♀. (Long. 5 lin.).

Fall. Syrph. 28. 20. ♀. *Eristalis* Meig. Dipt. 3. 390. 10. ♂. Löw Bemerk. 38. 5.

Hab. locis humidis in floribus Cardui &c., in Uplandia ad Holmiam: in horto Regio haud raro, ut ex ore D. *Haeffneri* audivi; & testante D. Prof. *Wahlberg:* etiam "ad littora & ripas. Duas generationes per annum profert, prior mense Majo in floribus Taraxaci, & posterior ad finem Augusti vel mense Septembris occurrens".

♂♀. Magnitudo & habitus *Volucellæ bombylantis*, a qua vero antennarum seta nuda &c. mox dignoscitur. Ater; antennæ fuscæ. Frons & epistomatis latera griseo-hirta. Scutellum album, apice cano-hirtum. Abdominis hirsuties in primo segmento cana, in 4 & 5 apicalibus fulva. Squama & halteres, albida. Pedes nigri, pilosi; metatarsis posterioribus ferrugineis.

Obs. Syrphus apiformis Panz. Fn. 91. 20. aliud omnino est insectum, seu *Mesembrina mystacea* nobis.

12. *S. anthophorinus:* niger, pallide flavo-hirsutus, scutello albido, abdominis basi maculis lateralibus flavis; pedibus nigris, tibiis basi albis; alis hyalinis, macula costali media fusca. ♂♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Fall. Syrph. 28. 21. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 591. 9. ♂♀. *Eristalis* Meig. Dipt. 3. 390. 11. ♀.

Hab. in floribus Calthæ palustris, Compositarum, Cruciferarum &c., per Scandinaviam, mensib. Majo & Junio & iterum Septemb., passim, in copula; scilicet in Scania ubique præsertim circa Lund tempore vernali vulgaris; in Blekingia, D. v. *Borck*; deinde in hortis Holmiæ Jul. Aug. freq., D. D. *Wahlberg* & *Stenhammar;* in Lapponia Umensi ad Lycksele & Åsele, rar.; in Dania, D. *Stæger*, fr. Ad cadaver Ovis putridissimum aquæ stagnanti maximam partem immersum, odore fœtidissi-

mum, individua 7 vel 8 feminea sono pipiente celerrime circumvolando congregantia & in cadaveris parte supra aquam elevata interdum sedentia, die 16 Jun. in Lapponia observavi, ova in cadavere sine dubio depositura.

♂♀. Species distincta, tota pallide griseo-hirta. Antennæ nigræ, seta rufescenti. Epistoma cinereum, vitta media & ore atris. Abdomen maculis lateralibus utrinque 2 in segmento 2 & 3 ferrugineis, in ♂ distinctis, majoribus, in ♀ sæpe obsoletis. Squama sub alis & halteres, sordide flava. Alarum nubecula fusca. Pedes pilosi nigri, geniculis summis & tibiis basi fere ad medium albis.

Var. b. ♂♀. alis aut immaculatis aut macula media obsoletissima.

Hab. cum var. a. passim.

13. *S. cryptarum:* niger, thorace ferrugineo-hirsuto; abdomine subnudo, nitido, macula basali utrinque fulva, segmentis margine apicali albidis; alis vitta costali brunnescente; antennis, scutello pedibusque rufis, femoribus anterioribus basi nigris. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Fall. Syrph. 29. 21. ♂♀. (exclus. syn. Panz. quod ad *Syrph. piceum* pertinet). Zett. Ins. Lapp. 591. 8. ♂♀. *Eristalis* Fabr. Antl. 235. 11. Meig. Dipt. 3. 389. 9. ♂♀. t. 32. f. 22. ♀. — Macq. Buff. 1. 505. 13.

Hab. tempore vernali in floribus Salicis, Sorbi &c., autumnali in floribus Ericæ &c., per Scandinaviam, 10 Maj.—Jul.—6 Octob., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd &c., freq.; in Westrogothia ad Mösseberg, D. *Gyllenhal*; in Ostrogothia ad Wadstena, Medhamra, Häradshammar, Gusum &c. certis annis abundanter; in Ölandia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Åsarne, etiam ad Ås prope Östersund, haud raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele,

& Tornensi ad Juckasjervi, passim; in Norvegia ad Næs Værdaliæ a D. *Dahlbom* parce lectus.

♂♀. Ovatus. Epistoma cinereum, vitta media lata, nigra. Antennæ rufæ. Abdomen nudum, nitidum nigrum, segmentis 2, 3, 4 margine apicali anguste albo, macula in segmento 2:do utrinque trigona, fulva; & macula parva ejusdem coloris sd basin segmenti 3:tii in ♂ etiam sæpe observatur. Alæ basi & costa ad medium plus minusve brunnescunt; squama obscura, halteres pallidi. Pedes rufi, femoribus anterioribus basi nigris & nigro-pilosis. Variat etiam femoribus posticis basi nigris. Tarsi apice nigrescunt.

11. *S. æneus:* nigro-æneus, nitidus, tenuiter griseopubescens; antennis fuscis; pedibus nigris, geniculis tibiarumque basi albidis; alis hyalinis subimmaculatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Syrph. 28. 22. ♂♀. Panz. Fn. 82. 15. ♂. Fabr. Ent. Syst. 1. 302. 88. *Eristalis* Fabr. Antl. 244. 57. Meig. Dipl. 3. 384. 2. ♂♀. Macq. Buff. 1. 506. 16. ♂♀. Löw Bemerk. 38. 2.

Hab. ad parietes & muros, libenter in Fucis putrescentibus ad littora maris, raro in floribus, per Scandinaviam meridionalem & mediam, mense Majo & iterum Septemb. usque ad medium Octob., vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Lomma, Malmogiam &c., frequens; in Ostrogothia ad lacum Wettern, & ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, rarius; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Hoburg &c., copiose; circa Hafniam, D. *Stæger*.

♂♀. Oblongus. Antennæ variant nigræ, fuscæ, vel subtus rufescentes. Oculi in vivo pallide grisei, punctis numerosis nigro-purpureis & cantho superiore ejusdem coloris. Epistoma argenteo-hirtum, vitta media denudata atra. Thoracis pubescentia in illæsis individuis & præsertim apud ♀ in lineas quasi digesta. Squama sub alis & halteres, albi-

da. Pedes nigri, geniculis & tibiarum præcipue anteriorum basi albis.

† †. Alarum area costalis apice aperta.

15. *S. floreus:* niger, thorace flavo-hirsuto transversim nigro- & cinereo fasciato, abdomine atro, fasciis interruptis flavis; pedibus subnigricantibus, tibiis basi flavis; alis immaculatis. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Var. a. ♂♀. Thorax flavo-hirsutus, fasciis 2 nigris distinctis, prima interrupta, & fascia media cinerea; abdomen fasciis 3 flavis interruptis, quarum illa in segmento 3:tio per maculam mediam assurgentem minorem, angustiorem, angustius interrupta; pedes aut raro flavi, coxis, femorum annulo medio, tibiarum apice tarsisque, nigricantibus, aut plerumque nigri, genubus tibiarumque basi late flavis; plerumque major.

Var. b. ♂♀. Thorax flavo-hirsutus, fasciis 2 nigris interruptis; abdomen fasciis tantum 2 flavis, una in segmento 2:do modice interrupta, altera in segm. 3:tio per maculam mediam assurgentem magnam, latam trapezinam, late interrupta; pedibus totis nigris, genubus tibiarumque basi late, flavis; plerumque minor.

Panz. Fn. 14. 1. ♂. Fall. Syrph. 30. 25. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 591. 10. var. a. b. ♂♀. — Rossi Fn. Etr. 439. 1451. *Musca florea* Linn. Fn. 1796. *Eristalis floreus* Fabr. Antl. 233. 9. Meig. Dipt. 3. 399. 21. ♂♀. Macq. Buff. 1. 501. 10. *Musca atropos* Schrank Enum. 416. 901.

Hab. in floribus umbellatarum, per Scandinaviam, 10 Maj.—26 Aug., in hortis & pratis ubique vulgaris; scilicet in Scania, Blekingia, Westrogothia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, Uplandia, Helsingia, & Jemtlandia usque ad Grimnäs & Alsen, frequentissimus; in Lapp.

Tornensi, rarius; in Norvegia usque ad Bossekop Finmarkiæ parce; in Dania non raro, D. *Stæger.* (Ex Austria a D. *Andersch* missus). Var. b. cum varietate a. sæpe deprehensus, & vix specie distinctus, e pupa grisea, inermi primo vere multoties exclusus.

♂♀. Species magna, robusta, distincta, tomento flavo & maculis obscuris pulchre variegata. Caput citrino-villosum, vitta media denudata, antennis & ore, nigris. Scutellum flavidum. Abdominis segmentum 1:mum canum; incisuræ tenuiter flavæ. Squama sub alis & halteres, pallida. — Reliqua ut in diagnosi.

* *). Oculi masculorum in fronte paullo distantes.

16. *S. sepulchralis:* niger, thorace albo-lineato; antennis fuscis; abdomine metallice nitente; geniculis summis albidis; alis immaculatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Mas: interstitio frontali angustato, oculis dense hirtis; thorace antice lineis 5 angustis, abbreviatis albis; abdomine atro, maculis lateralibus & incisuris ænescentibus; geniculis posticis plerumque nigris;

Fem.: interstitio frontali duplo latiore, oculis tenuiter hirtis; thoracis dorso lineis 5 nonnihil latioribus, continuis albis; abdomine ænescente, maculis dorsalibus mediis atris; geniculis omnibus albidis.

Musca Linn. Fn. Su. 1835 (antennæ immerito "plumatæ" dicuntur). Syst. Nat. 991. 73 ("alter sexus seta non pilosa" dicitur). *Eristalis* Fabr. Antl. 245. 61. ♂. Meig. Dipt. 3. 383. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 506. 17. ♂♀. Löw Bemerk. 38. 1. *Syrphus tristis* Fabr. Antl. 245. 62. ♀. Panz. Fn. 82. 16. ♀. Fall. Syrph. 29. 23. ♂♀. *Elophilus* Latr. Gen. 4. 324.

Hab. ad aquas putridas, copiose in littoribus maris in Fucis rejectis putrescentibus, ubi verisimiliter ova deponit, per Scandinaviam, a d. 10 Maji usque ad medium

Septemb. obvius, passim abundanter; scilicet in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, usque ad Uplandiam, vulgaris. In Dania, D. *Stæger*, & in Finlandia, D. *Sahlberg*. — In provinciis interioribus Sueciæ interdum etiam occurrit, & in floribus Pruni, Leontodontis, Calthæ &c. tempore vernali haud raro deprehenditur. (Ex Austria a D. *Andersch* missus).

♂♀. Prioribus minor, præsertim brevior, thoracis pictura, oculorumque in ♂ distantia facile dignotus. Epistoma cinereum, tuberculo denudato nigro. Antennarum articulus ultimus saltem subtus fuscus. Oculi (in vivo) grisei, brunneo-marmorati. Femora postica subincrassata. Squama sub alis vitreis & halteres, alba. — Affinis *S. æneo*.

70. CRIORHINA Hffgg.

Corpus magnum, oblongum, parallelogrammiforme, villosum. Antennæ tuberculo frontali insertæ, articulo 1:mo longiusculo & 2:do brevi infundibuliformibus, 3:tio compresso, rotundato, sed latiori, quam longo, seta fere in medio dorsi (seu propius ad basin), nuda. Epistoma subæquale (parum tuberculatum), leviter impressum, infra oculos distincte descendens. Apertura oris retusa, Oculi nudi. Alæ incumbentes, nervo longitud. 4:to *) recto. Nervi longit. 5 & 6 non ad marginem extenduntur. Nervus transversus ordinar. obliquus. Area costalis apice late aperta. Pedes simplices, inermes. **) *Color* tomenti ferrugineus, l. flavus, raro

*) in Dispositione generum p. 35 sub *Criorhina* lege: quartus pro "tertius".

**) in Meigeni *Criorhina femorata & valga* femora postica incrassata, subtus spinulosa sunt, ergo illas ab hoc genere removendas & speciebus affinibus in *Xylotæ* genere associandas rectius puto.

niger. Pictura vix ulla. *Motus:* volatu velox. *Habitatio* in floridus, ubi sæpe tranquilla commoratur, mel hauriens, intra Sueciam temperatam manens. *Metamorphosis* ignota; larvæ forte in carie arborum emortuarum vivunt. *Differentia sexus; mas:* oculis interstitio frontali angusto disjunctis; *femina:* oculis mediocriter late remotis.

1. *C. regula:* thoracis dorso anoque fulvo-tomentosis; abdominis medio nigro, basi fasciculo pallido. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Syrphus regulus Fall. Syrph. Suppl. 9. 12. ♀ (secundum specimen originarium). *Criorhina floccosa* Macq. Buff. 1. 498. 4? ♂. Meig. Dipt. 7. 116. 12? *Milesia* Meig. Dipt. 3. 238. 13? ♂.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in prædio Hjularöd Scaniæ a D. Doctore *C. W. König* (hinc nomen) mense Majo 1826 semel inventa. E. Dania a D. D. *Stæger & Westermann* uterque sexus mihi benigne communicatus.

♂♀. Similis sequenti, sed duplo major, & thoracis anique hirsutie fulva, nec grisea, & abdominis fascia-media lata atra, distincta. Antennæ nigræ, articulo ultimo & seta fuscis. Epistoma antice cano-vel flavido-pollinosum. Thorax & scutellum dense fulvo-tomentosa. Abdomen atrum, nitidum, in medio tenuissime & ita breviter rufo-pubescens, ut niger fundus optime transluceat; segmentum 2:dum basi utrinque fasciculo pilorum pallidorum, nec alborum, unde dubium de synonymo *Meigeni & Macquarti* oritur; segmenta analia 4 & 5 fulvo-hirsuta. Venter niger. Alæ cinereæ, in medio fasciola & ad apicem macula obsoleta, fuscis, tinctæ. Squama sub alis sordide albida; halteres pallidi. Pedes nigri, infra cinereo-pilosi, femoribus posticis subtus nigro-ciliatis. Tarsi basi interdum rufescunt.

2. *C. asilica:* thoracis dorso rufo-cinereo-tomentoso; abdomine nigro, tenuiter griseo-pubescente, basi ci-

nereo; pedibus rufescentibus, femoribus nigris. ♂♀. (Long. 3½—4½ lin.).

Mas: caput antice canum, fronte angusta & macula supra antennas denudatis, atris, nitidis;

Fem.: caput nigrum, nitidum, frontis latioris epistomatisque linea laterali cana l. flavida.

Macq. Buff. 1. 498. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 116. 13. *Syrphus asilicus* Fall. Syrph. 22. 10. ♂♀. *Milesia asilica* Meig. Dipt. 3. 238. 14. ♂♀.

Hab. in floribus Cratægi, Sorbi, Berberidis, Umbellatarum ut Chærophylli, Apii &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, Junio, Julio, minus frequens; scilicet in Scania rarius; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar & Jonsberg a D. *Stenhammar* quotannis visa, ad Lärketorp, ipse, ad Medhamra, D. *Dahlbom*; in Uplandia ad Holmiam, D. D. *Haeffner* & *Wahlberg*; sed supra hanc provinciam haud lecta, quantum noverim.

♂♀. Similis, ut dictum, priori, sed minor, & thoracis villositate griseo-flavida, abdominis pubescentia tenuiori, tibiis rufescentibus, & epistomatis vitta media in ♀ lata denudata atra, statim dignota. Antennæ fere totæ fusco-rufæ. Abdomen atrum, nitidum, tenuiter, basi paullo densius, griseo-pubescens, segmento 1:mo toto, & 2:di linea transversa interrupta, canis. Coxæ & femora nigra, cinereo-pilosa, geniculis, tibiis tarsorumque articulis 3 basalibus sordide flavo-rufescentibus, tibiis vero anticis & posticis apice sæpe late nigricantibus. Reliqua ut in præcedente.

Obs. Huic habitu & colore sat similis est *Syrphus valgus* Panz. (seu *Syrphus laphriformis* Fall.); sed hæc species femoribus posticis crassis, subtus spinulosis, ore nonnihil aliter constructo & oculis in fronte maris cohærentibus satis superque essentialiter dignota ad genus *Xylotam* rectius sine dubio referenda.

3. *C. berberina:* thoracis dorso antico flavo-, limbo postico scutelloque nigro-tomentosis; abdomine nigro, segmentis tribus apicalibus albido-tomentosis. ♂♀. (Long. ♂ 3½— ♀ 4½ lin.).

Macq. Buff. 1. 497. 2. ♂♀. Löw Bemerk. 29. 1. Meig. Dipt. 7. 116. 10? *Eristalis* Fabr. Antl. 240. 33. *Milesia* Meig. Dipt. 3. 237. 11? ♂♀. T. 29. f. 9?

Hab in Scandinavia rarissime, mihi nunquam in Suecia obvia, sed a D. *Stæger* utrumque sexum e Dania obtinui. In Berberide vulgari & Cratægo Oxyacantha quærenda.

♂♀. Longitudo *C. asilicæ*, sed paullo latior, præsertim femina, quæ præter scutellum nigrum & thoracis discum anticum flavum *Syrpho intricario* primo obtuitu valde similis est. Antennæ fuscæ. Epistoma sordide ochraceum. Frons concolor (in ♀ linea media angusta, nigra, in ♂ macula supra antennas nigra, nitida). Thorax totus niger, dorso antice & paullo pone medium flavo-tomentosus. Abdomen albido-tomentosum, segmentis 2 basalibus nigris. Venter niger. Alæ ut in prioribus pictæ. Squama sub alis & halteres, obscura. Pedes nigri & nigro-pilosi, geniculis summis incarnatis. — Tomentum flavum in specimine nostro masculo minus purum est, quam in individuo femineo. Metatarsi antici in ♀ rufo-picei. — Ob alas maculatas synonymon Meigeni dubium.

71. MALLOTA Meig.

Corpus magnum, ovale, undique villosum. Antennæ tuberculo frontali insertæ, articulis 1 & 2 infundibuliformibus brevibus, æqualiter longis, 3:tio antecedente parum longiore, sed multo latiore, compresso, subtetragono, seta dorsali versus basin inserta, valida, nuda. Epistoma infra

oculos nudos descendens. Alæ divaricatæ, nervo longitudinali 4:to distincte angulatim flexo. Nervi longitudinales 5 & 6 non ad marginem descendunt. Nervus transvers. ordin. rectus, nec oblique ductus. Area costalis aperta. Pedes femoribus posticis subincrassatis, tibiis ejusdem paris arcuatis, compressis. Tomenti *color* in nostra rufo-flavus, pictura nulla. *Motus:* volatu rapidissima. *Habitatio* in nemoribus. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte per interstitium angustum sejuncti; *femina:* oculis latius remotis (in congnitis).

1. *M. megilliformis:* nigra, thorace abdomineque supra rufo-flavo-tomentosis, immaculatis; alis cinereis, fasciola media, nervoque transverso ordinario fuscis. ♂. (Long. fere 5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 379. 2. ♂. Macq. Buff. 1. 500. 2. ♂. *Syrphus* Fall. Syrph. 27. 19. ♂. (♀ etiam ibi allata, sed immerito).

Hab. in herbis nemorum, per Sueciam mediam, mense Junio rarissime; scilicet in Ostrogothia in Coryletis juxta amnem ad Egebylund prope Lärketorp d. 20 Jun. 1813, 8 mares inveni circa frutices vivacissime, sole urente, volantes & in foliis interdum sedentes, sed nullam feminam detegere mihi contigit; in Uplandia ad Upsaliam, D. D. *Haeffner* & *Marklin.*

♂. Magnitudo & corporis forma omnino ut in *Syrph. intricario*, sed thorax & abdomen supra dense fulvo-hirta. Ænescenti nigra, capite tenuiter flavo-piloso, epistomate albo-pollinoso, vitta media cum tuberculo denudata. Occiput flavo-tomentosum. Antennarum articulus ultimus nigro-fuscus, seta rufescente. Squamæ sub alis & halteres, obscura, horum petiolo pallido. Corpus subtus & pedes tenuiter griseo-pilosa, geniculis summis & tarsis, ferruginantibus. Femora subtus nigro-pilosa, postica crassiora, subtus versus apicem obsoletissime dentata.

72. HELOPHILUS Meig.

Corpus majoris magnitudinis, oblongum, pubescens. Antennæ fronti subprominenti insertæ, breviusculæ, articulo ultimo orbiculari, compresso, basi seta dorsali nuda. Epistoma infra oculos descendens, plus minusve gibbosum. Oculi nudi, in utroque sexu separati. Alæ divaricatæ, cinereo-hyalinæ, communiter immaculatæ, nervo longitud. 4:to distincte arcuatim flexo. Area costalis apice non late aperta. Nervus transvers. ordinar. rectus. Nervi long. 5 & 6 non marginem attingunt. Nervulus longit. 6:tus, qui ex area angulari excurrit, ad marginem alæ curvatim descendit. Pedes inermes, postici femoribus incrassatis, tibiis arcuatis. *Color* obscurus, pictura flava thoracis lineata, abdominis fasciata. *Habitatio* in hortis, pratis; in floribus sæpe commoratur. *Motus:* volatus celerrimus, at tempestate frigidiore sæpe tota die in folio l. culmo transquillus sedet. *Metamorphosis* non ex omni parte cognita, sed *larvam* caudatam tubo filiformi respiratorio pendulam, in paludosis & aqua stagnante, putrida degere, e quibus egressam in terra in statu pupæ 8 vel 10 dies manere, constat. *Differentia sexus; mas:* oculis interstitio frontali modice lato, subparallelo vel per oculorum angulum antice levissime angustato, disjunctis, ano obtuso; *femina:* oculis interstitio frontali multo latiore, postice leviter angustato, remotis, ano acuto.

Sect. 1. Epistoma modice descendens. Antennæ nigræ aut rufæ.

A. Antennæ obscuræ. Epistoma in medio tuberculatum vel gibbum. Habitatio in hortis & pratis, sæpe locis siccis. Majores.

1. *H. pendulus:* niger, epistomate albido l flavo, vitta media convexa atra; thoracis lineis 4 stramineis; abdominis fasciis 3 interruptis, anterioribus 2 latis fulvis, postica angusta ochracea; femorum apice tibiarumque

basi, late flavis; ventre pallido, apice nigro. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Mas: fronte flavida, protuberantiæ apice & vertice nigris;

Fem.: fronte latiore straminea, vitta media lata & vertice nigris; in copula.

Meig. Dipt. 3. 373. 6. ♂♀. Macq. Buff. 1. 509. 1. Zett. Ins. Lapp. 595. 1. ♂♀. Löw Bemerk. 37. 5. *Musca* Linn. Fn. 1795. Frisch. Ins. 4. t. 13. De G. Ins. 6. 101. 3. Schrank Enum. 411. 901. *Syrphus* Panz. Fn. 22. 21. ♂. Fall. Syrph. 30. 26. ♂♀. *Eristalis* Fabr. Antl. 233. 7. *Elophilus* Latr. gen. 4. 324.

Hab. in hortis, pratis & silvis, per Scandinaviam, 20 Maj.—16 Sept., ubique vulgatissimus, velox & pipiens, sæpe in copula; scilicet in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia, Jemtlandia usque ad radices Hofverberget, Åreskutan & Mullfjellen, copiose; in Lapponia Umensi & Tornensi per regionem sylvaticam frequens; in Norvegia a Næs Værdaliæ usque ad Schiervœ Nordlandiæ, haud raro; e Dania, Finlandia & Russia etiam specimina obtinui.

♂♀. Habitus *Syrphi Arbustorum.* Antennæ nigræ, seta flava. Proboscis atra. Sinciput cinereo-pilosum. Thorax niger, dorso lineis 4 æquali spatio remotis, integris, stramineis, lateralibus latioribus, mediis angustatis. Scutellum flavidum. Pleuræ schistaceæ. Abdomen nigrum, 1:mo segmento cano; 2:do macula utrinque magna trigona flava; 3:tio macula laterali ejusdem forma (in mare paullo majore quam in femina), sed sæpe fulva & angulo interiore macula minore glauca plerumque notato vel aucto; 4:to fascia angustata, subrecta seu nonnihil arcuata, interrupta, ochracea; 5:to plerumque retracto, vestigio fasciolæ interruptæ cinereæ. Segmenta 2, 3, 4 margine apicali testacea. Venter albidus, ima basi & segmentis 2 (♂) aut 3 (♀) ultimis ni-

gricantibus. Squamæ sub alis flavo-ciliatæ, & halteres obtecti, pallida. Pedes nigri, antici: femoribus apice late, & tibiis ad medium flavis; intermedii: femoribus apice late, tibiis totis & metatarso, flavis; postici-femoribus apice late (præcipue in ♀), & tibiis ultra medium ferrugineis.

2. *H. arcticus:* niger, epistomate convexo albido l. flavo, vitta media atra; thoracis lineis 2 cinerascentibus; abdominis fasciis 3 interruptis, anteriori lata fulva, posterioribus angustis, cinereis; geniculis anterioribus, tibiarumque posticarum basi, flavis; ventre nigro, basi lateribus albido. ♂♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Mas & Femina ut in *H. pendulo* differunt.

Zett. Ins. Lapp. 595. 2. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum, graminosis, libenter locis humidis, per Scandinaviam septentrionalem, 17 Jun.—21 Aug., passim, in copula captus; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele, Tornensi ad Muonioniska, ipse, ut & in alpibus Dovreensibus, D. *Boheman;* e Lapponia in provincias adjacentes descendit, & in Jemtlandia ad Alsen, Säther & Mullfjellet haud raro deprehensus; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal a D. *Dahlbom* rarissime lectus, sed infra hanc provinciam mihi non obvius.

♂♀. Similis priori, sed paullo obscurior, & thoracis lineis 2 mediis angustioribus, lateralibus obsoletissimis, abdominis fascia 1:ma fulva, nec flava, 2:da angusta, subarcuata, glauca, basi tantum fulva, 3:tia angusta subarcuata glauca, ventre nigro, basi tantum lateribus albido, geniculis angustius flavis, femoribus posticis totis nigris, nec apice ferrugineis, tibiis intermediis tantum ad medium, nec totis, flavis, metatarsis intermediis nigris, nec pallidis, ut & tibiis posticis basi tantum albidis, abunde distinctus. Nec nisi similis cum simili in copula juncti visi. Segmentum anale retractum fascia interrupta cinerea quoque notatur.

3. *H. trivittatus:* niger, epistomate pallide flavo, vitta media convexa lutescente; thoracis lineis 4 stramineis; abdominis fasciis 3 interruptis, anterioribus 2 latis flavis, postica angusta obliqua cinerea; pedum anteriorum femoribus apice tibiisque totis flavis, geniculis posticis ferrugineis; ventre albido, apice nigro. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Mas: long. 5 lin., frons modice lata, flava, vertice late nigro; abdominis segmentum 2 & 3 maculis lateralibus magnis rotundatis citrinis, 4:tum fascia integra cinerea in formam litteræ W ducta; 5:tum seu anale parvum subglobosum, immaculatum;

Fem.: long. 4 lin.; frons multo latior, albida, protuberantiæ apice flavo, vitta media lata & vertice nigris; abdominis segmentum 2:dum macula laterali rotundata flava, 3:tium fascia interrupta, intus apicibus angusta, ejusdem coloris, 4:tum fascia subintegra, sursum arcuata, angusta, cinerea, 5:tum parvum triangulare, depressum; in copula.

Meig. Dipt. 3. 373. 5. Löw Bemerk. 37. ♂. *Eristalis* Fabr. Antl. 235. 15. *Syrphus pendulus* Rossi Fn. Etr. 438. 1450.

Hab. in Suecia meridionali & media, 14 Jun. 30 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund D. *Pettersson*, & Alnarp D. *Dahlbom*, rar.; in Blekingia, D. v. *Borck;* in Gottlandia in insula Furillen d. 9 Jul. 1819 specimen unicum inveni; in Dania rarissime.

♂♀. Valde similis *H. pendulo*, sed mas paullo major, longior, & uterque sexus epistomatis vitta media lutea, nec nigra, femoribus anterioribus apice latius flavis, tibiis anticis totis flavis, nec apice nigris, femoribus posticis ante apicem annulo rufo (genua summa nigra sunt), nec apice late ferrugineis, ut & tibiis posticis minus arcuatis, fere rectis, basi tantum anguste, flava, nec late ferrugineis, certe distinctus. In mare quoque signaturæ aliter sunt constructæ, ut in diagnosi indicatum. Pictura cinerea in basi segmenti

analis adest, sed in segmento plerumque retracto non observatur. In segmento ventrali 3:tio puncta aliquot nigra deprehenduntur.

Obs. Specimina hujus speciei, quæ Cel. Professor *Löw* l. c. ut *feminas:* abdomine angustato, alis abdomine brevioribus, & segmento 4:to signo W notato, insignitas describit, simillima sunt nostris *masculis.* Nec Descriptio Cel. *Meigeni* maris hujus: "epistomate flavo-albo, linea nitida nigra" in nostra individua quadrat, ubi epistoma maris & feminæ simillimum exstat.

B. Antennæ totæ rufæ. Epistoma parum tuberculatum, sed versus apicem subgibbum. Habitatio in graminosis & fruticibus. Medii.

1. *H. Frutetorum:* niger, capite, thoracis lineis 4, scutello, abdominis fasciis 3 interruptis, rufo-flavis; vertice fusco, antennis fulvis; femorum basi nigro-brunnea. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 371. 7. Macq. Buff. 1. 510. 3. Löw Bemerk. 37. 4. *Eristalis* Fabr. Antl. 236. 19. *Syrphus versicolor* Panz. Fn. 82. 14. ♂. *Eristalis* Fabr. Antl. 233. 8. *Syrphus femoralis* Fall. Syrph. 31. 27. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 10 Jun.—20 Jul., passim; scilicet in Scania ad Abusa, Björnstorp, Farhult &c.; in Ostrogothia ad Häradshammar & Gusum rarius, D. *Stenhammar*; in Uplandia ad Holmiam, passim, D. *Wahlberg.* In Dania rarius, D. *Westermann.*

♂♀. Prioribus nonnihil minor & angustior. Caput flavum, immaculatum, genis nigris, vertice nigro-hirto. Proboscis atra. Thoracis vittæ stramineæ laterales latiores. Abdomen nigrum, segmento 1 arcu cinereo; 2 lateribus late & apice flavo; 3 eodem modo colorato, sed simul punctis 3 in triangulum dispositis cinereis; 4 lateribus & apice flavo, fascia media arcuata cinerea; 5 retracto, flavido; vel si

maris abdomen flavum, maculis anchoræformibus nigris in segmentis 2 & 3, atque signaturis cinereis in segmentis 1, 3 & 5. Venter albidus, maculis apicalibus nigris. Squamæ & halteres, pallida. Pedes flavi, coxis femorumque anteriorum basi anguste, posticorum basi late, nigricantibus. Tibiæ posticæ apice & tarsi postici toti fusci. Femora postica in ♂ intus basi fasciculo pilorum, qui obiter inspectus dentem simulat.

5. *H. lunulatus:* niger, capite, thoracis lineis 4, scutello, pedibusque, rufo-flavis; antennis fulvis; abdomine bis tribus lunulis flavis l. ochraceis; femorum basi, tibiarum posticarum apice tarsisque nigricantibus. ♀. (Long. 3½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 370. 2. t. 32. f. 9. certe. — Macq. Buff. I. 511. 5. Löw Bemerk. 37. 1.

Hab. in plantis aquaticis rarissime; in Scania duo specimina feminea capta.

♀. Magnitudo prioris vel nonnihil latior. A præcedente differt præcipue abdominis pictura. Caput cum antennis, thorax & scutellum omnino ut in *Hel. Frutetorum*. Abdomen nigrum, segmento: 1:mo arcu cano; 2:do macula utrinque majori, lunata, fasciam interruptam flavam formante; 3:tio lunula utrinque angusta basi flava, intus (apice) plerumque ochracea; 4:to lunula utrinque forma & colore exacte ut in segmento 3:tio; 5:to parvo, triangulari, ochraceo, basi brunneo. Segmenta 2 & 3 margine apicali anguste, 4:tum late, testacea, & prætera (in altero nostro specimine) puncto medio ante marginem apicalem cinereo. Pedes anteriores rufo-flavi, coxis femorumque basi nigris; postici nigri, femoribus apice late, tibiisque basi latissime, flavo rufis.

Sect. 2. Epistoma longe conice oblique descendens. Antennæ saltem articulo ultimo rufæ. Habitatio in plantis paludosis. Minores.

6. *H. transfugus:* niger capite flavo, antennis fulvis; thoracis vittis 4 stramineis; scutello flavido; abdomine bis tribus lunulis cinerascentibus; pedibus flavo-rufis, coxis omnibus, femoribus anterioribus annulo basali, posticisque macula utrinque ad basin, nigris; tibiis posticis apice tarsisque totis fuscis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 3. 371. 3. ♂♀. t. 32. f. 8. ♂. Macq. Buff. 1. 510. 4. ♂♀. Löw Bemerk. 37. 3. *Musca* Linn. Fn. Su. 1818. vera. (Sub *Syrph. lineato* Fall. hæc species etiam latet).

Hab. in plantis paludosis etiam in floribus, per Sueciam meridionalem & mediam, Jun. Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund, Dalby, Fogelsång, Grönby &c., haud raro; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp, minus freq.; in Ölandia ad Gärdslösa & lacum Måsberga; in Gottlandia in palude Hellvig rar.; in Uplandia ad Holmiam D. *Wahlberg;* etiam in Lapponia Umensi ad Åsele certe, sed parcissime. In Dania rarissime.

♂♀. Statura corporis linearis. Caput pallide flavum, epistomate conico. Genæ & proboscis, nigræ. Vertex & frons obscure pubescentia. Antennæ totæ fulvæ. Thoracis lineæ stramineæ in ♂ angustiores, quam in ♀. Abdominis lunulæ ochraceæ aut cinereæ. Segmentum 1:mum arcu cinereo, & ultimum totum ochraceum. Squamæ & halteres, pallida. Pedes flavo-rufi, coxis omnibus nigricantibus. Femora anteriora ad basin annulo lato nigro, postica lateribus antice macula basali ovali & postice vitta lata & longa (fere totum latus obtegente) nigris. Tibiæ posticæ annulis 2 brunneis, & tarsi ejudem paris toti fusci. Variat rarius antennis basi fuscis; variat etiam ♀ femoribus anterioribus totis flavis.

7. *H. lineatus:* niger, capite flavo, antennis fulvis, basi verticeque nigris; thoracis vittis 4 stramineis; scu-

tello flavido; abdomine maculis lateralibus flavis (♂), aut bis tribus lunulis cinereis (♀); pedibus flavo-rufis, coxis totis femorumque omnium annulo basali, nigris; tibiis posticis basi apiceque, tarsisque totis, nigro-fuscis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 3. 309. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 511. 6. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 596. 3. ♂♀. Löw Bemerk. 37. 2. *Syrphus* Fall. Syrph. 31. 28. (excl. syn. Linn. *Musca transfuga*). *Rhingia lineata* Fabr. Antl. 223. 2. ♂. *Rhingia muscaria* Fabr. Antl. 223. 3. ♀. Panz. Fn. Germ. 20. 24. ♀.

Hab. in plantis aquaticis & paludosis, per Scandinaviam, 16 Maj.—26 Jul., vulgaris; in Scania, Ostro- & Westrogothia, Ölandia & Gottlandia, frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi & Tornensi per regionem sylvaticam, rarius; in Dania raro, D. *Staeger*.

♂♀. Simillimus priori, sed forte nonnihil minor; differt præcipue: antennarum articulis 2 basalibus nigris, nec fulvis l. fuscis, vertice nigro, abdominis signaturis lateralibus in ♂ maculiformibus, nec lunulatis, ut & femorum posticorum annulo nigro in utroque sexu fere integro (superne saltem continuo, subtus interdum interrupto), nec tantum in maculis solum lateralibus notato. Anus niger. *Mas:* thoracis lineis 2 mediis angustis, canis; abdominis maculis lateralibus in segmentis 2 & 3, flavis, apice puncto cinereo sæpe notatis, & lunulis utrinque in segmento 4:to glaucis; *femina:* thoracis lineis 2 mediis nonnihil latioribus, stramineis; abdominis lunulis bis tribus glaucis, & macula in margine apicali segmentorum sæpe ejusdem coloris; ano cinereo.

73. RHINGIA Scop.

Corpus mediæ magnitudinis, oblongum, breviter subpubescens. Antennæ tuberculo frontali brevi insertæ, breves, articulo ultimo lenticulato, basi seta dorsali nuda. Epistoma in conum elongatum subhorizontaliter extensum, apertura oris angusta. Oculi nudi, ferruginei unicolores. Alæ abdomine multo longiores, incumbentes, immaculatæ, nervo longitudinali 4:to *) omnino recto. Nervus, areas discoidales ad marginem terminans, etiam subrectus; costalis pone apicem alæ desinit. Nervi longitudinales 5 & 6 infra areas subcontinuati, sed non ad marginem summum ducti. Area costalis apice late aperta. Nervus transversus ordinarius rectus. Abdomen latiusculum, ovale. Pedes validi, simplices. *Color* thoracis nigricans, abdominis ferruginans. *Motus:* volatus sat celer, brevis, rectus. *Habitatio* in floribus. *Larvæ* in stercoratis degere putantur, an recte? *Imagines* primo vere & iterum autumno frequentiores observantur, mutæ (nec pipientes); sine dubio duas generationes per annum producunt. *Differentia sexus; mas:* colore obscuriore, oculis in fronte arcte cohærentibus, a *femina:* colore lætiore, oculis modice remotis, mox dignoscitur.

1. *R. rostrata:* ferruginea, thorace nigricante. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fabr. Antl. 222. 1. Panz. Fn. 87. 22. ♀. Fall. Syrph. 33. 1. ♂♀. Ross. Fn. Etr. 490. 155. Latr. gen. 4. 320. Meig. Dipt. 3. 258. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 529. 1. ♂♀. Löw Bemerk. 30. 1. *Conops* Linn. Syst. Nat. 2. 1004. 1. Schrank Enum. 484. 989.

Hab. in floribus hortorum & cultorum, per Scandinaviam meridionalem, 4 Jun.—10 Oct., frequens; scilicet in Scania campestri vulgaris, præsertim in hortis Lunden-

*) in Dispositione p. 35 linea penultima & ultima pro "tertius" legas: quartus.

sibus copiose, flores Labiatarum, Compositarum & Umbellatarum quotannis frequentans. Circa Hafniam non raro, D. *Staeger.*

♂♀. Caput cum antennis, scutellum, abdomen & pedes ferruginea, coxis nigricantibus. Femora postica reliquis non crassiora. Alæ flavido-cinereæ. Thorax in ♂ nigricans, in ♀ cinerascens, lineis 3 in utroque sexu obscurioribus. Abdominis segmentum 1:mum fuscum. Squamæ sub alis & halteres, pallida. — Variat femoribus basi fuscis; qualia specimina etiam ad Travemundiam & Lubecam legerunt D. D. *Dahlbom & Behrens,* mihique communicarunt.

2. *R. campestris:* ferruginea, thorace, abdominis limbo angustissime, linea dorsali incisurisque, femorum basi, tibiarum annulo medio, tarsisque, nigricantibus. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 259. 2. Macq. Buff. 1. 529. 2. *Musca rostrata* DeG. Ins. 6. 130. 19. t. 7. f. 21. 22. *Rhing. rostrata* var. *β.* Fall. Syrph. 33. 1.

Hab. in floribus & foliis herbarum, locis plerumque montosis, per Scandinaviam mediam & borealem, 19 Jun.—8 Aug., passim; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Fredensborg & Omberg, haud raro; in Gottlandia, D. *Wahlberg*, & ad Martebo, D. *Dahlbom*; in Jemtlandia ad Alsen, Grimnäs, Fanbyn, Åreskutan, Mullfjellen (per totam regionem silvaticam), usque ad Skalstugan, vulgaris; in Norvegiæ Værdalia ad Garnæs, Næs & Suulstuen (in jugo alpino), frequens.

♂♀. Priori valde similis, sed abdominis pictura, tibiarum annulo tarsisque nigricantibus differt. Scutellum brunneum. Femora basi plus minus late nigrescunt. Tibiarum annulus & tarsi, fusci. — Hæc species magis borealis, prior meridionalis videtur. *Rh. rostrata* in hortis & cultis, *campestris* vero in sylvaticis & montosis mihi plerumque obvia. Ab-

dominis signaturæ & tibiarum annulus sunt constantes *campestris* notæ. Hæ duæ species non cohabitant. Varietatem scutello pedibusque fere totis nigris ad Grimnäs Jemtlandiæ legit D. *Dahlbom.*

---

74. BRACHYOPA Hffgg.

Corpus mediæ magnitudinis, angustato-oblongum, subpubescens. Antennæ tuberculo frontali brevi insertæ, capite transverso breviores, articulo ultimo suborbiculari, basi seta dorsali plumata, aut breviter pubescente. Epistoma infra oculos subperpendiculariter modice descendens, sub antennis impressum, apice truncatum. Oculi nudi, rufi v. læte brunnei, immaculati. Alæ omnino ut in *Rhingia*, at nervus aream discoidalem primam terminans magis arcuatus, & nervus 4:tus longitudinalis infra hanc aream brevior (in *B. ferruginea* longior). Pedes validi, subnudi, femoribus posticis reliquis plerumque nonnihil crassioribus. *Color* testaceus, thoracis dorso sæpe infuscato. *Motus:* volatus *Rhingiæ.* *Habitatio* in floribus & succo destillante arborum. *Imagines Br. ferrugineæ* in trunco arboris exaridæ e pupis egredientes vidi. *Larvæ* igitur in "humo lutosa" vix versantur, ut autumat *Fallén.* *Discrimen sexus; mas:* oculis in fronte per angulum cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis.

Subd. 1. thorace ferrugineo.

*) Seta antennarum distincte plumata.

1. *B. ferruginea:* ferrugineo-testacea, capite pedibusque luteo-flavis; thoracis dorso subcinereo-vittato; abdomine supra fusco-maculato; tarsis apice obscuris; nervo aream alarum discoidalem primam terminante distincte arcuato; femoribus posticis subincrassatis. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 263. 4. Zett. Ins. Lapp. 596. 1. ♂♀. *Rhingia* Fall. Syrph. 34. 3. ♂♀.

Hab. in floribus Cærophylli, Sorbi, Ledi palustris &c., per Succiam mediam & Scandinaviam septentrionalem, 15 Jun.—1 Aug., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum & Häradshammar; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia, D. *Dahlbom;* in Lapponia Umensi ad Lycksele, Wilhelmina, Åsele & Stöttingsfjellet, passim; in Norvegia ad Næs Værdaliæ in Sorbo Aucupar. mense Julio freq. — Individua 5 e pupis in trunco exsiccato arboris depositis nuper exclusa ad Lycksele d. 17 Jun. 1832 inveni.

♂♀. In hoc genere maxima. *Rhingia rostrata* nonnihil longior, sed paullo angustior. Antennarum seta nigra. Epistoma utrinque albo-micans. Thoracis dorsum plus minusve distincte cinereo-vittatum. Scutellum margine nigro-pilosum. Fasciculus pilorum rigidorum nigrorum etiam ante alas observatur. Nervus 4:tus longit. infra aream sat longe extenditur, fere in summo apice alæ excurrens. Squama albida. Halteres pallidi. Femora postica subtus rigide nigro-ciliata. Tarsi omnes apice fusci. Magnitudo, crassities femorum posticorum, & nervorum directio, speciem denotant.

2. *B. vittata:* testacea, capite pedibusque flavis; thoracis dorso ferrugineo-lineato & cinerascenti vittato; abdomine supra fusco-maculato; tarsis apice obscuris; nervo aream alarum discoidalem primam terminante obtuse angulato; femoribus posticis angustatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali, 2—30 Jul., minus frequens; scilicet ad diversorium Forsa prope radicem Mullfjellet Jemtlandiæ, rarius; in Sorbo Aucupar. ad

Næs Værdaliæ Norvegicæ paullo frequentius legi, Jul. 1840. E pupa, etiam in Jemtlandia capta, ovato-conica, grisea, opaca, nuda, antice obtusa supra corniculis 2, postice acuminata, ad apicem supra subexcavata, ambitu dentibus utrinque 3 ciliatis armato, imaginem egressam obtinuit D. *Boheman*, æstate 1832.

♂♀. Valde similis & affinis priori; sed magnitudine nonnihil minore, colore paullo pallidiore, epistomate nonnihil longiore, apice magis coarctato, tuberculo nasali evidentiore, femoribus posticis multo angustioribus, nervo alarum aream primam terminante in angulum subrectum curvato, nec arcuato, atque fere in apice alæ cum nervo 4:to longitudinali coeunte ibique angulum acutum formante, aperte & vere differt. Thoracis dorsum lineis 3 ferrugineis, interstitiis leviter cinerascentibus. Tarsi postici toti nigri. Reliqua ut in antecedente.

3. *B. testacea:* testacea, capite pedibusque flavis; thoracis dorso ferrugineo-lineato, abdomine supra fusco-maculato; tarsis apice obscuris; nervo aream alarum discoidalem primam terminante subrectangulatim curvato; femoribus posticis angustatis; antennarum seta breviter plumata. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 597. 2. ♂♀. *Rhingia* Fall. Syrph. 34. 1. certissime ♂♀. (Vix *Brachyopa conica* Meig. eadem?)

Hab. in floribus Salicis Capreæ, pentandræ &c., etiam in floribus Aceris, Sorbi, Berberidis, Pruni Padi, Ledi palustris, Umbellatarum &c., per Scandinaviam mediam & borealem, 2 Jun.—5 Aug., passim, in copula; nempe in Smolandia rar.; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Lärketorp, Fredensborg &c. frequens; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia usque ad Ristansfors & Mull-

fjellet, haud raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Stensele, passim; in Norvegia ad Thynæs, Näs, Garnäs usque ad Suul in jugo alpino Værdaliæ, copiose.

♂♀. Præcedenti iterum similis, sed fere duplo minor, & colore dilutiore, antennis epistomateque nonnihil brevioribus, nervo aream ultimam terminante in angulum fere rectum curvato, & antennarum seta breviter plumata differt.

**). Seta antennarum subnuda seu brevissime pubescente.

4. *B. dorsata:* ferrugineo-testacea, capite flavo; thoracis disco cinereo; abdomine supra fusco-maculato; tarsis apice obscuris; nervo aream alarum primam terminante per angulum obtusum curvato. ♂♀. (Long. 3—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 597. 3. ♂♀. An *Brach. conica* Meig. Dipt. 3. 261. 1? *Musca conica* Panz. Fn. 60. 20?

Hab. in Lapponiis Suecicis, passim; in floribus Salicis ad Lycksele Lapponiæ Umensis, & ad Juckasjervi Lappon. Tornensis, 4 Jun.—1 Jul., specimina 2 mascula & 8 feminea inveni.

♂♀. Similis *Br. testaceæ*, a qua tamen corpore nonnihil robustiore, colore saturatiore, thoracis dorso evidentius cinereo-colorato, angulo nervi aream ultimam terminantis obtusissime angulato, ut & præsertim seta antennarum minime plumata, oculo armato tantum subpubescente, certe differt. Thoracis dorsum disco toto cinereo, linea utrinque laterali & media geminata, obscuris. *Meigeni* synonymon dubium, quoniam de antennarum nudidate vel plumatione omnino silet Auctor. — Femina variat thoracis dorso ferrugineo, vittis 3 obscuris subconfluentibus.

Subd. 2. thorace toto glauco. Antennæ nudæ.

5. *B. bicolor:* thorace plumbeo, capite, scutello, abdomine pedibusque flavo-ferrugineis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 3. 262. 2. ♂♀. t. 30. f. 6. ♂. Macq. Buff. 1. 531. 2. Löw Bemerk. 30. 1. *Rhingia* Fall. Syrph. 33. 2. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 20 Maj.—20 Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund (in Lundegård) in succo destillante arborum sauciatarum Æsculi Hippocastani 20 Maj. 1822 specimina 18 legi, deinde non visa; in Ostrogothia in floribus Salicis pentandræ ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp in succo destillante Quercus, ipse; in Uplandia ad Holmiam in floribus Aceris, idem D. *Wahlberg*.

♂♀. Magnitudo & affinitas *B. dorsatæ*, sed thorace toto plumbeo, & femoribus posticis crassioribus mox dignota. Caput flavum, antennis fulvis, seta nuda nigricante. Frons (♀) plumbea. Thorax glaucus, lineis 3 dorsalibus obscuris. Scutellum brunneum. Abdomen flavum, incisuris tenuissime fuscis. Pedes ferruginei, femoribus posticis nonnihil crassioribus. Tarsi fusci.

Obs. Rhingia scævoides Fall. seu *Brachyopa* eadem Meig. ad genus *Pelecoceram* pertinet.

---

75. DOROS Meig.

Corpus majoris magnitudinis, oblongum, abdomine basi plus minusve coarctatum; glabriculum. Antennæ protuberantiæ convexæ frontis insertæ, basi remotæ, breves, articulo ultimo patelliformi, basi seta dorsali nuda. Epistoma subtuberculatum, infra oculos nudos non descendens. Apertura oris mediocris, ovata. Proboscis retracta. Palpi parvi.

Alæ longitudine abdominis, subdivaricatæ. Nervi: longitudinalis 4:tus rectus, fere in apice alæ excurrit; transversus ord. rectus; aream discoidalem primam terminans, flexus, cum tertio sat longe intra apicem coit; costalis in apice alæ desinit. Area costalis apice late aperta. Pedes haud validi, simplices, nudi & inermes. *Color* niger. Pictura: thoracis linea lateralis, scutellum, abdominisque fasciæ, flava. Alæ aut costa tota aut saltem stigmate fusco. *Motus:* volatus celerrimus. *Habitatio* in floribus & foliis plantarum. *Metamorphosis* ignota. *Discrimen sexus; mas:* fronte antice distincte convexa, oculis per angulum cohærentibus; *femina:* fronte antice minus convexa, oculis supra antennas per triangulum magnum remotis, postice appropinquantibus, h. e. per interstitium modice angustatum sejunctis.

1. *D. conopseus:* niger, antennis fuscis; faciei linea laterali, thoracis vitta utrinque, abdominisque basi coarctati cylindrici fasciis 4, prima obliqua, interrupta, flavis; scutello ferrugineo; pedibus testaceis, femorum fascia lata, tibiarum annulo medio, tarsisque apice, nigris; alarum costa nigricante. ♂♀. (Long. 5—5½ lin.).

Meig. Dipt. 7. 130. 1. t. 68. f. 7. ♀. Macq. Buff. 1. 550. 1. *Milesia* Fabr. Antl. 195. 29 (exclus. syn. Linn. *Musca Conopsoides*, quæ ad *Ceriam clavicornem* pertinet). *Scæva conopsea* Fall. Syrph. 37. 2. ♂♀. *Syrphus conopseus* Meig. Dipt. 3. 296. 35. ♂♀. *Syrphus coarctatus* Panz. Fn. 45. 22. ♀. Latr. Gen. 4. 325.

Hab. in pratis & lucis, in floribus Umbellatarum, foliis Coryli &c. sæpe in vicinitate aquæ deprehensus, per Sueciam meridionalem & mediam, 22 Maj.—16 Jul., minus frequenter & semper solitarie obvius; scilicet in Scania ad Fogelsång, Lund (in Paradislyckan), & utrumque Esperöd; in Blekingia ad Skillinge; in Ostrogothia ad Rismarken prope Wadstena, D. *Dahlbom*, ad Gusum,

D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp, ipse; in Gottlandia ad Nähr; in Uplandia ad Upsaliam, teste D. *Wahlberg*, sed supra hanc provinciam hactenus frusta quæsitus. (Ex Helvetia eundem a D. *Konewka* etiam obtinui).

♂♀. Similis *Ceriæ clavicorni*, at antennæ aliæ. Elongatus, angustus, subcylindricus, abdomine basi distincte coarctato; niger. Antennæ fuscæ, articulo primo nigro. Orbita oculorum facialis & tuberculum epistomatis, flava. Abdominis fasciæ 4 flavæ; harum prima in segmento 2:do interrupta e lineola utrinque obliqua constituitur; tres reliquæ in incisuris segmentorum locatæ: Alarum costa tota distincte brunnea. Squamæ & halteres sordide albida, horum clava pallida. Pedes testacei, femorum medio superne latissime, tibiarum annulo medio, tarsorumque articulis 2 vel 3 ultimis, nigricantibus.

2. *D. festivus:* niger, capite pedibusque flavis; antennis fulvis; thoracis vitta utrinque, scutello subtoto, abdominisque basi parum coarctati fasciis 4 æqualibus, interruptis, citrinis; alis lineola fusca; fronte feminæ triangulari, vitta obscura. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 7. 30. 2. Macq. Buff. 1. 350. 2. *Musca* Linn. Fn. 1812? Schrank Enum. 446. 906. *Eristalis* Fabr. Antl. 242. 46. *Scæva* Fall. Syrph. 38. 3. ♂♀ certe. *Syrphus* Ross. Fn. Etr. 450. 1470. Latr. Gen. 4. 325. Meig. Dipt. 3. 297. 36 verus. *Musca citro-fasciata* Degeer Ins 6. 118. 9.

Hab. in floribus & foliis fruticum, terræ nudæ etiam sæpe insidens, per Scandinaviam meridionalem, & mediam 3 Maj.—17 Aug., passim, tempore vernali præsertim frequenter; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Blekingia. D. v. *Borck;* in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Jonsberg, Lärketorp &c., non raro; in Gottlandia ad

Sproge; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania, D. *Dahlbom.*

♂♀. Priori brevior, sed latior niger. Caput flavum, antennis fulvis, vertice & genis nigris. Frons in ♀ late triangularis lineola & vertice angustato, nigris. Thoracis vitta lateralis, macula pectoris & alia infra scutellum, in utroque sexu citrina. Scutellum flavum, puncto utrinque nigro & umbra basali fusca. Abdomen fasciis 4 subæqualibus in basi segmentorum 2, 3, 4 & 5, albo-flavis, rectis, harum 1:ma late interrupta, ad marginem lateralem nonnihil latior; 2:da & 3:tia anguste interruptæ, 4:ta subarcuata, sub segmento 4:to plerumque ad partem abscondita. Segmenta 2 ultima margine apicali sæpissime etiam flava. Squamæ nigræ; halteres pallidi. Alæ cinereæ, lineola in medio costæ brunnea. Pedes flavi, coxis & trochanteribus nigris.

Obs. Color capitis, scutelli & pedum in vivo læte flavus l. citrinus, in mortuo in fulvum l. luteum plerumque mutatur. Color fasciarum abdominis pallide flavus post mortem immutatus manet. — Synonymon *Linnæi* dubium est, quia Vir Ill. de sua *Musca festiva* dicit: "Frons lineis 2 perpendicularibus flavis; antennæ nigræ, capite longiores, subclavatæ"; quæ notæ in nostrum non quadrant.

3. *D. ornatus:* niger, capite pedibusque flavis, femorum posticorum apice tibiarumque annulo, fuscis; antennis fulvis; thoracis vitta utrinque, scutelli apice, abdominisque basi parum coarctati fasciis 4 interruptis, anticis maculiformibus omnibus citrinis; alis lineola nigricante; fronte feminæ triangulari, vitta obscura. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Meig. Dipt. 7. 130. 3. Macq. Buff. 1. 550. 3. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 298. 37. ♂♀. *Scæva festiva* Fall. Syrph. 38. 3. Descript. variet.: "fascia abdominis prima maculas laterales trigonas formante", & "genubus nigris."

Syrphus ornatus Germar in Ahrens. Fn. Europ. fasc. 10. t. 20. ♀.

Hab. in foliis plantarum & floribus Pastinacæ &c., per Scandinaviam, 4 Jun.—15 Aug., passim, longius versus boream, quam *D. festivus*, procedens; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Lindholmen &c., haud raro; in Blekingia; in Ostrogothia ad Häradshammar, Gusum, Lärketorp & Fredensborg, passim; in Ölandia, rar.; in Bahusia ad Marstrand, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Thynæs in Skogn, & ad Næs in Værdalia, freq., D. *Dahlbom*; in Dania, D. *Westermann*. (E Glogavia uterque sexus etiam a D. *Zeller* benigne missus).

♂♀. Similis & affinis priori, nec differt ab illo nisi abdominis fascia prima in segmento 2:do late interrupta maculas ad latera 2 appositas flavas trigonas formante, scutelli tantum apice (nec etiam medio baseos), flavo, pedum posticorum annulo latiusculo intra apicem tibiarumque annulo medio angustiori, obscuris vel nigris, ut & alarum macula in medio costæ distinctiore. Ex utroque quoque ambo occurrunt sexus.

4. *D. decoratus:* niger, capite pedibusque flavis, antennis fuscis, infra luteis; thoracis vitta laterali, scutelli apice, abdominis basi parum coarctati fasciis 4 interruptis, anticis maculiformibus, omnibus citrinis; alis lineola nigricante; fronte feminæ subparallela, antice flava, postice determinate ænea. ♀. (Long. 4 lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund specimen unicum inventum.

♀. Duobus proxime præcedentibus simillimus, sed a *D. festivo:* abdominis fascia prima e maculis 2 magnis lateralibus trigonis constante, alarum macula distinctiori & scutelli basi nigra; a *D. ornato:* pedibus posticis flavis immacula-

tis, & ab utroque: antennis superne fuscis, atque præcipue fronte subæqualiter lata, minus triangulariter formata, posterius scilicet latiore quam in prioribus, antice (supra antennas) flava immaculata (nec linea nigra notata), dimidio postico cum vertice nitido, æneo, nec nigro, vere distinctus. — Pedes ut in *festivo*, abdomen scutellum & alæ ut in *ornato*, picta. Affinis *Scævæ*.

---

76. SCÆVA Fabr.

Corpus majoris, mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum (in *S. Syrphoide* ovatum), aut sublineare, pubescens. Antennæ basi subdistantes, fronti subporrectæ insertæ, nutantes, longitudine vix capitis transversi, articulo ultimo compresso, rotundato aut ovali, basi seta dorsali nuda. Epistoma leviter tuberculatum, infra oculos haud descendens (in *Sc. manicata & rostrata* extensum), margaritaceum, apice æqualiter latum. Oculi vel nudi vel hirti, semper obscure ferruginei, parum æneo-micantes, unicolores. Thorax pubescens vel hirtus, immaculatus. Alæ abdomine paullo longiores, hyalinæ, immaculatæ, semi divaricatæ. Nervi: longitudinalis 4:tus aut nonnihil curvatus (sed non tam distincte ut in *Syrpho* inflexus), in summo apice excurrit ibique cum nervo costali conjungitur; longitudinales 5 & 6 infra areas discoidales plerumque nonnihil continuati, sed non ad summum marginem descendentes; transversus ordinarius subperpendicularis; nervus, qui aream discoidalem primam terminat, leviter tantum flexus cum nervo long. 4:to paullo intra apicem conjunctus. Area costalis apice late aperta. Pedes simplices, tenues, tibiis posticis rectis, non compressis. *Color* nigricans, thoracis sæpissime metallicus, ænescens, pictura abdominis pallide fasciata. *Motus:* volatu rapidissima; in aëre sæpe quasi pendent imagines, velocissime avolant, mox ad idem punctum lusu repetito revertentes. *Habitatio* in floribus præsertim Umbellatarum & Compositarum, foliis plantarum &c.; in lucis

& nemoribus aërem sono pipiente æstate implent imagines specierum quarundam. *Larvæ* elongatæ, multiannulatæ, apodæ, aphidivoræ. *Pupæ* flavæ, subpellucidæ, culmis vel Olerum foliis adglutinatæ. *Discrimen sexus; mas:* oculis in fronte cohærentibus & tarsis anticis interdum subdilatatis; *femina:* oculis modice remotis, tarsis semper simplicibus. — Ut species numerosæ facilius examinentur sequentem Subdivisionum Conspectum proposui.

Sect. 1. Corpus latum, ovatum.

1 *Syrphoides.*

Sect. 2. Corpus oblongum, elongatum aut angustatum.

Subdivisio Prima. Abdomen oblongum ovale, fasciis flavis, aut rectis, aut arcuatis. Pedes semper simplices. Majores, pipientes, supra terram plerumque sat alte volantes.

A. *Alarum nervus 4:tus longitudinalis in disco alæ paullo incurvatus. Scutellum flavicans.*

a.) Oculi nudi.

* Antennæ ovato-oblongæ, apice subacutæ. (*Enica* Meig. *Didea* Macq.)

2 *Alneti.*

** Antennæ oblongo-ovatæ, apice rotundatæ.

3 *lapponica.*

b.) Oculi hirti. Antennæ oblongo-ovatæ, apice rotundatæ.

4 *annulipes.* 5 *Pyrastri.* 6 *selenitica.*

B. *Alarum nervus 4:tus longitudinal. rectus vel tantum levissime flexus, ita ut hic & longitudinalis 3:tius paralleli vel subparalleli ad marginem apicalem descendant. Antennæ ovatæ aut oblongo-ovatæ, apice semper rotundatæ.*

α.) Oculi nudi.

Phal. 1. Scutellum pallidum. Caput flavum.

†. Fasciæ abdominis simplices.

*). Fasciæ abdominis rectæ, intermediæ saltem non interruptæ (♂ *S. Corollæ* fasciis intermediis sæpe integris sub n:o 23 quærendus).

7 *Grossulariæ.* 8 *Ribesii.* 9 *vitripennis.* 10 *nitidicollis.* 11 *nigritarsis.* 12 *diaphana.* 13 *melanostoma.* 14 *nitens.* 15 *bifasciata.* 16 *lineola.* 17 *vittigera.*

**). Fasciæ abdominis rectæ, omnes interruptæ.

18 *sexmaculata.* 19 *relicta.* 20 *unifasciata.*

***). Fasciæ abdominis arcuatæ l. maculæ utrinque lunulatæ (in *Sc. Corollæ* subrectæ & in ejus ♂ sæpe cohærentes).

21 *lunigera.* 22 *arcuata.* 23 *Corollæ.*

††. Fasciæ abdominis duplicatæ seu geminatæ.

24 *balteata.*

Phal. 2. Scutellum æneum. Caput metallicum.

25 *hyalinata.*

β. Oculi hirti.

* Fasciæ abdominis rectæ.

†. Fasciæ abdominis saltem intermediæ continuæ (in *Sc. tricinctæ* var. b. interruptæ).

26 *topiaria.* 27 *tricincta.*

††. Fasciæ abdom. omnes interruptæ (in ♀ *S. albostriatæ* fasciæ intermediæ plerumque subcontinuæ; in *S. maculari* maculiformes).

28 *glaucia.* 29 *albo-striata.* 30 *venusta.* 31 *hilaris.* 32 *macularis.* 33 *tarsata.*

** Fasciæ abdominis arcuatæ l. lunulatæ.

34 *lunulata.* 35 *obscura.*

Subdiv. Secunda. Abdomen angustum, lineare, fasciis flavis semper rectis. Tarsi interdum incrassati aut dilatati. Minores, vix pipientes, juxta terram plerumque volantes. Oculi nudi (i *S. lasiophthalma* hirti).

A.) Scutellum flavum. Epistoma album aut flavum. Antennæ rotundatæ. Tarsi simplices. Imagines loca arida præsertim amantes.

* *Fasciæ abdominis interruptæ, interdum maculares.*

36 *Umbellatarum.* 37 *lasiophthalma.* 38 *maculicornis.* 39 *triangulifera.* 40 *decora.* 41 *guttata.* 42 *arctica.* 43 *barbifrons.*

** *Fasciæ abdominis intermediæ integræ.*

44 *cincta.* 45 *cinctella.* 46 *auricollis.* 47 *annulata.*

B.) Scutellum æneum thorace nitido concolor. Epistoma æneum. Antennæ rotundatæ aut subovatæ. Imagines in graminosis & locis paludosis plerumque versantur. Alæ hyalinæ. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli; nervulus, qui aream primam terminat, curvatus.

†. Tarsi masculorum incrassati aut dilatati; antici feminarum breves serrati. Oculi nudi.

a. Abdomen interrupte fasciatum vel quadratim maculatum.

α.) epistomate longe & conice descendente.

48 *manicata.* 49 *rostrata.*

β.) epistomate quidem tuberculato, sed neque longe neque conice descendente.

50 *peltata.* 51 *clypeata.* 52 *ferruginea.* 53 *fulviventris.* 54 *podagrata.* 55 *scutata.* 56 *albimana.*

b. Abdomen rufum, apice nigro-fasciatum.

57 *Ocymi.*

††. Tarsi in utroque sexu simplices.

58 *Rosarum.* 59 *transfuga.* 60 *ambigua.* 61 *nitidula.* 62 *mellina.* 63 *scalaris.* 64 *angustata.* 65 *dubia.*

Sect. 1. Corpus latum, ovatum. (In hoc genere maxima).

1. *S. Syrphoides:* nigra, capite, scutello anoque flavis; scutello, abdominis basi apiceque pallide hirsutis; alis fascia media fusca. ♂♀. (Long. 4—4½, latitudo thoracis postici 2, abdominis medii fere 2½, lin.).

Fall. Syrph. 36. 1. ♂♀. *Syrphus œstriformis* Meig. Dipt. 3. 350. 60 (secund. Fall. transscript.).

Hab. in Suecia media & boreali, rarissime; ad prædium amœnissimum Berga in provincia Calmariensi Smolandiæ unicum marem unicamque feminam d. 2 Aug. 1810 detexi, deindeque in floribus Sonchi in agro cereali ad diversorium Kurland in parœcia Arbrå Helsingiæ d. 24 Aug. 1840 duo individua feminea vidi, quorum alterum deprehendi. — In Westrogothia ad Halleberg a D. *Boheman* quoque capta erit.

♂♀. Inter nostrates maxima, lata & robusta, *Syrpho intricario* colore & habitu similis, epistomatis structura, nervorum directione &c., mox dignota. Antennæ longitudine capitis transversi, subporrectæ, atræ, articulo ultimo oblongo, versus basin seta nuda, rufa. Epistoma flavum, genis & ore nigris. Frons supra antennas nigra, postice (in ♀) æneseens, nigro-hirta. Oculi hirti. Thorax niger, collari, in primis ad latera grisescente hirto. Scutellum albidum, pallido-hirsutum. Abdomen nigrum, basi & apice pallido-hirsutis; segmento primo glaucescente, 4:to apice, & 5:to toto luteis. Alæ hyalinæ, nubecula fusca. Nervus long. 4:tus rectus vel omnium levissime curvatus. Squamæ & halteres, obscura, horum petiolo pallido. Pedes nigri, genubus tibiisque anterioribus, tarsisque omnibus obscure rufo-ferrugineis.

Sect. 2. Corpus oblongum, elongatum aut angustatum.

Subdiv. Prima. Abdomen oblongum, ovale, fasciis flavis, aut rectis aut arcuatis. Pedes semper simplices. Majores, pipientes, supra terram plerumque sat alte volantes.

A. *Alarum nervus 4:tus longitudinalis in disco alæ paullo incurvatus. Scutellum flavicans.*

a.) Oculi nudi.

* Antennæ ovato-oblongæ, apice subacutæ. (*Enica* Meig. *Didea* Macq.)

2. *S. alneti:* nigra, thorace nigro-æneo, nitido, scutello flavicante; abdomine maculis bis tribus oppositis, viridibus aut pallidis; genubus flavis; antennis apice subacutis. ♂♀. (Long. 4—4$\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. fasciis abdominis virescentibus.

Fall. Syrph. 38. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 598. 1. ♂♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 310. 51. ♂♀. Macq. Buff. 1. 539. 17. *Syrphus glaucius* Panz. Fn. 59. 17. ♂ (exclus. syn. Fabr. & Linn.).

Var. b. ♂♀. fasciis abdominis flavescentibus.

Zett. l. c. var.

Hab. in floribus sylvestribus, in pascuis & Juniperetis, sæpe locis umbrosis paludosis, per Scandinaviam, 22 Jun.—1 Sept., minus freq.; scilicet var. a: in Scania ad Esperöd & Karakås, in Alnetis, D. *Fallén;* in Smolandia ad Berga; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena, D. *Dahlbom;* ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Sudercopiam, Jonsberg & Häradshammar in Umbellatis præcipue in Pastinaca, D. *Stenhammar*; in Ölandia rar.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Lyckselc & Umenäs, in Tornensi ad Muonioniska, rarius; var. b. in Ostrogothia & Lapponia præsertim obvia.

♂♀. Lata, abdomine exacte ovali. Antennæ nigræ vel nigro-fuscæ, seta versus basin ad tertiam partem totius articuli ultimi inserta, rufa. Frontis macula cordata in ♀, & vertex totus in utroque sexu, nigra. Epistoma flavum, tuberculo nigro. Abdomen atrum, in segmentis: 2:do maculis 2 oblique oppositis, non coëuntibus; 3:tio basi fascia recta, integra, in medio profunde emaginata; 4:to fascia subarcuata, sæpe (in speciminibus borealibus & fasciis flavis) integra medio emarginata, plerumque vero interrupta, relicta tantum macula utrinque; quæ signaturæ in vivo insecto partim flavæ, partim virides, in mortuo plerumque flavæ. Alæ vitreæ, stigmate tenui, nigricante, nervo 4:to arcuatim distincte quidem flexo, minus tamen quam in *Syrpho*. Squamæ albæ; halteres fusci. Femora anteriora ferruginea, basi nigra. Tibiæ anteriores flavæ, in medio fuscæ. Genua postica rufa. Anus niger. — Variat abdominis segmento 5:to macula utrinque flava.

** Antennæ oblongo-ovatæ, apice rotundatæ.

3. S. *lapponica:* nigra, thorace nigro-æneo, nitido, scutello flavicante; abdomine bis tribus lunulis, pedibusque, flavis, femorum basi tarsorumque medio nigricantibus; antennis alarumque stigmate fuscis. ♂♀. ($3\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. abdominis lunulis flavis distinctis.

Zett. Ins. Lapp. 598. 2. ♂♀. var. a.

Var. b. ♀. abdomine nigro immaculato; lunularum scilicet vix vestigio.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♀. similis var. a., sed duplo minor.

Hab. in floribus Salicum per Scandinaviam borealem, 21 Jun.—21 Aug., minus frequens; scilicet in Lapponia Tornensi ad Kihlangi, Muonioniska & Juckasjervi, passim; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime. E pupa ovata inermi, opaca, albida, undique crebre nigro-

strigata, culmoque adglutinata, imago egressa ad Stensele Lappon. Umensis d. 4 Jul. 1832.

♂♀. *Scaevae arcuatæ* (22) simillima & valde affinis; sed differt magnitudine nonnihil majore, femoribus basi latius nigris, alis magis pure vitreis, & nervo longit. 3:tio distinctius curvato. Similis quoque *Sc. Pyrastri*, magnitudine vero paullo minore, thorace æneo, nec cærulescenti, & fronte non convexa ab ea dignota. Antennæ fuscæ. Epistoma flavum, vitta media denudata, nigra. Linea frontalis in femina nitida & vertex in utroque sexu, nigra. Abdomen nigrum, lunulis bis tribus modice latis, primo pari subrecto, flavis. Segmenta 4 & 5 margine apicali etiam tenuiter flava. Venter niger, maculis majoribus flavis, & sæpe etiam minoribus rufis. Squamæ & halteres albida. Pedes flavi, femoribus anterioribus basi posticisque fere ad apicem nigris. Tibiarum posticarum annulus obsoletus, tarsorumque omnium articuli 2, 3, 4, fusci. Nervus long. 4:tus minus curvatus, quam in priori.

b.) Oculi hirti. Antennæ oblongo-ovatæ, apice rotundatæ.

4. S. *annulipes:* nigra, thorace nigro-æneo, nitido, scutello flavicante; abdomine fasciis tribus, prima interrupta, pedibusque, flavis, femorum basi, tibiarum posticarum annulo tarsisque omnibus & totis, antennisque, nigris; alarum stigmate nigricante. ♂♀. (Long. ♂ $3\frac{1}{2}$, ♀ sæpe $4\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 599. 3. ♂♀.

Var. b. ♂♀. tarsis nigricantibus, articulo primo & ultimo flavidis.

Hab. in floribus Leontodontis, Ranunculi, Thlasp. arvensis, Ribis rubri &c., per Sueciam mediam & borealem, 19 Jun.—26 Aug., var. a. passim; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, Häradshammar & Jonsberg

haud raro, D. *Stenhammar;* in Gottlandia ad Wamblingbo, D. *Dahlbom;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Stråtjära & Kårböle non parce; in Lapponia meridionali Umensi ad Lycksele, Tresunda & Stöttingsfjellet, passim. Var. b. non nisi rarissime mihi obvia, sed uterque sexus e Glogavia d. 23 Maji 1842 mihi a Cel. D. *Zeller* benigne communicatus.

♂♀. A præcedente, cui similis, differt: magnitudine plerumque majore præsertim feminæ, antennis nigris, fronte latius nigra, oculis hirtis, abdominis fasciis rectis, nec lunatis, harum 2 & 3 integris, halteribus fuscis, alarum linea stigmaticali obscuriore, tibiarum posticarum annulo medio nigro distinctiore, ut & tarsis sæpe totis nigricantibus. — Variat rarissime abdomine nigro, fasciæ primæ rudimento bimaculiformi; Collectio Illustr. D. *Fåhræi.* — Cum *S. topiaria* (n:o 25) hæc species non confundenda.

5. *S. Pyrastri:* thorace cæruleo, nitido, vitta laterali scutelloque pallidis; abdomine cærulescenti atro, bis tribus lunulis albidis vel flavidis, posterioribus 4 obliquis; capite pedibusque flavis, antennis, epistomatis tuberculo, femorum basi tarsisque nigricantibus; alis vitreis, stigmate cinereo; fronte convexa. ♂♀. (Long. circiter 5 lin.).

Fall. Syrph. 39. 5. ♂♀. Fabr. Antl. 249. 3. *Musca* Linn. Fn. 1817. Schrank Enum. 447. 907. *Syrphus* Fabr. Ent. Syst. 4. 305. 102. Rossi Fn. Etr. 454. 1479. Meig. Dipt. 3. 303. 44. ♂♀. Macq. Buff. 1. 536. 3. Löw Bemerk. 37. 2.

Hab. in floribus & foliis plantarum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 15 Jul.—1 Octob., vulgaris; scilicet in Scania, Blekingia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia, frequentissima; in Uplandia ad Holmiam & Carlberg, D. D. *Wahlberg* & *Stenham-*

mar; in Dalecarlia ad Uppbo, rarius; in Dania frequens. (In Helgolandia a D. *Dahlbom* capta, & e Glogavia a D. *Zeller* communicata). *Larvam* viridem, linea longitudinali alba, in Pyro & Rosa aphidivoram, & *pupam* larva contracta in formam antice obtusam, plantæ ano affixam describunt Auctores.

♂♀. Magna oblonga. Caput flavum (in viva albidum), tumidum, præsertim in ♂. Epistomatis tuberculum & os nigra. Antennæ nigro-brunneæ, basi subtus luteæ. Frons convexa, nigro-hirta. Vertex niger. Oculi in ♀ late distantes, in utroque sexu valde hirti. Abdomen cærulescenti atrum, bis tribus lunulis plerumque albidis, interdum flavidis, primi paris subrectis seu transversim positis, sed 4 posterioribus oblique positis seu sursum flexis. Margo apicalis segmentorum 4 & 5 tenuiter flavidus. Venter pallidus, maculis subquadratis nigris. Alarum nervus long. 4:tus leviter tantum flexus paullo ante apicem alæ excurrit ibique cum nervo costali desinente conjunctus. Squamæ & halteres alba. Pedes flavi, femoribus anterioribus basi, posticis fere ad apicem coxisque omnibus, nigris. Tarsorum articuli 4 ultimi (interdum omnes) obscuri.

Variat femina rarius abdomine nigro, immaculato, ad Kjeflinge prope Lund a D. *Dahlbom* mens. Sept. capta; talia specimina etiam ex Hamburgo a D. von *Winthem* obtinui.

6. *S. selenitica:* thorace cæruleo, nitido, vitta laterali scutelloque pallidis; abdomine cærulescenti atro, bis tribus lunulis flavidis vel citrinis, omnibus transversis; capite pedibusque flavis, antennis, epistomatis tuberculo, femorum basi tarsisque nigricantibus; alis vitreis, stigmate cinereo; fronte convexa. ♂♀. (Long. 4—$4\frac{1}{2}$ raro 5 lin.).

Var. a. ♂♀. abdominis lunulis perspicuis.

Syrphus seleniticus Meig. Dipt. 3. 304. 45. Löw Bemerk. 34. 3.

Var. b. ♀. abdominis lunulis aut nullis aut earum tantum vestigio.

Hab. cum priori, mense Jul.—Sept., passim minus frequens; scilicet var. a. in Scania ad Lund, Abusa, utrumque Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena; in Gottlandia ad Westerheide, D. *Wahlberg;* ad Hafniam, D. *Staeger.* (E Glogavia plura specimina utriusque sexus e larvis educata a D. *Zeller* Maji 1812 obtinui). Var. b. rarissime obvia, in Carduo ad Lund Scaniæ a D. *Dahlbom* inventa, & in Ostrogothia ad Wadstena etiam a me lecta.

♂♀. Simillima *Sc. Pyrastri*, sed differt: magnitudine plerumque paullo minore, & præcipue abdominis lunulis magis flavis l. citrinis, nec albis, & quatuor posterioribus non oblique ductis, sed transversim positis. Variant præterea hæ signaturæ latiores vel angustiores. Sed colorem alarum stigmatis obscuriorem & pectoris dilutiorem quam apud speciem præcedentem, de quibus mentionem fecit Cel Löw l. c., in meis exemplis iisque haud paucis, non observavi.

Obs. Individuum unicum femineum, abdominis maculis parum lunatis, femoribus posticis fere totis metatarsisque omnibus flavis dignotum, de cetero huic speciei simillimum, sub nomine *Syrph. seleniticus* Meig. a D. *Stæger* accepi, potius nova species videtur, cujus tamen patria mihi ignota.

B. *Alarum nervus 4:tus longitudinalis rectus vel tantum levissime flexus, ita ut hic & longitudinalis 3:tius paralleli vel subparalleli ad marginem apicalem descendant. Antennæ ovatæ aut oblongo-ovatæ, apice semper rotundatæ.*

α.) Oculi nudi.

Phal. 1. Scutellum pallidum caput flavum.

†. Fasciæ abdominis simplices.

*) Fasciæ abdominis rectæ, intermediæ saltem non interruptæ (♂ *S. Corollæ* fasciis intermediis sæpe integris sub n:o 23 quærendus).

7. *S. Grossulariæ:* thorace viridi-æneo subopaco, ferrugineo-pubescente; abdomine atro, fasciis 4 rectis latis, prima interrupta, reliquis integris, pedibusque, flavis; antennis femorumque ima basi nigris; tarsis apice fuscis; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Syrphus Meig. Dipt. 3. 306. 48. ♂♀. Macq. Buff. 1. 542. 26. Löw Bemerk. 34. 14. *Scaeva Ribesii* var. major Fall.

Hab. in hortis, lucis & pratis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 22 Jun.—5 Sept., passim, in floribus Umbellatarum & Compositarum mihi præsertim obvia; nempe in Scania ad Lund, Abusa &c. non infrequens; in Blekingia ad Skillinge; in Smolandia ad Anneberg; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Lärketorp, Wadstena, Fredensborg &c., haud raro; In Gottlandia ad Ejsta & Öja, freq. (Specimina typica Professoris *Læwii* Dissertationis in agro Posnaniensi collecta mihi quoque communicavit Cel. *Zeller*).

♂♀. In hoc genere magna & in hac subdivisione maxima. Thorax subopacus, antennæ totæ atræ, macula supra antennas nigra, abdominis fasciæ intermediæ flavæ rectæ, integerrimæ, ut & femora in utroque sexu basi tantum angustissime nigra, speciem denotant & ab affinibus distingvunt. Caput flavum, tuberculo nasali fulvo. Antennæ cum seta, macula supra antennas cordata, haud dentata (per vittam obscuram cum nigredine verticis in ♀ cohærens), vertex & proboscis, nigra. Abdominis fasciæ flavæ: prima interrupta, maculiformis; 2 & 3 latæ, rectæ, integerrimæ;

4:ta angustior e flavedine marginis apicalis segmenti quarti constituitur. Segmentum 5:tum seu anale plerumque totum flavum, fasciola media difformi nigra sub margine apicali segmenti 4:ti ad partem plerumque occulta. Nervus long. 4:tus vix curvatus. Squamæ & halteres, flava. Pedes fulvo-flavi, coxis totis & femoribus basi circiter ad 5:tam vel 6:tam partem nigris. Tarsorum articuli 2, 3, 4 fusci. Coxæ anticæ & posticæ sæpe testaceæ. Scutellum fusco-pilosum.

Var ♂ tibiis posticis annulo medio fusco. In uno alterove specimine abdominis fascias intermedias in medio marginis postici levissime emarginatas vidi. Gottlandia.

8. *S. Ribesii:* thorace æneo, subopaco, ferrugineo-pubescente, scutello pallido; abdomine atro, fasciis 4 rectis subangustatis, prima interrupta, 2 & 3 postice leviter emarginatis, pedibusque, flavis; antennis superne nigris, inferne luteis; femoribus basi in ♂ latius, in ♀ angustissime, maculaque frontali tridentata in utroque sexu, atris; tarsis obscuris; alis hyalinis, basi stigmateque pallidis. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Syrph. 40. 6. ♂♀. Fabr. Antl. 248. 1. Zett. Ins. Lapp. 599. 5. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1816. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 306. 49. ♂♀.

Hab. in floribus hortorum & pratorum, per Scandinaviam, 10 Maj.—20 Sept., frequentissime; scilicet in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia & Uplandia, vulgaris; in Dalecarlia ad Rörshyttan, D. *Dahlbom;* in Jemtlandia ad Berge & Alsen usque ad Åreskutan; in Lapponia Umensi & Tornensi, passim. Dania freq.

♂♀. Similis priori, sed plerumque paullo, minor. Differt præterea ab illa: antennis subtus plus minusve late luteis, macula mox supra antennas coronam tridentatam nigram repræsentante, fasciis abdominis nonnihil angustioribus,

harum 2 & 3 postice leviter emarginatis, ut & femoribus basi in ♂ latius (posticis paullo ultra medium), at in ♀ angustius, nigris. — Frons feminæ in fundo quidem ænea, sed dense flavo-pollinosa, vertice determinate æneo-nigro, nitido & macula supra antennas cordata, antice tridentata, nitida, atra. Macula eadem in ♂ lunata, antice dentata. Scutellum fusco-pilosum.

Var. b. ♀. tarsis saltem posticis totis nigris; frequens.

Obs. Hab. larva inter Aphides Ribis aliarumque plantarum, straminea, linea dorsali abbreviata, nigra, maculisque lateralibus griseis. Pupam ovatam, inermem, albam, strigis aliquot dorsalibus nigris notatam, sub lapidibus ad Wittangi Lapponiæ Tornensis 17 Jun. legi. Specimina, quæ in Scania educavit D. *Dahlbom*, e pupa exierunt 12 Maji & alia vice 12 Sept. — Imagines floribus inhiant, & nemora cœlo sereno æstate aërem sono pipiente implent. — Sub *Musca Ribesii* Linn. & *Syrpho Ribesii* Fallén. plures species in Suecia frequentiores, aperte latent. Sic in museo Falleni specimina *S. Grossulariæ*, *nitidicollis* & *vitripennis* sub nomine *Ribesii* exstant.

9. *S. vitripennis:* thorace æneo, subopaco, ferrugineo-pubescente, scutello pallido; abdomine atro, fasciis 4 rectis subangustatis, prima interrupta, 2 & 3 postice leviter emarginatis, pedibusque, flavis; antennis superne nigris, inferne luteis; femoribus basi in utroque sexu anterioribus anguste, posticis ultra medium, nigris, tarsis obscuris; alis totis vitreis, stigmate cinereo. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 602. 15. ♂♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 308. 50. Macq. Buff. 1. 538. 13. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 12. *Scaeva confinis* Zett. Ins. Lapp. 602. 14. ♂ var. nonnihil major & antennis obscurioribus, ejusdem.

Hab. in Scandinavia, 2 Jun.—4 Aug., passim, in floribus Leontodontis, Salicis &c. mihi præsertim obvia;

scilicet in Scania ad Lund; in Ölandia; in Gottlandia ad Stenkyrka; in Uplandia ad Holmiam; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Åsele & Brattiksfjell, rarius; in Dania freq., D. *Staeger*. (E Glogavia utterque sexus etiam a D. *Zeller* communicatus).

♂♀. Valde affinis & similis priori, sed ut mihi videtur distincta. Differt ab illa: magnitudine fere duplo minore, alis magis pure hyalinis, basi & costa concoloribus, stigmate tantum pallide cinereo, & femoribus posticis in utroque sexu, nec solum in ♂, ultra medium nigris. Notæ vero ex alarum immaculitate & corporis parvitate constantiores sunt pro hac specie dignoscenda, quam quæ e colore pedum desumuntur. Nam, ut recte admonuit Prof. *Löw* l. c., variat color niger femorum posticorum jam fere ad apicem, jam tantum ad medium dilatatus & ita non solum in *vitripenni* verum etiam in *Ribesii*. — Epistoma flavum, immaculatum. Tarsi postici plerumque toti fusci. Scutellum fusco-pilosum.

10. S. *nitidicollis:* thorace æneo, nitidissimo, ferrugineo-pubescente, scutello pallido; abdomine atro, fasciis 4 rectis latioribus, prima interrupta, 2 & 3 postice emarginatis, pedibusque, flavis; antennis luteis, seta obscura; fronte ænea, antice determinate rufo-flava; femoribus ima basi brunnescentibus; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 602. 13. ♂♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 308. 51. ♂. Macq. Buff. 1. 538. 14.

Hab. in Scandinavia, passim, 26 Jun.—1 Aug.; scilicet in Scania ad Lund & Räften; in Blekingia, D. v. *Borck:* in Ostrogothia ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, etiam ad Gusum & Lärketorp; in Ölandia; ad Holmiam & Marstrand, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia usque ad Åreskutan & Mullfjellet; in Lapponia Umensi ad

Lycksele, & in Nordlandia Norvegica ad Björkvik, rarissime. (D. *Zeller* plura specimina e Glogavia misit).

♂♀. Similis *S. Ribesii.* Antennæ rufæ, seta nigricante, frons mox supra antennas determinate rufo-flava absque signaturis obscuris, thorax nitidus & pedes toti cum tarsis rufo-flavi, speciem præcipue distingvunt. Antennæ magnæ, rotundatæ, superne sæpius dilute brunneæ. Seta normaliter nigra, interdum fusca vel brunnea. Scutellum pilis nigris & flavescentibus vestitum. Fasciæ abdominis fere ut in *Ribesii.* Nervus, qui aream discoidalem primam terminat, parum flexus, fere rectus. Nervi longitud. 5 & 6 infra areas nonnihil descendunt, sed non ad marginem summum extensi. Pedes cum tarsis rufo-flavi, coxis nigris, femoribus jam immaculatis, jam ima basi brunneis vel nigricantibus. Thorax sæpe e cæruleo splendet. Frons in ♀ sat lata, nigro-ænea, nitida, ad latera triangulariter cinereo-pollinosa, vertice concolore, nitido, immaculato. — Variat ♀ magnitudine minor.

11. *S. nigritarsis:* thorace æneo, nitido, ferrugineo-pubescente, scutello pallido, abdomine atro, fasciis 4 rectis latioribus, prima interrupta, 2 & 3 postice profunde emarginatis, pedibusque, flavis; antennis luteis, seta obscura; fronte ænea, antice determinate rufo-flava; peristomio, femoribus basi late, tarsisque totis, nigris; alis vitreis, stigmate cinereo. ♂. (Long. circit. 3 lin.).

Hab. in parœcia Häradshammar Ostrogothiæ, rarissime; D. *Stenhammar*, qui 2 specimina invenit, mihique benigne communicavit.

♂. Affinis *nitidicolli*, sed minor, *S. Corollæ* æqualis. Antennæ parvæ, rufæ, apertura oris nigra, alæ vitreæ, immaculatæ, & femora basi late, tarsique toti, atra, speciem in primis denotant. Thorax minus nitidus quam in priori. Fasciæ abdominis fere ut in *Ribesii*, at intermediæ postice paullo magis emarginatæ. Anus flavus. Nervi ut in præ-

cedente. Pedes flavi, coxis, femoribus anterioribus basi ad 3:tiam partem, posterioribus fere ad medium tarsisque omnibus, nigris. In medio tibiarum posticarum vestigium obsoletum annuli fusci. Cetera ut in *S. nitidicolli.*

12. *S. diaphana:* thorace æneo, opaco, ferrugineo-pubescente, lateribus scutelloque pallidis & pallide hirsutis; abdomine atro, fasciis 4 rectis latis, prima interrupta, 2 & 3 postice leviter emarginatis, pedibusque totis flavis, tarsis posticis fuscis; antennis cum seta nigricantibus; alis hyalinis, stigmate cinereo; fronte flava, in ♀ macula ænea e vertice æneo assurgente. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Wahlb. Observationes Entomol. in manuscr. ♂♀.

Hab. in Ostrogothia rarius, ad Gusum utrumque sexum invenit D. *Wahlberg;* ad Wastena par descriptum legit D. *Dahlbom.*

♀. Similis *Grossulariæ*, sed nonnihil minor, & fronte flava, thoracis lateribus magis flavis, abdominis fasciis latioribus, nervis longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis ut & pedibus totis cum coxis flavis, dignota. Caput flavum. Antennæ mediocres vel potius parvæ cum seta nigræ. Vertex æenescens maculam parvam oblongum ejusdem coloris emittens. Anus flavus. Alæ ut in priori. Tarsi postici fusci. Reliqua ut in diagnosi.

♂. Caput, oculis, antennis & proboscide exceptis, totum flavo-testaceum, pilis frontalibus longis flavidis. De cetero feminæ similis.

13. *S. melanostoma:* thorace æneo, subnitido, ferrugineo-pubescente, scutello pallido & pallide hirsuto; abdomine atro, fasciis 4 rectis mediocriter latis, prima interrupta, reliquis integris, pedibusque, flavis; antennis luteis, seta obscura; fronte ænea; peristomio nigro; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♀. (Long. 3 lin.).

S. Ribesii Zett. Ins. Lapp. 599. 5. variet. ad Haparanda.

Hab. in Suecia boreali rarissime, duo tantum specimina inveni, alterum ad Haparanda prope Torneå 28 Maj. 1821, & alterum ad diversorium Lund prope radicem Åreskutan Jemtlandiæ 24 Jun. 1840 inveni; individuum nempe Haparandense e nympha ovata, inermi, alba, strigis quibusdam dorsalibus nigris notata exclusum. (E Glogavia exemplum nonnihil majus, fasciis abdominis paullo latioribus, alias simillimum, sine nomine misit D. *Zeller*).

♀. Similis & affinis *nigritarsi* (11), sed vix ejus femina, nam differt ab illa: scutello toto flavo-villoso, abdominis fasciis angustioribus, 2 & 3 postice non emarginatis, ut & pedibus totis præter coxas nigras & tarsos posticos subfuscos, flavis. Frons tota cærulescenti æneo-nigra nitida, juxta antennas angustissime flava, macula utrinque triangulari ad oculos albo-pollinosa. Vertex fronti concolor, immaculatus. Reliqua ut in *S. nigritarsi*.

14. *S. nitens:* thorace æneo, nitido, ferrugineo-pubescente, scutello pallido; abdomine atro, fasciis 4 rectis mediocriter latis, prima interrupta, 2 & 3 postice late emarginatis, pedibusque, flavis; antennis dilute brunneis, subtus flavis; fronte ænea, antice flava; peristomio anguste, & femoribus basi late, nigris; alis hyalinis, stigmate pallido. ♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime; ad Lärketorp specimen unicum deprehendi.

♀. Simillima *S. nigritarsi* (n:o 11), sed differt abdominis fasciis nonnihil angustioribus, antennis paullo majoribus, alarum nervis longit. 3 & 4 minus parallelis, ut & tarsis omnibus flavis. A præcedente, cui etiam affinis, scutello fusco-piloso, abdominis fasciis intermediis emarginatis, fe-

moribus præsertim posticis late nigris, alis magis vitreis, nervo long. 4:to magis flexo, & tarsis non infuscatis dignoscitur. Antennarum seta rufa. Peristomium non late nigrum, nitidum. Frons nigro-ænea, nitida, macula utrinque triangulari albo-pollinosa, antice sat late & determinate flava. Vertex nigro-æneus, nitidus. Thorax ut in *nitidicolli*. Tibiæ posticæ annulo fusco.

15. *S. bifasciata:* thorace æneo, nitido, ferrugineo-pubescente, scutello pallido & pallide hirsuto; abdomine cærulescenti æneo, fasciis 2 rectis, prima latiori interrupta, pedibusque, flavis; antennis brunneis, subtus luteis; fronte cærulescenti nigra; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fabr. Antl. 248. 2. Fall. Syrph. 40. 7. ♂♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 309. 52. ♂♀. Ahrens. Fn. Europ. Fasc. 11. T. 24. ♀ (directione nervorum in alis non vere designata). Macq. Buff. 1. 539. 15. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 6. *Musca interrupta* Gmelin Syst. Nat. 5. 2879. 376.

Hab. in hortis & lucis, in floribus Pruni spinosæ & Padi, Ribis, Salicis &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, præsertim tempore vernali ab initio mensis Maji ad medium Julii visa, passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. freq.; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum, Häradshammar, parce; in Ölandia & Gottlandia rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. — In Dania. — In foliis arborum & fruticum interdum etiam obvia.

♂♀. Per abdomen cærulescens, fasciis tantum 2, prima interrupta (in ♀ rarius integra) e maculis 2 lateralibus sat magnis triangularibus formata, & secunda in segmento 3tio angustiori, recta, fere semper integra, flavis, mox ab affinibus dignoscitur. Antennæ sat magnæ, seta basi rufa.

Frons cærulescens, in ♂ pilis longis nigris, in ♀ macula utrinque albida, in utroque sexu lunula supra antennas nigra cum colore metallico frontis confluente. Vertex ♀ cærulescens, nitidus. Pedes flavi, coxis omnibus & tarsis posticis nigricantibus. Femora ima basi interdum nigra. Nervi: longit. 2 & 3 paralleli; ille vero, qui aream primam terminat, distincte flexus.

16. S. *lineola:* thorace æneo, subopaco, ferrugineo-pubescente, scutello pallido, fusco-hirsuto; abdomine atro, fasciis 4 rectis, prima interrupta, reliquis subintegris, pedibusque, flavis; antennis obscuris; macula supra antennas, lineola epistomatis media, femoribus basi late, tarsisque apice, nigris; alis hyalinis, stigmate nigricante. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: frons antice macula supra antennas lunata nigra, postice (ante connectionem oculorum) nigro-pilosa; abdominis fasciæ flavæ 2 & 3 latiusculæ, postice leviter emarginatæ;

Fem.: frons cærulescenti nigra, ad latera inæqualiter albopollinosa, macula supra antennas cordata atra, nitida, cum nigredine verticis per lineam connexa; abdominis fasciæ flavæ 2 & 3 paullo angustiores, subintegræ.

Wahlb. in litt. 5 April. 1842.

Hab. in Scandinavia media & boreali, passim; scilicet in Ostrogothia ad Häradshammar & Gusum mense Majo & initio Junii a D. D. *Stenhammar* & *Wahlberg* haud infrequenter lecta, ad Omberg prope Wadstena 28 Jul., ipse; in Uplandia ad Holmiam, Idem D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad radicem Åreskutan, a D. *Dahlbom*, & ad Mullfjellet, a me, 27 Jul.—1 Aug., rarius quoque deprehensa. (E Glogavia a D. *Zeller* absque nomine missa.).

♂♀. Similis *S. Ribesii*, sed minor & præsertim multo angustior, & ab hac & a præcedentibus per lineolam epistomatis nigram mox dignota. Antennæ l. fuscæ l. nigræ.

Lineola epistomatis media atra, nitida, sub antennis abbreviata. Genæ & sæpe etiam peristomium, obscura. Abdominis segmenta 4 & 5 apice anguste flavo-marginata. Venter flavidus, nitidus, maculis trigonis fuscis. Alæ hyalinæ, minime flavedine tinctæ, stigmate distincto, nigricante; nervulo transverso ordinario recto, nec obliquo; nervo vero, qui aream discoid. primam terminat, distincte flexus. Pedes aut toti nigricantes, genubus anterioribus testaceis, aut testacei, coxis omnibus, femoribus anterioribus sat late, posticis fere totis, annulo tibiarum posticarum plus minusve lato, & tarsis saltem apice, nigris.

17. *S. vittigera:* thorace æneo, nitido, ferrugineo-pubescente, scutello pallido, fusco-hirsuto, abdomine atro, fasciis 4 rectis, prima interrupta, reliquis subintegris, pedibusque, flavis, antennis obscuris; macula supra antennas, lineola epistomatis media, femoribus basi, tarsisque apice, nigris; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Mas & Femina ut in priori differunt.

Sub *Scaevae vitripennis* speciminibus Zett. Ins. Lapp. 602. 15. latet.

Hab. in Scandinavia boreali, 22 Jun.—18 Jul. rar.; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele & Åsele, ut & in Norvegia ad Næs Værdaliæ inventa.

♂♀. Simillima præcedenti, sed thorace nitido sæpe cærulescente, alarum lineola stigmaticali dilute cinerea, nec obscura, ut & pedibus magis flavis mihi distincta videtur. Occurrit etiam sæpe nonnihil minor. Pedes flavi, coxis omnibus, femoribus anterioribus basi anguste, posticisque paullo ultra medium, nigris. Posticorum tibiæ annulo medio, tarsique apice, fusca. Cetera ut in priori.

Obs. Specimen femineum, antennis subtus luteis, & pedibus fere totis flavis, tantum posticorum femorum tibiarumque annulo medio fusco, alias varietati a. simillimum, ex

Ostrogothia a D. *Stenhammar* obtinui, vix distinctum, forte individuum juvenile, affine *S. unifasciatæ* (20).

**) Fasciæ abdominis rectæ, omnes interruptæ.

18. *S. sexmaculata:* thorace æneo, opaco, ferrugineo-pubescente; scutello pallido & antice pallido-, postice fusco-hirsuto; abdomine atro, fasciis 3 rectis angustioribus interruptis, pedibusque, flavis; antennis testaceis; fronte ænea supra antennas flava; femoribus in ♂ basi late, tarsisque posticis in utroque sexu nigris; alis subvitreis, stigmate fusco. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 603. 17. ♀.

Hab. in Scandinavia septentrionali, 19 Jun.—5 Aug., passim frequens; scilicet in Jemtlandia boreali a Ristansfors usque ad Åreskutan & Mullfjellet, vulgaris; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime; & in Norvegia ad Suulstuen Værdaliæ in Jugo alpino sito, passim.

♂♀. Similis *S. Corollæ*, sed opaca & fasciis abdominis angustioribus &c. distincto. Antennæ non magnæ, rotundæ, fulvæ, supra sæpe brunneæ. Epistoma flavum. Frons & vertex ænescentia, illa antice (supra antennas) determinate flava, præsertim in ♀. Abdominis segmenta 2 ultima apice anguste flavo-marginata. Alæ ad costam sæpe subfuscæ. Stigma fuscum. Nervi: longitud. 3 & 4 non exacte paralleli; transversus ordinarius subobliquus; qui aream primam terminat distincte flexus. Pedes flavi, coxis nigris, in ♂ femoribus anterioribus ad tertiam partem, posticis ultra medium, nigris; in ♀ femoribus ima basi nigris; tarsis posticis in utroque sexu nigris.

19. *S. relicta:* thorace cærulescenti æneo, subnitido, scutello albo-flavo, fusco-hirsuto; abdomine atro nitido, fasciis 4 angustis, subrectis, interruptis, fulvis; pedibus flavis; antennis fuscis; fronte ænea, macula supra

antennas lunata lineolaque epistomatis media, nigris; femoribus basi, tarsisque apice, nigricantibus; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 603. 20. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele in Leontodonte, loco sylvatico d. 19 Jun. 1832 specimen descriptum inveni.

♀. Parva, angusta. Frons in fundo æenea, utrinque albo-pollinosa. Vertex æneus, nitidus. Epistomatis lineola nigra ut in *S. lineola* (16). Abdominis fascia 4:ta in segmento ultimo late interrupta. Pedes flavi, femoribus anterioribus basi anguste, pósterioribus fere ultra medium, nigris. Tibiæ posticæ in medio, annulo, & tarsi fere toti, nigricantia. Nervi alarum ut in priori.

Var. b. ♀ capite pedibusque obscuris, geniculis testaceis, de cetero simillima; an hujus? In Jemtlandia ad Faxelfven 9 Aug. semel capta.

20. *S. unifasciata:* thorace æneo, nitido, scutello albo-flavo, fusco villoso; abdomine atro, nitido, basi maculis 2 transversis, pedibusque testaceis; posticorum femorum tibiarumque annulo medio lato, tarsisque nigricantibus; antennis fuscis, fronte ænea, albido-pollinosa, macula supra antennas lunata, lineolaque epistomatis media, nigris; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 603. 19. ♀.

Hab. in floribus sylvestribus, Salicis, Sorbi, etiam Leontodontis &c., per Scandinaviam borealem, 10 Jun. — 8 Jul., rarius; in Lapponia Umensi ad Lycksele & in alpe Brattiksfjell, a me, atque in alpe Dowre Norvegiæ, a D. *Boheman*, inventa.

♀. Similis *S. lineolæ* (16) & adhuc magis *relictæ* (19), sed a priori per thoracem nitidum, pedes pallidiores, stigma di-

lutius, & ab utroque per magnitudinem minorem & præsertim abdominis tantum fasciam unicam distincta. Antennæ parvæ, obscuræ aut testaceæ. Epistoma subangustatum, albido-flavum, apertura oris concolore, linea media nigra, sub antennis abrupta. Frons albo-pollinosa, macula supra antennas cordata denudata, nigra, nitida, per lineam nigram tenuem cum nigredine verticis cohærente. Abdominis subnitidi segmentum 2:dum maculis 2 oblongis transversis liberis, flavis. In segmentis 3 & 4 loco fasciæ interruptæ deteguntur sæpius maculæ piceæ. Alæ, pedes &c. ut in priori.

***) Fasciæ abdominis arcuatæ l. maculæ utrinque lunulatæ (in *Sc. corollæ* subrectæ & in ejus ♂ sæpe cohærentes).

21. *S. lunigera:* thorace nigro-æneo, nitido, scutello æneseenti flavo, fusco-villoso; abdomine atro, bis tribus lunulis flavis latioribus; antennis ovatis fuscis; fronte pedibusque flavis, femoribus basi tarsorumque apice nigris; alis subvitreis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 600. 8. ♂♀. *Syrphus luniger* Meig. Dipt. 3. 300. 40. Macq. Buff. 1. 536. 5. *Scaeva arcuata* Fall. Syrph. 42. 11. var.

Hab. in floribus Salicis Aceris, Sorbi, Ribis &c., per Scandinaviam, 20 Maji—2 Sept., passim, tempore præsertim vernali haud infrequens; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd, rarius; in Ostrogothia ad Häradshammar & Jonsberg, freq., D. *Stenhammar*, ad Lärketorp, ipse; in Gottlandia ad Öja &c.; in Dalecarlia ad Uppbo, D. *Dahlbom*; in Lapponia Umensi ad Lycksele rar.; in Jemtlandia usque ad Mullfjellet & Skalstugan in jugo alpino, passim; in Dowre Norvegiæ, D. *Boheman*. (E Glogavia uterque sexus sine nomine communicatus).

♂♀. Similis *arcuatæ* & *lunulatæ*, sed a priori: abdominis lunulis latioribus, alis forte minus pure hyalinis, & (in ♂) femoribus basi plerumque nonnihil latius nigris, & a posteriori: antennis ovatis, oculis nudis, epistomate in medio vix nigro-lineato, tuberculo tantum brunneo-maculato, scutello magis flavicanti æneo, abdominis lunulis latioribus, tibiis posticis raro fusco-annulatis, stigmate alarum pallidiore, nervis longitudinalib. 3 & 4 minus parallelis, versus apicem subappropinquantibus &c., differt. Antennæ brunneæ, subtus luteæ. Segmenta analia plerumque anguste flavo-marginata. Frons flava, in ♀ punctis supra antennas 2 bruneis. Vertex ♀ quadratus, æneus, nitidus, sæpissime macula parva obcordata aut ovata ejusdem coloris in frontem assurgente. — Variat uterque sexus thorace cærulesenti æneo. Femora in ♀ sæpius ima tantum basi nigra-

22. S. *arcuata:* thorace nigro-æneo, nitido, scutello ænescenti flavo, fusco-villoso; abdomine atro, bis tribus lunulis citrinis modice latis; antennis ovatis fuscis; fronte pedibusque flavis, femoribus basi tarsorumque apice nigris; alis vitreis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fall. Syrph. 42. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 601. 9. ♂♀. *Syrphus arcuatus* Meig. Dipt. 3. 302. 43. ♀. Macq. Buff. 1. 536. 6. ♀.

Hab. in floribus Salicis, Compositarum &c., per Scandinaviam, 2 Jun—25 Aug., sat vulgaris; scilicet in Scania, Ostrogothia (in hortis sæpe obvia), Uplandia, Jemtlandia usque ad Åreskutan, Lapponia Umensi ad Lycksele & Tornensi ad Juckasjervi, frequens; ut & in Dowre Norvegiæ. (E Glogavia & pago Silesiæ Saltzbrunn a D. *Zeller* missa).

♂♀. Simillima priori, at abdominis lunulas minus latas & nonnihil magis arcuatas attente observas, ut hanc a præ-

cedente distinguas. Nervus longitudinalis 4:tus subcurvatus, sed non tam distincte ac in *Scaeva lapponica* (n:o 3), a qua de cetero parum discrepat. — Pupam in plantis hortorum oleraceis adglutinatam sæpe feliciter exclusam vidi.

23. *S. Corollæ:* thorace æneo, nitido, scutello flavo & flavo-villoso; abdomine atro, fasciis 3 subrectis, subinterruptis, latis; fronte, pedibusque, flavis; antennis rotundatis obscuris; femoribus in ♂ basi nigris; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Mas: fasciæ abdominis latæ: 1:ma sat late interrupta, reliquæ aut anguste interruptæ aut plerumque continuæ, antice posticeque in medio emarginatæ; femora anteriora fere ad medium, postica fere ad apicem, nigra;

Fem.: fasciæ abdominis modice latæ, omnes interruptæ, 2 & 3 plerumque subarcuatæ; femora præsertim anteriora ima basi nigra; vertex determinate æneus; in copula.

Fabr. Antl. 250. 8. Zett. Ins. Lapp. 602. 16. ♂♀. *Syrphus Corollæ* Meig. Dipt. 3. 304. 46. ♂♀. Macq. Buff. 1. 539. 18. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 4. *Scaeva olitoria* Fall. Syrph. 43. 12. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis, Ribis, Umbellatarum & Compositarum, per Scandinaviam, 7 Jun.—10 Sept., vulgaris; in copula multoties capta; scilicet in Scania ubique frequentissima, in hortis præsertim abundans; in Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, etiam frequens; in Ölandia ad Borgholm; in Gottlandia ad Furillen, Eke, Fårön, Ruthe, Östergarn, Martebo, Thorsborg &c.; in Nericia ad Kärr; in Uplandia ad Holmiam; in Jemtlandia, raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele, frequens; in Tornensi ad Kengis & Wittangi, passim; in Dania haud raro. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Similis duabus proxime præcedentibus, sed magnitudine plerumque minore, antennis magis rotundatis, abdominis fasciis minus arcuatis & in ♂ sæpe continuis, ut & præcipue scutello in utroque sexu flavo-villoso, nullis pilis fuscis immixtis, distincta. Fasciæ abdominis e maculis subrotundatis formantur. Segmenta analia in utroque sexu margine apicali flava, & fascia 4:ta in ♂ interdum conspicua. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem alæ appropinquantes. Nervi, qui areas terminant, curvati, & a margine alæ sat remoti. Venter flavus, maculis nigris. *)

††. Fasciæ abdominis duplicatæ seu geminatæ.

24. *S. balteata:* thorace æneo, nitido, scutello flavicante, fusco-villoso; abdomine atro, fasciis 4 rectis, prima interrupta maculiformi, reliquis latis integris, lineola transversa nigra inscriptis, pedibusque, flavo-fulvis; antennis fronteque flavis; tarsis posticis apice fuscis; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Musca Degeer Ins. 6. 116. 7. *Syrphus balteatus* Meig. Dipt. 3. 312. 57. Macq. Buff. 1. 538. 11. Löw Bemerk. 34. 5. *Musca alternata* Schrank Enum. 448. 908. Ross. Fn. Etr. 457. 1483. *Scaeva nectarea* Fabr. Antl. 253. 22. Fall. Syrph. 43. 14. ♂♀. *Syrphus nectareus* Panz. Fn. 82. 19. ♀. certe.

Hab. in hortis Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 24 Jun.—1 Octob. frequentissime, in copula; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Gottlandia, Nericia & Uplandia, ubique vulgatissima; sed in provinciis magis borealibus non nisi rarissime occurrit, & intra

*) picturam ventralem rarius attuli, quia in paucis tantum *constantes* notas præbere illa mihi visa fuit.

Lapponiam haud visa; in Dania freq., D. D. *Fabricius Lund* & *Stæger.* (E Lubeca *(Lübeck)*, D. *Behrens).* Larva aphidivora in foliis viciæ Fabæ & Solani tuberosi inventa, in pupam obovatam, inermem, albidam, subpellucidam abiit 4 Aug., e qua imago egressa 18 ejusdem.

♂♀. Elongata, subangusta, per fascias abdominis geminatas ab omnibus facile dignota. Epistoma totum pallide flavum, tuberculo saturatiori. Antennæ parvæ, rotundæ, & macula supra antennas nitida, fulvæ, seta fusca. Frons in ♀ flavido-pollinosa, opaca, linea media cum vertice haud lato connexa, æneis, nitidis. Thorax lineis 5 obsoletis, albidis. Fasciæ abdominis flavæ 2, 3 & 4 latæ, harum 2 & 3 lineola transversa angusta utrinque abbreviata, in medio subinterrupta, nigra, & 4:ta macula subtrigona ejusdem coloris, inscriptis. Anus flavus. Ventralis pictura fere eadem ac dorsalis. Nervus longitud. 3:tius leviter flexus. Pedes flavi, coxis nigris. Oculi in viva rufo-brunnei.

Phal. 2. Scutellum æneum. Caput metallicum.

25. *S. hyalinata:* capite, thorace scutelloque obscure æneis, nitidis; abdomine atro, maculis baseos 2 subrotundis, discretis, & 4 in medio subquadratis, subcontiguis, fulvis; antennis pedibusque fuscis; alis vitreis, stigmate cinereo. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Fall. Syrph. 13. 13. ♂♀. *Syrphus hyalinatus* Meig. Dipt. 3. 312. 56. ♂♀. Macq. Buff. 1. 513. 31. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, Scabiosæ &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 21 Jun.—19 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Räften, utrumque Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum, minus frequens; in Ölandia raro; in Gottlandia ad Nähr & Sanda, passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.* — In Dania rarissime, D. *Stæger.*

♂♀. Priori vix longior, sed paullo latior, scutello æneo a præcedentibus statim dignoscenda. Caput cærulescenti æneum, albido-pollinosum, tuberculo epistomatis, macula supra antennas, & in ♀ vertice, nudis, nigris, nitidis. Antennæ mediocres, fuscæ, subtus lutescentes, seta rufa. Margo frontalis ad radicem antennarum fulvescens. Thorax & scutellum, griseo-hirta. Abdominis maculæ 4 mediæ, subquadratæ vel semirotundatæ, magnæ, fulvæ, in ♂ ad basin segmentorum leviter cohærentes, in ♀ totæ discretæ. Anus niger. Nervi longit. 3 & 4 paralleli; nervus, qui aream primam terminat, subrectus. Pedes fusci aut testacei, coxis & sæpe femorum basi nigricantibus, genubus dilutioribus. Squamæ sub alis albidæ. Halteres fusci.

β.) Oculi hirti.

* Fasciæ abdominis rectæ.

†. Fasciæ abdominis saltem intermediæ continuæ (in var. b. *S. tricinctæ* interruptæ).

26. *S. topiaria:* thorace æneo, parum nitido, epistomate scutelloque pallidis; abdomine atro, fasciis 3, prima interrupta, reliquis postice leviter emarginatis, pedibusque, flavis; antennis, femoribus basi tarsisque, nigris; alis hyalinis, stigmate obscuro. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 599. 4. ♀. *Syrphus topiarius* Meig. Dipt. 3. 305. 17. ♀. & 7. 131. 17. ♂♀. *Scaeva Ribesii* var. *lasiophthalma* Wahlb. in litt.

Hab. in floribus & foliis fruticum, per Scandinaviam, 1 Jun.—12 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Stäfvie (in Pinetis), Krageholm, Lyngsjö (D. *Pettersson*), Lindholmen &c., haud raro; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum, minus frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad ra-

dicem Åreskutan & Mullfjellen usque ad Skalstugan in jugo alpino, sat frequens; in Lapponia Umensi rarissime; e Grönlandia per D. *Westermann* mihi communicata; & in Helgolandia utrumque sexum invenit Cel. *Dahlbom.*

♂♀. Simillima *S. Grossulariæ* (7) & *Ribesii* (8); differt vero a priori: fasciis abdominis non exacte rectis; a posteriori: fasciis angustioribus, antennis nigris, nec testaceis, & ab utraque: oculis hirtis, alis purius hyalinis fere vitreis, stigmate præsertim in ♀ obscuriore, femoribus latius, & tarsis totis, nigris. Antennæ subovatæ, nigræ aut fuscæ. Frons supra antennas lunata nigra. Vertex in ♀ determinate æneus. Scutellum fusco-pilosum. Segmenta analia apice flavo-marginata. Nervi longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli. Squamæ & halteres, pallida. Femora anteriora fere ad medium, postica fere ad apicem, nigra. Tibiæ posticæ annulo medio fusso l. nigro. Varietates: oculis tenuissime hirtis, pedibus (in ♂) posticis fere totis nigris, & stigmate nigricante, mihi obviæ fuerunt. — Affinis *S. annulipedi* n:o 4, sed alarum nervis longitudin. 3 & 4 minus curvatis ab illa distincta. Variat ♀ oculis vix hirtis.

27. S. *tricincta:* thorace nigro-æneo, nitido, scutello flavicante; abdomine atro, fasciis 3, prima maculari, secunda latiori, tertiaque angusta, sulphureis; pedibus luteis; antennis, fronte, vitta epistomatis media, femorum basi alarumque hyalinarum stigmate, nigris. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fall. Syrph. 41. 9. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 600. 6. ♂♀. *Syrphus tricinctus* Meig. Dipt. 3. 310. 53. Macq. Buff. 1. 539. 16.

Var. b. ♂♀. plerumque minor, abdominis fascia media etiam interrupta.

Zett. l. c. var. b.

Var. c. ♀. fascia abdominis prima distincta, secunda angusstissima, interrupta, tertia nulla; pedibus posticis fere totis, & tarsis omnibus, nigris.

Hab. in hortis & pratis flores Umbellatarum, Compositarum, Ribis &c., visitans, etiam in Caricibus & aliis plantis uliginosis obvia, per Scandinaviam, 20 Maji—15 Aug., passim; scilicet var. a. in Scania ad Abusa, Tungbyholm, utrumque Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, Häradshammar; in Westrogothia ad Ro, D. *Dalman*, & ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* in Ölandia, D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Martebomyr; in Uplandia ad Holmiam; in Jemtlandia usque ad Åreskutan; in Lapponia Umensi & Tornensi pluribus locis; in Norvegia ad Næs Værdaliæ & in inferalpinis Nordlandiæ & Finmarkiæ ex. gr. ad Evenäs & Alteidet, rarius. In Dania, D. *Stæger.* Var. b. in Scania, Ostrogothia & Lapponia mihi passim obvia; at e var. c. non nisi ad Lund Scaniæ & Lärketorp Ostrogothiæ individua duo 17 Jun. 6 Jul. capta vidi. Pupa ovata, albida, supra fusco-marmorata, postice margine & dorso mucronata, e qua imago feminea ad Juckasjervi Lapponiæ d. 12 Jul. egressa.

♂♀. Similis priori, corpore obscuriore, scutello magis brunnescente, fronte & vitta epistomatis atris, alarum stigmate nigro, tarsis tantum apice fuscis, nec nigris, ut & fasciarum forma ut in diagnosi indicatum, abunde distincta.

††. Fasciæ abdominis omnes interruptæ (in ♀ *S. albostriatæ* fasciæ intermediæ plerumque subcontinuæ; in *S. maculari* maculiformes).

28. *S. glaucia:* thorace æneo, opaco, capite, scutello pedibusque flavis; abdomine atro, fasciis 3 angustis

subinterruptis glaucis aut stramineis; antennis, macula frontali, femoribus basi alarumque stigmate, nigris. ♂♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Var. a. ♂♀. abdominis fasciis omnibus glaucis; plerumque specimina feminea.

Musca glaucia Linn. Fn. Su. 1813 certe. *Scaeva glauca* Fall. Syrph. 41. 8. vera ♂♀. (var.: "abdomine glauco-fasciato") exclus. syn. Panz. 59. 17, quæ ad *Sc. Alneti* (n:o 2) pertinet. — *Syrphus nobilis* Meig. Dipt. 316. 62. var. — Macq. Buff. 1. 535. 1. ♂♀.

Var. b. ♂♀. abdominis fasciis omnibus stramineis l. albidis; plerumque mascula. *Scaeva glaucia* Panz. Fn. 101. 16. ♀. *Eristalis glaucius* Fabr. Antl. 213. 19. *Scaeva glauca* Fall. l. c. ♂♀. var.: "abdomine albo-fasciato". — *Syrphus nobilis* Meig. l. c. var. a. — *Syrphus leucozonius* Ahrens. Fn. Eur. fasc. 11. tab. 25. ♀.

Var. c. ♀. abdominis fasciis anterioribus stramineis, postica glauca.

Hab. in floribus Umbellatarum, Rubi &c., per Sueciam meridionalem & præsertim mediam, 1 Jul.—17 Aug., certis annis sat frequens; scilicet in Scania, raro; in Westrogothia ad Sparresäter, D. *Kinberg*; in Ostrogothia ad Gusum, Jonsberg, Häradshammar, Sudercopiam, Lärketorp, Medhamra prope Wadstena, Fredensborg prope Motala, &c., non infrequens; in Bahusia, rar.; varietatem b. ad Lärketorp inveni. (Specimina hujus speciei sub nomine: *Syrph. nobilis*, e terris Reinerzensibus, Glogavia & Carlsbad per D. *Zeller* obtinui; exemplum digito Cel. *Bouchei* eodem nomine *(Syrph. nobilis)* designatum quoque accepi; & tandem individuum hujus omnino,

ut Linnæi *Muscam glauciam* mihi communicavit Cel. D. *Wiedemann.*

♂♀. Inter majores; sublinearis. Antennæ mediocres, totæ cum seta nigræ. Caput flavum. Epistomatis tuberculum fulvum, minime nigrum vel brunneum. Macula immediate supra antennas cordata, nigra, nitida, quæ in ♀ per lineam nigram opacam supra frontem & verticem usque ad occiput continuatur. Thorax utrinque & præcipue ad humeros flavo-villosus. Scutellum flavum, subpellucidum, flavo-hirsutum. Abdomen atrum, fasciis 3, prima ad basin lata, 2 & 3 angustis, omnibus plerumque anguste interruptis, rarissime subcontiguis; aut glaucis aut stramineis. Anus metallice nitens. Pleuræ schistaceæ, flavo-vel cinereo-hirtæ. Alæ hyalinæ, stigmate distincto, nigro. Nervi long. 3 & 4 paralleli; qui aream primam terminat, curvatus. Squamæ & halteres, alba. Pedes toti fulvo-flavi, coxis omnibus, femoribus anterioribus fere ad medium, & posticis fere ad apicem, nigris.

Obs. Hanc speciem esse genuinam *Muscam glauciam* Linn. Fn. Sv. indubium mihi videtur. "Scutellum flavum" verbis claris & perspicuis affert Ill. Auctor. Præterea hæc in Suecia vulgaris, sed nulla alia "scutello nigricante" vel "æneo" in Scandinavia occurrit, quæ in suspicionem *Muscam glauciam* Linnæi esse venire potest. *Syrphus* igitur *glaucus* Meig. Dipt 3. 315. 61, & Macq. Buff. 1. 543. 30, cui ut synonymon allegarunt Linnæi *Muscam glauciam*, alia certe est species, Sueciæ ignota, mihi e Musco Löwiano ut "Syrphus glaucus" benignitate D. *Zelleri* tantum e Silesia communicata.

29. *S. albo-striata:* thorace nigro-æneo, nitido, antice vittis duabus approximatis maculaque humerali albescentibus; scutello subænescenti flavo; abdomine atro, fasciis 3, prima interrupta, reliquis subinterruptis (♂), aut subcontinuis (♀), pedibusque flavis; capite rufo-flavo; antennis, epistomatis vitta media, femoribus anterio-

ribus basi, posticis annulo medio stigmateque, nigricantibus. ♂♀. (Long. fere 3 lin.)

Fall. Syrph. 42. 10. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 601. 10. ♂♀. *Syrphus albo-striatus* Meig. Dipt. 3. 317. 63. ♀. Macq. Buff. 1. 541. 21. ♀. Löw Bemerk. 34. 9.

Hab. in floribus Umbellatarum, Compositarum, Salicum &c., per Scandinaviam, 12 Jun.—4 Aug., sat vulgaris; nempe in Scania ad Lund, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum &c., passim; in Ölandia rar.; in Westrogothia ad Gothoburgum, in Bahusia ad Marstrand & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele rar.; in Nordlandia Norvegica ad Giebostad. In Dania ad Hafniam rarius, D. *Staeger*.

♂♀. Minoribus accedit. Per thoracis vittas dorsales albas & femorum posticorum annulum nigrum facile dignoscitur. Caput flavum. Antennæ ovales non magnæ, nigræ vel fuscæ. Epistomatis vitta media nigra, distincta. Frons in ♀ determinate nigro-cærulescens, fascia transversa arcuata, albo-pollinosa; antice supra antennas sat late flava. Vertex (♀) cærulescens. Scutellum fusco-hirtum. Macula ad scutellum utrinque albida. Abdominis fasciæ flavæ modice latæ: 1:ma interrupta, 2 & 3 subobliquæ; aut (plerumque in ♂) anguste interruptæ, aut (sæpius in ♀) continuæ, postice emarginatæ. Alæ hyalinæ, stigmate distincto, nigro. Pedes flavi: anteriores femoribus basi nigris interdum fuscis, rarissime (in ♀) immaculatis; postice annulo femorum medio plus minusve lato, & tibiarum nigro vel fusco. Tarsi apice plerumque fusci. Abdominis segmenta analia sæpe flavomarginata.

30. S. *venusta:* thorace æneo-nigro, nitido; scutello flavo-brunneo; abdomine atro, fasciis 3 rectis, angustis, interruptis, pedibusque, flavo-testaceis; antennis

fusco-rufis; epistomatis vitta media, fronte tota femoribusque basi, nigris; alis hyalinis, stigmate fusco. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Syrphus venustus Meig. Dipt. 3. 299. 38. ♂♀. Macq. Buff. I. 537. 7.? — *Scaeva solitaria* Zett. Ins. Lapp. 603. 18. ♀. specimina minora.

Var. b. ♀. pedibus nigris, geniculis tantum testaceis.

Hab. in floribus Calthæ, Salicum & Compositarum, ut Leontodontis &c., per Scandinaviam mediam & borealem, 21 Jun.—30 Jul., minus frequens; scilicet var. a. in Gottlandia specimen unicum invenit Cl. *Dahlbom*; in Lapponia Umensi ad Lycksele passim; var. b. ad radicem Mullfjellet Jemtlandiæ rarissime deprehensa. (Uterque sexus in pluribus speciminibus a D. *Zeller* e Glogavia sub nomine *Syrph. venustus* communicatus, nostræ simillimus).

♂♀. Epistomatis vitta media & frons tota, nigræ, thorax immaculatus, scutellum brunnescens, ut & abdominis fasciæ tenues, hanc speciem præcipue distingvunt. Antennæ parvæ. Frons tota usque ad radicem antennarum nigra, in ♀ lata, nigro-cærulescens, nitida, macula utrinque (in illæsis) albo-pollinosa. Genæ nigræ. Scutellum pallide hirtum. Fasciæ abdominis in ♂ levissime curvatæ, in ♀ omnino rectæ. Segmenta analia anguste flavo-marginata. Pedes toti fulvo-flavi, coxis, femoribus anterioribus basi anguste, posticisque fere ad medium, nigris.

31. *S. hilaris:* thorace nigro-æneo, nitido, scutello flavido; abdomine atro, fasciis 3 rectis, interruptis, pedibusque flavo-testaceis; antennis fusco-rufis; epistomate flavo, immaculato; fronte femoribusque basi, nigris; alis hyalinis, stigmate fusco. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. rarissime in Ostrogothia, ubi ad villam Fre-

densborg inter Wadstena & Motala initio mensis Junii 1840 specimen descriptum detexit Cel. *Dahlbom.*

♀. Valde similis & affinis *S. venustæ*, sed epistomate toto flavo, immaculato, vittæ nempe mediæ nigræ ne quidem vestigio, frontis-nigredine non usque ad imam radicem antennarum assurgente, & scutello magis pure flavo, nec brunnescenti, vere diversa mihi videtur. Tibiæ posticæ medio annulo fusco. Reliqua ut in priori.

32. *S. macularis:* thorace fronteque nigro-æneis, nitidis, scutello flavo, abdomine atro, bis tribus maculis flavis; antennis, epistomatis vitta media lata, ore pedibusque, nigris, genubus anterioribus testaceis; alis hyalinis, stigmate nigricante. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. in Jemtlandia rarissime, ubi mense Jul. 1840 individuum unicum inveni.

♂. Habitus *S. Corollæ*, sed paullo angustior & in multis differt. Caput totum nigro-æneum, nitidum, epistomatis lateribus tantum flavis. Antennæ rotundatæ cum seta nigræ. Scutellum flavum, fusco-pilosum. Abdomen atrum, opacum, maculis 6 flavis magnis, quarum 2 basalibus ovalibus, oblique positis, reliquis semi-orbicularibus, transversis. Segmentum 4:tum apice anguste flavum. Anus niger. Signaturæ ventrales sunt dorsales translucentes. Alæ ut in *S. venusta*. Pedes toti nigri, tantum anteriorum femoribus apice anguste, tibiisque basi latius, flavo-testaceis.

33. *S. tarsata:* thorace nigro-æneo, subnitido, scutello ænescenti flavo; abdomine atro, fasciis 3 rectis, mediocriter latis, interruptis, epistomate, pedibusque rufo-flavis; antennis obscuris; peristomio, fronte, femoribus basi tarsisque totis, nigris; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 2½—3 lin).

Zett. Ins. Lapp. 601. 12. ♂♀. (Huc etiam referatur

'specim. Grönlandicum' Zett. l. c. 600. 7 in nota sub *S. lunata* allatum).

Hab. in Scandinavia septentrionali, 4 Jun.—27 Jul., passim; scilicet in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, D. *Dahlbom*; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Brattiksfjell, & in Tornensi ad Pello, Kihlangi usque ad Torneåträsk, passim; at in Norvegia ex. gr. in inferalpinis Nordlandiæ ad Ofotenfjord & Giebostad feminas tantum legi. Specimen masculum etiam e Grönlandia misit D. *Westermann*.

♂♀. Similis *S. nigritarsi* (11) & *diaphanæ* (12), sed præter magnitudinem minorem, differt etiam præcipue oculis hirtis & fasciis abdominis interruptis. Epistoma flavum, vitta media nigra nulla, at tuberculo saturatius flavo vel dilute brunneo. Apertura oris anguste nigra. Antennæ parvæ, rotundæ cum seta nigræ, sæpe macula subtus lutea. Frons obscure ænea, in ♀ albo-pollinosa, in utroque sexu macula supra antennas cordata seu sublunata nigra, nitida. Vertex æneo-niger. In illæsis lineæ 3 nigræ in thoracis dorso. Scutellum fusco-villosum. Abdomen ænescenti nigrum, fasciis 3 rectis, modice latis, interruptis, flavis, 1:ma in segmento 2:do maculari, 2 & 3 transversis, non late interruptis. Segmenta analia anguste flavo-maculata. Venter rufo-flavus, in medio cingulis fuscis. Nervi alarum ut in *S. glaucia* directi. Squamæ & halteres albescentes. Pedes rufo flavi, femoribus basi in ♂ latius, in ♀ anguste, coxis totis tarsisque omnibus in utroque sexu, nigris. — Sequenti etiam subsimilis.

** Fasciæ abdominis arcuatæ l. lunulatæ.

34. *S. lunulata:* thorace nigro-æneo, nitido, scutello æneo-brunneo; abdomine ænescenti atro, bis tribus lunulis subangustatis, pedibusque flavis; antennis fuscis; fronte, epistomatis lineola media, femoribusque basi,

nigris, alis hyalinis, stigmate tibiarumque posticarum annulo, obscuris. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 600. 7. ♂♀. *Syrphus lunulatus* Meig. Dipt. 3. 299. 39. ♂♀. Macq. Buff. 1. 536. 4 ♂♀. *Scaeva arcuata* Fall. Syrph. 12. 11. descript. variet. "oculis hirsutis & annulo tibiarum nigro".

Hab. primo vere in floribus Salicis, Sorbi, Cratægi, Ribis; serius in floribus Compositarum & Umbellatarum; per Scandinaviam, 20 Maj.—4 Aug., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Absusa, Björnstorp, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Häradshammar, Jonsberg, Gusum, Lärketorp &c., passim; in Ölandia & Gottlandia, rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellet, passim; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Lycksele & in alpe Brattiksfjell, frequenter; in inferalpinis Nordlandiæ Finmarkiæque Norvegicæ, ut ad Giebostad & Bossekop, haud raro. In Dania minus frequens, D. *Staeger*. (E regione Reinerzensi Silesiæ uterque sexus sine nomine communicavit D. *Zeller*).

♂♀. Antennæ mediocres rotundatæ, fuscæ aut testaceæ. Epistoma flavum, vitta media & genis nigris. Frons nigra, nitida, in femina macula media utrinque albo-pollinosa. Scutellum brunnescens, pallide hirtum. Abdominis fasciæ 3 flavæ, angustæ, interruptæ, arcuatæ, prima recta, & reliquæ in ♀ etiam minus arcuatæ. Femora anteriora fere ad medium, postica fere ad apicem, nigra. A *S. arcuata* (22) & *lunigera* (21) alarum stigmate obscuriori, oculis hir- &c. statim dignoscitur.

Obs. Specimina Silesiaca a Scandinavicis non differunt, nisi vitta epistomatis nigra paullo latiori & scutelli hirsutie fusca, nec flava; in ceteris omnibus simillima. — Exemplum

Grönlandicum sub hac specie in Ins. Lapponicis l. c. allatum ad *S. tarsatam* pertinet.

35. S. *obscura:* ænea, nitida, scutello æneo-brunneo; abdomine atro, bis tribus lunulis flavis angustis; antennis fuscis; pedibus nigris, genubus late flavis; alis hyalinis, basi stigmateque fuscis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. capite toto æneo; pedibus nigris, geniculis flavis.

Zett. Ins. Lapp. 601. 11. ♂♀.

Var. b. ♂♀. epistomatis lateribus late flavis; pedibus aut totis nigricantibus, aut flavis, femoribus basi, tarsisque apice, fuscis.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂. epistomate ut in var. b., pedibus ut in var. a., fasciis abdominis latioribus.

Hab. in floribus sylvestribus & paludosis ut in Salice, Rubo Chamæmoro &c., per Scandinaviam mediam & septentrionalem, 15 Jun.—22 Jul., passim, minus frequens; scilicet var. a. in Uplandia ad Holmiam (in floribus Padi), D. *Wahlberg;* in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi & Torneåträsk, atque ad Giebostad Nordlandiæ Norvegicæ, haud infrequenter; var. b. in Jemtlandia ad radicem Areskutan, & ad Lycksele Lapponiæ Umensis, rarius; & var. c. tantum ad diversorium Grimnäs Jemtlandiæ lecta.

♂♀. Simillima S. *lunulatæ*, sed plerumque duplo minor, obscurior, & præterea abdomine atro, maculis subarcuatis, obliquis, angustioribus, flavis, &c., distincta. — Alæ præsertim in var. b. basi fuscæ.

Subdiv. Secunda. Abdomen angustum, lineare, fasciis flavis semper rectis. Tarsi interdum incrassati aut dilatati. Mi-

nores, vix pipientes, juxta terram plerumque volantes. Oculi nudi (in *S. lasiophthalma* n:o 37 hirti).

A. Scutellum flavum. Epistoma album aut flavum. Antennæ rotundatæ. Tarsi simplices. Imagines loca arida præsertim amantes.

* *Fasciæ abdominis interruptæ, interdum maculares.*

36. *S. Umbellatarum:* thoràce aut obscure æneo, subopaco (♂), aut cærulescenti æneo, nitido (♀); abdomine atro, bis tribus maculis linearibus subquadrangulis, stramineis; fronte flavida, macula supra antennas ænea l. nigricante; epistomate flavo-albo, tuberculo, antennis, pedibusque nigris, geniculis anterioribus testaceis; alis subvitreis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 3—3¾ lin.).

Mas: thorace obscure æneo-opaco; pleuris schistaceis; fronte ænea, leviter albido-pollinosa, macula supra antennas bilunata, seu antice tridentata, nitida, nigra;

Fem.: thorace aut sæpius cærulescente aut cærulescenti-æneo, nitido; pleuris cinereis; fronte densius albo-pollinosa, macula supra antennas cordata verticeque cæruleis l. cyaneis, nitidis.

Fabr. Antl. 250. 9. ♀. Fall. Syrph. 11. 15. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 601. 21. ♂♀. *Syrphus Umbellatarum* Meig. Dipt. 3. 320. 68. ♂♀. Macq. Buff. 1. 542. 29. ♂♀. Löw Bemerk. 35. 16. ♂. *Syrphus amœnus* Löw l. c. 15. ♀.

Var. b. ♀. abdominis maculis glaucis l. albis.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♀ abdomine immaculato, segmentis tantum 4 & 5 apice tenuissime flavo-marginatis.

Hab. in floribus libenter Umbellatarum, per Scandinaviam, 19 Jun.—20 Aug., vulgaris; scilicet var. a. in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Calmaria & Uplandia,

frequens; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Fårön, Ruthe, Nähr, Garde, Thorsborg &c., haud raro; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Faxelfven usque ad Åreskutan, frequens; in Lapponiis Umensi & Tornensi, rarius. In Dania, D. D. *Fabricius*, *Dahlbom* & *Staeger*. (A Dominis *Boucheo* & *Löwio* marem ut *Syrph. Umbellatar.* & feminam sub nomine *Syrph. amœno* a D. *Zeller* e Silesia obtinui). Var. b. ad Gusum, Holmiam, atque in Ölandia & Finmarkia, & var. c. in Scania & Ostrog., lectæ.

♂♀. Antennæ cum seta nigræ. Thorax ut in diagnosi, sed variat etiam rarius in ♀ quoque æneus. Scutellum albido-flavum, fusco-pilosum. Segmenta analia apice anguste flavo-marginata. Alarum nervi: longit. 3 & 4 subparalleli, nervulus, qui aream primam terminat, curvatus. Pedes nigri, genubus anterioribus plus minusve late flavis.

37. S. *lasiophthalma:* oculis tenuiter hirtulis; thorace obscure æneo, nitido; abdomine atro, bis tribus maculis linearibus subquadrangulis, flavis; fronte flavido-pollinosa, macula supra antennas verticeque æneis; epistomate flavo-albo, vitta media, antennis pedibusque nigris; geniculis anterioribus testaceis; alis subvitreis, stigmate fusco. ♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in floribus Salicis cinereæ ad Holmiam, D. Prof. *Wahlberg*, qui sub nomine: "Sc. *nitidulæ* affini", specimen descriptum mihi benigne communicavit.

♀. Simillima *S. Umbellatarum*, sed epistomatis vitta media lata (nec tantum tuberculo) nigra, scutello minus pure flavo (fere rufescenti æneo-flavo), abdominis fasciis magis testaceo-flavis, nec albescentibus, alarum stigmate obscuriore, & præsertim oculis microscopice pubescentibus, ab illa distincta. — Similis etiam *S. nitidulæ*, sed magnitudi-

ne majore, scutello flavescente, nec æneo, oculisque puberulis differt.

♂.: "similis feminæ, sed fasciis flavis nonnihil latioribus, & pedibus fere totis nigris differt" Wahlb.; a me non visus.

38. *S. maculicornis:* thorace æneo, nitidissimo, scutello albido; abdomine atro, bis quatuor maculis subtriangularibus, flavis; fronte flavido-pollinosa, macula supra antennas epistomatisque tuberculo, nigris; antennis obscure brunneis, macula subtus lutea; pedibus pallidis, posticorum femorum tibiarumque annullo lato, tarsisque omnibus fuscis; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Mas: frons in fundo ænea, sed polline flavido tecta, relicta tantum regione angusta circa radicem antennarum lucida, testacea, & supra illam macula lunulata, tridentata (dentibus versus antennas vergentibus), nigra, nitida;

Fem.: frons lata, albo-pollinosa, macula supra antennas verticeque nigro-cæruleis, nitidis; regione circa antennas ut in ♂.

Scaeva Umbellatarum var. "antennis dimidiato-nigris, & pedibus pallidis" Fall. Syrph. 41. 15. descript.

Hab. in Suecia meridionali & media, 28 Jun.—24 Jul.—17 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång & Östra Torp; & in Gotttlandia ad cumulum arenosum Olle Hau in Fårön. (In insula Helgolandia duo specimina mascula invenit D. *Dahlbom*; & e campis lacustribus (Seefelder) prope Reinerz Silesiæ individuum unicum sine nomine mihi misit D. *Zeller*).

♂♀. Similis *S. Umbellatarum*, cujus variatatem olim credidi, sed macula antennarum subtus lutea trigona constanti, abdominis maculis subtriangularibus, nec linearibus, ut & pedibus pallidioribus, certe distincta. Maculæ abdominis primi paris in medio segmenti 2:di positæ, obovatæ, obliquæ; illæ secundi & tertii paris ad basin segmentorum 3

& 4 locatæ, majores, subtrigonæ; ultimi vero paris parvæ, trigonæ fere sub segmento 4:to retractæ. Segmentum 4:tum apice lineola marginali flava. Coxæ omnes & femora tibiæque postica fere tota nigra, interdum vero tantum nigro-annulata. Femora etiam intermedia basi sæpe fusca. Cetera ut in *S. Umbellatarum*.

39. *S. triangulifera:* thorace æneo, nitido, scutello flavo-ferrugineo; abdomine atro-cyaneo, bis tribus (♂), aut quatuor (♀) maculis triangularibus, pedibusque, flavis; fronte cærulescenti ænea; antennis fusco-testaceis; epistomate pallescente, tuberculo saturatius flavo; ore ænescente; femoribus in medio late (♂), aut anguste (♀), tibiarumque posticarum annulo medio, fuscis; alis hyalinis, stigmate pallide cinereo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Mas: obscurior. Frons trigona, nigro-ænea, nigro-pilosa; epistoma sordide albidum, tuberculo saturate flavo l. dilute brunneo; thorax immaculatus; scutellum fusco-ferrugineum; abdomen opacum, maculis utrinque tantum 3 (anali deficiente); femora postica fere tota, anteriora in medio latissime, tibiarumque posticarum annulus medius latus, nigra;

Fem.: frons & vertex nigro-cærulea, nitida, orbita oculorum frontali albo-pollinosa; epistoma albidum, tuberculo flavo; thorax cærulescenti æneus, linea laterali pallida; pleuræ cinereo-maculatæ scutellum testaceum; abdomen nitidum, maculis utrinque 4 flavis; pedes cum trochanteribus flavi, femoribus anterioribus annulo basali angusto dilute fusco, posticis tibiisque ejusdem paris annulo medio latiori nigro.

Wahlb. in litteris 1842.

Hab. in floribus Salicis cinereæ, in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam a Cel. D. Prof. *Wahlberg* detecta; inter diversoria Fanbyn & Grimnäs Jemtlandiæ ♀ a D. *Dahlbom* 19 Jun. 1840 etiam deprehensa.

(E Glogavia a D. *Zeller* in Ribe rubro 10 Maji 1839 capta in utroque sexu sine nomine etiam communicata).

♂♀. S. *guttatæ* affinis, sed paullo major, obscurior, pictura partium flava, nec alba, & in multis aliis diversa. Antennæ rotundatæ, testaceæ, superne plus minusve infuscatæ. Regio ad antennarum insertionem sulcata, anguste testacea. Nigredo frontalis denticulis 3 acutis versus antennas desinit. Peristomium præsertim in mare æneseens. Abdominis maculæ feminæ 4 pares oppositæ, triangulares, flavæ, intermediæ majores, quarum primum par in medio marginis segmenti 2:di, & reliqua ad basin segmentorum 3, 4 & 5 locata; in mare ultimum par deficit. Halteres flavi, in ♀ albidiores. Nervi ut in *S. Umbellatarum.* Tarsi apice interdum fusci.

40. S. *decora:* thorace obscure æneo, nitido, scutello ænescenti ferrugineo; abdomine atro, fasciis quatuor flavis, tribus anticis inæque interruptis; fronte ænea; antennis, epistomate pedibusque, flavis; femoribus basi in ♂ nigris; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Syrphus decorus Meig. Dip. 3. 319. 66. ♀. Macq. Buff. 1. 512. 28. ♀.

Hab. in floribus Cratægi, Salicis cinereæ &c., tempore vernali, per Succiam meridionalem & mediam, minus frequens; scilicet in Scania ad Fogelsång & Abusa; in Ostrogothia ad Gusum & Häradshammar, parce, D. *Stenhammar;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.* (E Glogavia uterque sexus missus).

♂♀. Subsimilis *S. Umbellatarum*, antennis luteis, epistomate flavo immaculato, fronte determinate ænea, & abdominis fascia 4:ta continua, facile dignota. Antennæ superne cum seta sæpe fuscæ. Frons antice determinate, sed inæqualiter ænea, in ♀ macula utrinque albo-pollinosa. Tuberculum

epistomatis saturate flavum. Peristomium nigro-cærulescens, præsertim in ♂. Abdominis maculæ primi paris, minores, subtrigonæ, late distantes; secundi & tertii paris transversæ, latiusculæ, lineares l. subquadratæ, anguste remotæ; fascia 4:ta integra, angusta. Anus in ♂ flavus, in ♀ niger. Pedes cum trochanteribus flavi, femoribus basi in ♂ anterioribus anguste, posticis fere ad medium nigris. Femora postica in ♀ quoque basi sæpe nigricantia. Metatarsus posticus incrassatus. Nervi ut in *S. Umbellatarum.*

41. *S. guttata:* thorace æneo, nitido, vitta laterali, puncto postico gemino, scutello, fronte epistomateque, albis; abdomine atro, bis tribus maculis albis; pedibus nigris, anterioribus in ♀, geniculisque in ♂, pallidis; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Fall. Syrph. 41. 16. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 601. 22. ♂♀. *Syrphus guttatus* Meig. Dipt. 3. 322. 71. ♀.

Hab. in floribus Anethi graveolentis, Dauci & aliarum Umbellatarum, per Scandinaviam, 1 Jul.—20 Aug.—3 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Lindholmen, Esperöd &c., non parce; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum & Häradshammar; in Ölandia ad Ottenby; in Gottlandia ad Ahlskog, minus frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarissime; in Jemtlandia ad Ristansfors parœciæ Undersåker; in Norvegia ad Thynæs Værdaliæ, D. *Dahlbom*, & in Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Similis & affinis *Umbellatarum*, sed multo minor, & pictura diversa. Caput cum proboscide album. Antennæ cum seta nigræ, apice interdum fuscæ. E vertice aureo-æneo macula conica ejusdem coloris in frontem feminæ emittitur. Macula alba ante scutellum plerumque simplex. Scutellum albo-villosum. Abdomen opacum, maculis in ♂ sæpe subtrigonis, in ♀ magis linearibus. In segmento 5:to

basi fascia albida, in medio postico emarginata, subretracta. Pedes postici nigri, femoribus basi plus (♂), minusve (♀), nigris. Alæ ut in *S. Umbellatarum.*

12. *S. arctica:* thorace cærulescenti æneo, subopaco, scutello cærulescenti albo; capite cæruleo; abdomine nigro, bis tribus maculis ovalibus, transversis, flavis; antennis pedibusque nigris, geniculis pallidis; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♂. (Long. 2—2¾ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 604. 23. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ, ad Giebostad mense Julio rarius.

♂. Statura subconica, antice scilicet latior, postice attenuata. Tota obscura, nigro-pilosa. Caput cæruleum, epistomate lato, leviter albo-pollinoso, tuberculo & antennis nigris. Scutellum fusco-pilosum. Abdomen opacum, maculis utrinque 3 liberis, transversis, primi paris minoribus vel minutis, omnibus flavis aut luteis. Segmenta analia apice angustissime flavo-marginata. Alæ ut in *Umbellatarum.* Squama albida. Halteres fusci. Pedes nigri, geniculis anterioribus summis pallidis.

13. *S. barbifrons:* atra, opaca, nigro-villosa, scutello livido; abdomine maculis 4 flavis; pedibus fuscis; alis hyalinis, stigmate cinereo. ♂. (Long. 2 lin.).

Fall. Syrph. 45. 17. ♂. Zett. Ins. Lapp. 605. 26. ♂. *Syrphus* Meig Dipt. 3. 338. 95. ♂.

Hab. in Suecia rarissime; non nisi tria specimina hactenus inventa, quantum noverim; scilicet unum in Scania, alterum in Lapponia Tornensi ad Karesuando 15 Aug. 1821, & tertium in floribus Salicis ad Calix Botniæ borealis 16 Maji ejusdem anni, a me inventa.

♂ *S. ambiguæ* (infra n:o 60) primo intuitu non absimilis.

Statura & affinitas *S. arcticæ*, nonnihil minor. Species certe distincta. Caput totum nigrum. Antennæ rotundatæ. Frons nigro-villosa. Scutellum livido-nigrum. Maculæ abdominis 4 parvæ, ovales, oppositæ, transversæ, albido-flavæ, in segmentis 3 & 4 locatæ, late remotæ, marginem lateralem attingentes. Pedes fusci, geniculis dilutioribus. Metatarsus posticus elongatus, subincrassatus.

** *Fasciæ abdominis intermediæ integræ (non interruptæ).*

41. *S. cincta:* thorace æneo, nitido, lateribus pallescente; capite, scutello flavo-villoso, pedibusque, flavis; antennis luteis; abdomine nigro, fasciis 4 flavis, prima interrupta e maculis 2 trigonis conflata; alis hyalinis, stigmate cinereo-pallido. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Syrph. 45. 18. ♂♀ genuina. — Zett. Ins. Lapp. 604. 24. (unum alterumve specimen e Lapponia Umensi). — *Syrphus cinctus* Meig. Dipt. 3. 318. 65.? ♀. — Macq. Buff. 1. 542. 27? ♀.

Hab. in Umbellatis Sueciæ, passim, 20 Maji—13 Aug. mihi obvia; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. frequens: pupa pisiformis, inermis, albida; in Ostrogothiæ hortis freq., D. D. *Stenhammar* & *Wahlberg*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia meridionali rarissime; in Norvegia ad Næs Værdaliæ semel lecta. Sub nomine *Syrph. placidus* Meig. mas a D. *Staeger* e Dania missus.

♂♀. Similis *S. nitidicolli*, magnitudine minore, abdomine lineari &c., dignota. Per scutelli flavi hirsutiem flavam a sequente & aliis affinibus optime dignoscitur. Caput albido-flavum, antennis luteis, seta fusca. Vertex ♀ cærulescens nitidus lineam ejusdem coloris in frontem emittit. Thorax ad latera, præsertim in ♀ pallescit; pleuris ca-

nis. Abdomen opacum nigrum, fasciis 4 mediocriter latis, flavis, 1:ma e maculis 2 trigonis constante, 2 & 3 rectis, integris, 4:ta postice emarginata. Segmentum 4:tum margine apicali flavum. Anus ♂ niger, ♀ flavus, puncto nigro. Nervi ut in priori. Pedes flavi, postici in ♂ vestigio annuli fusci in femoribus & tibiis.

45. *S. cinctella:* thorace æneo, nitido, capite, scutello fusco-villoso, pedibusque, flavis; antennis luteis, superne obscuris; abdomine nigro, fasciis 4 flavis, prima interrupta e maculis 2 trigonis (♂), aut subquadratis (♀), conflata; macula frontali femorumque annulo, nigris; alis hyalinis, stigmate fusco. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ lin.).

S. cincta variet. "antennis extus nigris & femoribus ex parte obscuris" Fall. Syrph. 45. 18. Zett. Lapp. specimina pleraque. — Forte etiam sub *Syrpho auricolli* Meig. Dipt. 3. 318. 64 latet?

Hab. in floribus Umbellatarum, per Scandinaviam, 26 Jun.—13 Sept., passim; scilicet in Scania rarius; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena, haud raro; in Dalhem Calmariæ, D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Ruthe, Nähr & Wamblingbo; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina, Almsele & Frederica; in Norvegia ad Östre Næs Værdaliæ frequens.

♂♀. Simillima priori, cum qua olim confusa. Sed antennis extus nigricantibus, macula frontali supra antennas distincta atra nitida, scutelli hirsutie fusca, nec flava, abdominis maculis basalibus nonnihil majoribus, & in ♀ subquadratis, ut & femorum annulis nigris præcipue in ♂ distinctioribus, certe & facile distinguitur. Pedes flavi, in ♂ femoribus anterioribus annulo medio angusto (interdum vix nisi macula superna), pedibusque posticis fere totis nigris, femorum ima basi geniculisque flavis; in ♀ femoribus posticis annulo ad apicem, tibiis apice late tarsisque totis nigris.

Obs. An sint hujus vel præcedentis individua, quæ in Ostrogothia & ad Holmiam legerunt D. D. *Stenhammar* & *Wahlberg*, pro certo dicere non possum, cum specimina non comparavi.

26. *S. auricollis:* thorace æneo, nitido, capite, scutello fusco-villoso, pedibusque, flavis; antennis luteis, superne obscuris; abdomine nigro, fasciis subtribus flavis, prima interrupta e maculis 2 trigonis (♂) conflata; fronte (♂) immaculata; pedibus posticis nigricantibus, femoribus basi geniculisque flavis; alis hyalinis, stigmate pallido. ♂. (Long. 3—3½ lin.).

Syrphus Meig. Dipt. 3. 318. 61.? Macq. Buff. 1. 532. 2?

Hab. in Scania rarius, ad Abusa specimina mascula pauca inveni. — In Dania, D. *Staeger*. (Circa Hamburgum a D. *Dahlbom* 1838 capta).

♂. Duabus proxime præcedentibus valde affinis & similis, sed a *S. cincta* scutello fusco-, nec flavo-villoso, antennis extorsum fuscis, nec totis luteis, &c., a *S. cinctella* macula supra antennas nigra nulla, stigmate alarum magis pallido &c., & ab utroque magnitudine sæpius nonnihil majore, ut & in primis abdominis fasciis intermediis postice sat profunde emarginatis, nec integris, distincta videtur. Frons in angulo oculorum in fundo quidem læte ænea, tenuiter nigro-pilosa, sed polline flavo tecta, antice in regione circa antennarum basin lunatim testacea, nitida; macula vero nigra deficit. In segmento 4:to apice lineola marginalis angusta flava, & in segmento ultimo fasciola postice late emarginata, sub segmento 4:to fere retracta, flava, quæ fasciam 4:tam constitueret. — In individuo Hamburgensi fasciæ etiam intermediæ subinterruptæ, omnino ut in exemplo masculo, quod in nota sub *Syrpho auricolli* refert D. *Meigen* l. c.

Obs. Femina: "fronte supra antennas macula brunnea verti-

ceque nigro, nitido" a D. *Meigen* l. c. allata, mihi ignota, nisi inter specimina feminea *S. cinctellæ* eam quærere velles. Abdominis vero fascias 2 & 3 postice aut integras aut emarginatas ut notam essentialem pro his duabus speciebus affinibus distingvendis nos assumsimus.

47. *S. annulata:* thorace æneo, nitido, scutello pallido, fusco-villoso; antennis fusco-testaceis; fronte nigra; epistomate albido, linea media nigra; abdomine nigro, fasciis 4 subangustatis, prima interrupta, pedibusque, flavis, femorum posticorum annulo nigro; alis hyalinis, stigmate pallescente. ♀. (Long. 2—2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 604. 25. ♀.

Hab. in Suecia mense Julio, minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, rarius; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Gottlandia ad Gothem; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina.

♀. Similis *S. cinctæ* & *cinctellæ*, sed proportione magnitudinis nonnihil latior, epistomatis vitta media nigra &c., mox ab illis dignota. Antennæ parvæ, rotundæ, testaceæ aut fusco-testaceæ. Frons albo-pollinosa, macula supra antennas cordata, nuda, nigra, nitida. Inter apicem hujus maculæ & verticem æneum lineola angusta nigra. Epistoma flavo-albidum, vitta media nigra usque ad radicem antennarum extensa. Peristomium ænescens. Thorax immaculatus. Abdominis fasciæ 3 rectæ, angustatæ, æqualiter latæ, prima non late interrupta, 2 & 3 integerrimæ. Segmenta analia apice anguste flavo-marginata. In segmento quinto etiam fascia basalis, postice late emarginata, sub segmento antecedente ad maximam partem retracta, flava. Nervi ut in prioribus. Squamæ sub alis albidæ. Halteres flavi. Pedes flavi, postici femoribus annulo postico, tibiis versus apicem obsolete, tarsisque sæpe, fuscis. Coxæ nigræ.

B.). Scutellum æneum, thorace nitido concolor. Epistoma æneum. Antennæ rotundatæ aut subovatæ. Imagines in graminosis locis paludosis plerumque versantur.

†. Tarsi masculorum incrassati aut dilatati. An proprii generis?

a. Abdomen interrupte fasciatum vel quadratim maculatum.

α.) epistomate longe & conice descendente.

48. S. *manicata:* pallide ænea, parum nitida, epistomate extenso concolore, abdominis maris atro, feminæ æneo, maculis in utroque sexu bis tribus aut quatuor luteis; antennis pedibusque nigris, geniculis flavis, articulis 2 primis tarsorum anticorum in ♂ dilatatis, depressis, albis, nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 606. 33. ♂♀. *Syrphus manicatus* Meig. Dipt. 3. 336. 91. ♂♀. Macq. Buff. 1. 518. 46.

Hab. in floribus & graminosis locis aridis, per Scandinaviam, 21 Jun.—25 Sept., ubique vulgaris; scilicet in Scania omnium frequentissima; in Smolandia, Ostrogothia (ad Wadstena, Gusum, Häradshammar), Ölandia, Bahusia (ad Marstrand), Uplandia (ad Holmiam), passim; in Jemtlandia tota usque ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, abundans; in Lapponia Suecica rarius ex. gr. ad Stor-Uman Lapponiæ Umensis, & ad Torneå. In Norvegiæ littoribus marinis iterum vulgaris, ut in Dovre, D. *Boheman;* in Værdalia ad Näs, Suul & usque in alpes Kälahögar in jugo alpino sitis descendens, D. *Dahlbom*, atque in Björkvik Nordlandiæ & Bossekop Finmarkiæ, ipse. — In Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Similis *S. peltatæ*, sed plerumque nonnihil minor, & differt: epistomate longius & fere conice extenso, antennis totis nigris, pedibus, in utroque sexu similiter, coloratis obscurioribus, ut & metatarso maris antico articuloque ei proximo albis, posticoque valde incrassato, oblongo-ovato. Caput in fundo obscure æneum, sed polline flavo vel albido fere undique tectum, ore & tuberculo denudatis. Scutellum nitidum. Abdominis maculæ subquadratæ per nigredinem cruciformem remotæ, in ♂ 6, in ♀ 8, perspicuæ. Squamæ sub alis & halteres, pallide flava. Regio stemmatum in vertice feminæ nigra.

49. *S. rostrata:* cærulescenti ænea, nitida, epistomate extenso concolore; abdomine atro, bis tribus maculis, pedibusque, flavo-albis, harum posticis fuscis, geniculis pallidis; antennis nigris; articulis duobus primis tarsorum anticorum, in ♂ dilatatis, depressis, albis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 607. 34. ♂♀.

Hab. in Suecia & Lapponia rarissime; tria tantum specimina vidi, unum scilicet femineum ad villam Abusa prope Lund Scaniæ Jul. 1816, & alterum masculum ad Lycksele Lapponiæ Umensis 21 Jun. 1832, a me inventa; atque tertium iterum femineum inter Kongsstue & Höjfjeldbroë in jugo alpino Norvegiæ & Værdaliæ a D *Dahlbom* 16 Jul. 1840 deprehensum.

♂♀. Præcedenti similis, paullo minor, magis nitida, & colore corporis cærulescenti æneo, abdominis maculis pedibusqae albidioribus, articulis dilatatis tarsorum anticorum maris albis immaculatis, nec nigro-punctatis &c., distincta. Anus æneseens. Pedes anteriores albidi, femoribus latere postico nigricante, & in ♂ nigro-villoso; postici nigricantes, geniculis albidis, metatarso modice incrassato. Cetera ut in priori vel in diagnosi.

Obs. Individuum femineum corpore æneo, nitido, femoribus tibiisque anterioribus nigro-annulatis, ad Esperöd Scaniæ semel lectum, forsitan hujus varietas?

β.) epistomate tuberculato, sed non longe nec conice descendente.

50. *S. peltata:* ænea, nitida, abdomine atro, bis tribus maculis subquadratis, luteis; antennis fusco-nigris, macula subtus lutea; pedibus nigris, anterioribus in ♀ totis, geniculisque in ♂ flavis; in mare metatarsis, antico dilatato, albo, postico modice incrassato, nigro. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 606. 30. ♂♀. *Syrphus peltatus* Meig. Dipt. 3. 331. 89. ♂♀. tab. 30. f. 31. 32. Macq. Buff. 1. 517. 13. ♂♀. Löw Bemerk. 31. 17. ♂♀. *Scaeva albimana* var. Fall. Syrph. 46. 19.

Hab. in graminosis & pratorum hortorumque floribus Umbellatarum, per Scandinaviam, 21 Jun.—8 Aug., vulgaris; in copula capta; scilicet in Scania ubique vulgatissima; in Ostrogothia frequens præsertim in parœciis mari alluentibus; in Ölandia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia usque ad Mullfjellet, freq.; in Botnia boreali ad Calix prope Torneå, & in Lapponia Umensi ad Lycksele, rarius; in Norvegia ad Thynæs; in Dania haud infrequens.

♂♀. *S. manicatæ* similis, sed nonnihil major, magis nitida, epistomate lato, distincte tuberculato, sed non in conum descendente, antennarum articulo ultimo subtus macula trigona lutea, ut & tantum metatarso antico (nec articulo ei proximo) in mare dilatato, albo, subtus maculis 3 fuscis (nec punctis supra) notato, satis distincta. Caput flavido-pollinosum, tuberculo denudato, nigro; vertice in ♀ æneo, nitido. Maculæ abdominis segmenti 5:ti flavæ in ♂

& ♀ adsunt, sed parvæ & sæpe absconditæ sub segmento 4:to. Anus ♂ æneus, nitidus. Pedes: in *mare* nigricantes, geniculis omnibus tibiisque anterioribus fusco-testaceis, tarsis anterioribus albis, metatarsis: antico dilatato, albo, subtus brunneo-maculato, intermedio simplici, nigro, postico elongato, incrassato, nigro; femoribus anticis extus nigro-villosis; tibiis anticis extus in medio striga nigra; in *femina* lutei, simplices; postici femorum tibiarumque annulo plus minus lato, tarsisque, nigris. Alæ ut in *S. manicata.*

51. *S. clypeata:* ænea, nitida, abdomine atro, bis tribus aut quatuor maculis quadratis, pedibusque, luteis, horum posticorum femorum, tibiarum metatarsorumque annulo nigro; antennis nigris; tibiis tarsisque anticis in mare dilatatis, flavo-albidis. ♂♀. (Long. circit. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 606. 31. ♂♀. *Syrphus clypeatus* Meig. Dipt. 3. 335. 90. ♂♀. Macq. Buff. I. 547. 44. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 21. *Scaeva albimana* var. Fall. Syrph. 46. 19.

Hab. in pratorum fruticibus & graminosis, libenter locis humidis, per Scandinaviam, 24 Jun.—Jul.—28 Aug., vulgatissima, in copula sæpe capta & e pupa conica, inermi, sordide albida, lateribus dilute brunneo-striata foliisque graminum adglutinata, exclusa; scilicet in Scania, Smolandia, Westro- & Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, Uplandia, ubique frequentissima; in Helsingia, passim; in Jemtlandia usque ad Åreskutan & Mullfjellen, vulgaris; in Lapponia Umensi & Tornensi, haud raro. In Dania, D. *Staeger.* (Circa Hamburgum, a D. *Dahlbom* quoque lecta. E Silesia sub nomine *Syrphus gracilis* obtinui).

♂♀. Similis priori, sed plerumque nonnihil minor, & epistomate æneo, albo- l. flavido-pollinoso, antennis totis nigris,

pedibus pallidioribus, in utroque sexu fere æqualiter pictis, ut & in ♂ tibiis tarsisque totis dilatatis, albidis, certe distincta. — Epistoma parum tuberculatum. Antennæ superne subangulatæ, ut recte observavit D. *Löwius* l. c. Abdominis maculæ primi paris minores, subrotundæ; ultimi seu quarti paris etiam minores, subtriangulares, interdum minus perspicuæ, & imprimis in ♂ sæpe, uti totum segmentum, æneæ, nitidæ. Nigredo cruciata in ♀ paullo latior est quam in ♂. Alæ ut in *peltata*, sed nervi sæpe subinfuscati. Pedes *maris:* antici rufo-flavi, femoribus plerumque extus brunneis & semper fusco-pilosis, tibiis modice dilatatis, flavis, apice albis, tarsis modice dilatatis flavis, metatarso albo; intermedii rufo-flavi, femoribus sæpe basi & annulo tibiarum obsoleto, fuscis; postici rufo-flavi, femoribus in medio latissime, tibiis annulo lato, metatarsoque subincrassato fere toto, nigris; *feminæ:* toti rufo-flavi, posticorum femorum, tibiarum metatarsorumque annulo fusco angustiori. Coxæ omnes & articuli 2 ultimi tarsorum posticorum in utroque sexu nigricantes. — Variat ♀ rarissime femoribus posticis annulo fusco nullo; ad Sparresäter Westrogothiæ, D. *Kinberg.*

52. *S. ferruginea:* ænea, nitida; abdomine fulvo, lineola dorsali media, fasciisque angustissimis, nigris; pedibus rufo-flavis, metatarsis posticis antennisque, nigris; tibiis anticis in mare evidenter, tarsisque nonnihil, dilatatis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Var. a. ♂♀ pedum posticorum articulis tarsorum 1, 4 & 5 nigricantibus l. fuscis. *Syrphus ferrugineus* Macq. Dipt. Syrph. 81. 7. ♀. Id. Buff. 1. 518. 47. ♀. Meig. Dipt. 7. 137. 113. ♀.

Var. b. ♀ pedibus posticis rufo-flavis, immaculatis.

Var. c. ♂ similis var. a. abdomine toto fulvo, linea tantum dorsali media nigra.

Hab. in Suecia meridionali & media, rarius; scilicet var. a. in Scania ad Näsbyholm in utroque sexu d. 29 Jun. 1838 a D. *Dahlbom* inventa; in Gottlandia ad Östergarn d. 16 Jul. 1811 deprehendi; var. b. etiam in Gottlandia ad Stenkyrka 30 Jul. semel a me lecta; & hæc atque var. c. in Ostrogothia in littore maris ad Jonsberg a D. *Stenhammar* primo vere rarius captæ.

♂♀. *S. clypeatæ* simillima, sed paullo minor & abdominis nigredine tenuissima, femorumque tibiarum posticarum annulo nigro nullo præcipue differt. Antennæ sat magnæ, latæ, nigræ, superne subangulatæ, præsertim in ♂. Abdominis 1:mum segmentum nigrum. Anus æneus (♂). Coxæ nigræ *Mas;* pedes fulvi, antici: femoribus subtus lineola nigra, extus nigro-pilosis, tibiis lanceolato-dilatatis, tarsis modice latis; intermedii: immaculati; postici: metatarso distincte incrassato, fere toto, articulisque 2 ultimis, nigris. *Femina:* pedes omnes simplices, fulvi, postici: metatarso minus incrassato, in variet. a. basi articuloque ultimo, nigro-fuscis. Abdominis linea dorsalis incisuræque nonnihil latiores in ♀ quam in ♂. — Var. c. insignis abdominis incisuris non nigro-pictis; in femoribus tibiisque posticis vestigium annuli fusci observatur in hac varietate. Vix specie distincta?

53. *S. fulviventris:* "abdomine fulvo: linea dorsali fasciisque nigris, articulo tertio antennarum subtus rufo; tibiis anticis maris dilatatis, apice albis. ♂."

Syrphus Macq. Dipt. Syrph. 81. 6. ♂. Id. Buff. I. 548. 47. Meig. Dipt. 7. 136. 112. ♂.

Hab. ad Holmiam, teste D. Prof. *Wahlberg*, a me nunquam inventa, neque lustrata.

♂. Simillima erit *S. ferrugineæ*, exceptis antennis, quæ in *ferruginea* totæ nigræ, in *fulviventre* nigræ, subtus rufæ ut in *peltata*, sunt.

54. *S. podagrata:* obscure ænea, parum nitida; abdomine atro, bis tribus maculis quadratis, pedibusque anterioribus, luteis, femoribus latere postico, posticisque totis, nigris, geniculis flavis; antennis nigris; tibiis tarsisque anterioribus in mare dilatatis, flavo-albis. ♂. (Long. 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 606. 32. ♂.

Hab. in Suecia boreali rarius, 21 Jun.—27 Jul. obvia; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm, ut & in Lapponia Umensi ad Lycksele, pauca specimina inveni. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* Jul. 1838, quoque capta).

♂. Valde affinis & similis *S. clypeatæ*, sed paullo minor, minus nitida, & abdomine angustiori, subcylindrico, tibiis anticis valde dilatatis, præsertim versus apicem, ut & pedibus obscurioribus, nempe posticis totis nigris, geniculis tantum leviter testaceis, diversa. In specimine Hamburgensi abdomen bis quatuor maculas habet; an distincta? Cfr præterea *S. angustata* n:o 64.

55. *S. scutata:* obscure ænea, nitida; abdomine atro, bis tribus maculis quadratis flavidis (♂), aut albidis (♀); antennis fuscis, subtus luteis; pedibus anterioribus pallidis, nigro-maculatis, posticis nigris, femoribus basi geniculisque pallidis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Mas: pedibus anterioribus albidis, anticis: femoribus extus nigris & nigro-pilosis, tibiis apice subdilatatis, lineola in medio nigra, externe floccosis, metatarso distincte dilatato, subquadrato, subtus fusco-maculato, articulo 2:do subæque lato, sed brevissimo, reliquis sensim angustioribus; intermediis similiter pictis, sed simplicibus, & haud pilosis; abdomine angusto, bis tribus maculis quadratis parvis (unde nigredo interstitialis lata exstat);

Fem.: vertice fronteque cæruleis, nitidis, fascia media obliqua albo-pollinosa; pedibus simplicibus, pallidis, subnudis, posticorum femoribus & tibiis in medio late, tarsisque fere totis, nigricantibus; abdomine depresso, maculis ut in ♂, sed sæpe albidis, & interdum quatuor paribus.

Syrphus scutatus Meig. Dipt. 333. 88. ♂♀. Macq. Buff. 1. 516. 42. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 18. *Scaeva albimana* var. Fall. Syrph. 46. 19.

Hab. in pascuis & pratis, per Sueciam meridionalem & mediam, 29 Jun.—Jul.—12 Sept., minus frequens; in Scania ad Lund & Sandhammar; in Blekingia ad Carlscrona, D. v. *Borck*; in Ostrogothia ad Wadstena, D. *Dahlbom*, & ad Häradshammar, D. *Stenhammar*; ad Gothoburgum & Holmiam, D. *Wahlberg*; in Gottlandia rarissime; in Jemtlandia ad Alsen & Mullfjellet, rar.; in Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Similis proxime præcedentibus, sed *maris* abdominis angusti maculis minoribus, tarsorumque anticorum forma, *feminæ* fronte verticeque cæruleis, nitidissimis, & antennis in utroque sexu nonnihil minoribus, apice rotundatis, nec superne subangulatis, facile dignoscenda.

56. S. *albimana:* ænea aut subcærulescens, nitida; abdomine atro, bis tribus aut quatuor maculis subquadratis glaucis aut æneis; antennis nigro-fuscis; pedibus nigricantibus, tibiis tarsisque anterioribus albescentibus; horum anticis in ♂ dilatatis. ♂♀. (Long. 2— fere 3 lin.).

Mas: frons nigro-ænea, parum nitida, nigro-pilosa; abdomen angustum atrum, opacum, ad latera cinereo-pilosum, maculis in utroque latere 3 (rarius 2), parvis, subquadratis, plerumque æneis, interdum glaucis aut luteis; anus æneus, nitidus; halteres fusci; pedes nigri, antici: geniculis tibiis

tarsisque albis, femoribus extus nigro-pilosis, tibiis apice dilatatis utrinque nigro-lineatis & extus in medio nigro-floccosis, tarsis articulo 1:mo distincte quadratim dilatato, plano, reliquis articulis sensim angustioribus; intermedii simplices: geniculis, tibiarum apice, tarsisque totis, albis; postici: geniculis summis pallidis, metatarso parum incrassato;

Fem.: vertex & frons cærulescentia, nitidissima, macula utrinque albo-pollinosa; abdomen depressum, nudiusculum, subnitidum, cærulescenti atrum, maculis utrinque 3 vel 4 glaucis; halteres albo-flavi; pedes ut in ♂, sed simplices & antici non pilosi nec floccosi, plerumque etiam magis pallidi.

Fabr. Antl. 253. 23. Fall. Syrph. 46. 19. ♂♀ genuina. Zett. Ins. Lapp. 607. 35. ♂♀. *Syrphus albimanus* Meig. Dipt. 3. 333. 87. ♂♀. Macq. Buff. 1. 546. 41. ♂♀. Löw Bemerk. 37. 20.

Hab. in hortis & graminosis, sæpe locis aridis, per Scandinaviam, 12 Maji—17 Sept., ubique vulgaris, tempore vernali & autumnali præsertim abundans; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia, Wermelandia, Dalecarlia, & Jemtlandia usque ad Åreskutan & Skalstugan, frequentissima; in Lapponia Umensi & Tornensi, passim; in Norvegia ad Ofotenfjord Nordlandiæ, rarius; in Dania passim. (E Glogavia etiam missa).

♂♀. A priori, cui valde similis & affinis, differt præcipue abdominis maculis glaucis l. æneis, nec flavidis l. albidis. Antennæ parvæ, oblongiusculæ, vel totæ fuscæ l. superne nigricantes, subtus fuscæ. Epistoma nigro-cærulescens, albido-pollinosum, tuberculis distinctis, nudis, nigris. Thorax & scutellum sæpe æneo-cærulescentia, præsertim in ♀.

Alarum stigma pallidum. Halterum clava fusca, stipite albido.

b. Abdomen rufum, apice nigro-fasciatum.

57. *S. Ocymi:* obscure ænea, nitida; abdomine rufo, antice posticeque nigro; antennis atris; pedibus aut nigris, geniculis luteis (♂), aut luteis, tarsis nigris (♀); tarsis anticis in ♂ dilatatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdomen rufo-luteum opacum, segmentis: 1:mo æneo nitido, 2:do vix ad 4:tam partem nigro, 4:to nigro, basi rufo-luteo, & 5:to toto cærulescenti-nigro, nitido, ano concolore. Scutellum æneum. Pedes nigri, geniculis anterioribus, tibiisque basi, luteis; metatarso antico incrassato, uno latere dilatato. Alæ fuscæ;

Fem.: abdomen ut in ♂ pictum, sed segmentis mediis rufis apice ad latera macula triangulari nigra, & sæpe linea media dorsali subinterrupta ejusdem coloris, ornatis; segmento 5:to basi utrinque rufo-maculato. Pedes lutei, coxis, annulo tibiarum posticarum tarsisque omnibus, nigris simplicibus, metatarsis anticis sæpe luteis. Scutellum cærulescens. Alæ cinereo-hyalinæ.

Fabr. Antl. 252. 18 certe. ♂♀. Fall. Syrph. 48. 23. vera. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 607. 36. ♂♀. *Syrphus* Panz. Fn. 82. 18. ♀. Meig. Dipt. 3. 337. 93. ♀. Macq. Buff. 1. 546. 40. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 26. ♂. *Musca brassicaria* Panz. Fn. 20. f. 20 marem hujus speciei etiam repræsentat, licet oculi in figura distent. *Syrphus lobatus* Meig. Dipt. 3. 336. 92. ♂.

Hab. in graminosis locis paludosis, per Scandinaviam 4 Jul.—Aug.—5 Sept., passim; scilicet in Scania ad Tungbyholm, Esperöd, Abusa & Lund, certis annis haud infrequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, D. *Dahlbom*, ad Gusum, D. *Wahlberg*, & in cœmeterio Sudercopiæ rarius, D. *Stenhammar;* in Ölandia rar.; in Lapponia

Umensi ad Nästansjö & Tresunda; in Dania minus freq., D. *Staeger.*

♂♀. Prioribus magis nuda. Epistoma distincte tuberculatum. Antennæ suboblongæ, apice suboblique truncatæ. Vertex in ♀ sæpe nigro-cærulescens. Abdomen depressum, planum, posterius sublatius. Squama sub alis & halteres, pallida. Metatarsus posticus incrassatus. Venter luteus, basi apiceque in ♂ niger.

Var. b. ♀. Abdomine nigro, fasciis 3 rufis, per lineolam mediam nigram interruptis, segmento 5:to basi utrinque macula cærulea nitida (loco maculæ rufæ in var. a.); pedibus rufis, femoribus anterioribus basi, pedibusque posticis, præter tibiarum basin testaceam, totis, nigris. In Scania semel.

††. Tarsi in utroque sexu simplices.

58. S. *Rosarum:* obscure ænea, nitida; antennis oblongiusculis, nigris; abdomine atro, fascia segmenti 3:tii subinterrupta flava; pedibus nigris, anteriorum genubus, tibiis tarsisque flavis; alis in medio subinfuscatis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Mas: caput nigrum; scutellum æneum; abdomen atrum, opacum, segmento 3:tio basi fascia latiori, flava, per lineam mediam nigram interrupta, relictis maculis 2 majoribus subquadratis vel latere postico nonnihil rotundatis; macula minuta basali utrinque etiam sæpissime in segmento 4:to; pedes anteriores flavi, coxis, femoribus basi late, tibiarumque annulo, nigris; anus æneus.

Fem.: caput cærulescens, vertice chalybeo; scutellum cæruleum; abdomen nigrum, opacum, fascia segmenti tertii omnino ut in ♂, at fasciola in basi segmenti 4:ti transversa, angusta, in medio late interrupta, flava, etiam adest, & in segmenti 2:di disco sæpius quoque puncta 2 libera ejusdem coloris; segmentum 5:tum cæruleum nitidum, apice

macula lunata, nigra; pedes, anteriores: flavi, coxis femorum basi nigris, postici: nigri, geniculis flavis, tarsis fuscis; in copula.

Fabr. Antl. 251. 11. Fall. Syrph. 47. 22. vera. ♂♀. — *Cheilosia* Panz. Fn. 108. 14. ♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 338. 94. certe. ♂♀. — Macq. Buff. 1. 545. 39. ♂♀. Löw Bemerk. 34. 27. *Syrphus noctilucus* Panz. Fn. 72. 24. ♂ oculis immerito distantibus.

Hab. in graminosis locis humidis, per Sueciam meridionalem & mediam, 13 Jul.—15 Aug., minus frequens; in copula capta; scilicet in Scania ad Lund, Röstånga, Farhult, Abusa, Björnstorp, Esperöd &c., passim; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Häradshammar specimen masculum invenit mihique communicavit Reverend. Præpos. *Stenhammar*. In Dania passim frequens, D. *Staeger*. (E Glogavia uterque sexus a D. *Zeller* mihi missus).

♂♀ Affinis *S. Ocymi*, sed nonnihil minor, fasciis abdominis paucioribus, & flavis, nec ferrugineis ut & tarsis anticis in utroque sexu simplicibus, præcipue distincta. Antennæ oblongiusculæ. Alæ in medio fuscæ. Pictura abdominis in utroque sexu valde variat.

59. *S. transfuga:* subcærulescenti ænea, nitida; abdomine atro, bis tribus maculis albidis; antennis suboblongis fuscis; subtus luteis; pedibus sordide albis, posticis nigris, geniculis pallidis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 607. 37. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica, rarissime; individuum unicum masculum ad Muonioniska Lapponiæ Tornensis d. 17 Aug., unicumque femineum ad Lycksele Lappon. Umensis d. 10 Jun. captum. E pupa pyriformi, curvata, nuda, inermi, opaca, sordide albida, strigis dorsalibus &

punctis lateralibus nigris picta, foliis Pini abietis adglutinata, mas etiam egressus ad Haparanda Botniæ borealis d. 20 Maji 1821.

♂♀. Affinis *Scaevae Umbellatarum*, scutelli colore &c., ab illa facile dignota. Epistoma modice extensum, in ♂ cærulescens, in ♀ æneum, in utroque sexu albo-pollinosum, in ♀ præterea macula supra antennas, & vertice, æneo-nigris, nitidissimis. Thorax in ♀ nigricans. Maculæ abdominis albæ subrotundæ, in ♀ mediæ deorsum leviter subarcuatæ; 4:tum par macularum in ♂ occultum. Alæ in utroque sexu hyalinæ, squama & halteribus, albidis. Pedes sordide albidi, maculis hinc inde fuscis; postici nigricantes, genubus in utroque sexu & femorum basi in ♀ albis.

60. S. *ambigua:* cærulescenti ænea, nitida; abdomine nigro-violaceo, in ♂ bis tribus maculis glaucescentibus; antennis in utroque sexu oblongis, fuscis; pedibus sordide albidis, posticis nigricantibus, geniculis pallidis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Fall. Syrph. 47. 21. ♀. Zett. Ins. Lapp. 608. 38. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis cinereæ, Ribis rubri &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 2 Maji—21 Jun., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Ostrogothia ad Wadstena, D. *Dahlbom*, ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Häradshammar, D. *Stenhammar;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia rarissime. — E Grönlandia a D. *Westermann* communicata. (E Glogavia a D. *Zeller* mas in uno specimine missus).

♂♀. Simillima S. *albimanæ* (56), sed maris tarsis anticis simplicibus, feminæ abdomine immaculato, & utriusque sexus antennis longioribus, ab illa facile dignota. Certe distincta species, a D. *Meigen* omissa. Caput ut in *transfuga*. Antennæ obscuræ, subtus dilutiores. Abdomen maris ut in

S. albimana constructum & pictum, sed fere adhuc paullo angustius. Alæ hyalinæ. Squamæ & halteres, pallida. Pedes anteriores sordide albidi, postici nigricantes aut fusci, geniculis in utroque sexu & femorum basi in ♀ albidis. Metatarsi postici subincrassati.

61. *S. nitidula:* obscure ænea, nitidissima; epistomatis lateribus pallidis; abdomine atro, nudo, fasciis tribus angustis, interruptis, flavis; antennis orbiculatis pedibusque nigris, geniculis luteis. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 608. 39. ♀.

Hab. in Sueciæ borealis floribus Padi & Salicis &c., 20 Maji—24 Jun., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena, D. *Dahlbom*, & ad Häradshammar rarissime, D. *Stenhammar;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Ångermannia ad Hernösand, & in Lapponia ad Lycksele, rarius.

♀. Similis *S. lineolæ* (16) & *relictæ* (19), sed a priori magnitudine minore, fasciis abdominis interruptis, nec integris, &c., a posteriori thorace æneo, parum cærulescenti, & pedibus obscurioribus, & ab utraque scutello æneo, nec flavo, præcipue & facile dignoscitur. Robusta (proportione longitudinis), tota subglabra, nitidissima. Ab affinibus differt: epistomate flavo, linea media cærulescenti ænea, antennis magis orbiculatis, abdominisque fasciis rectis, determinatis, ad latera usque extensis. Frons lata, transversim unisulcata, & vertex, cærulescentia. Abdomen nigrum fasciis 3 interruptis, flavis, in segmentis 2, 3 & 4 locatis; reliqua segmenta immaculata. Alæ hyalinæ, stigmate fusco, nervo, aream primam terminante, distincte flexo. Squamæ albæ. Halteres citrini coloris. Pedes nigri, geniculis summis fusco-testaceis. — A *Sc. lasiophthalma* (37), cui etiam valde similis, magnitudine minori & oculis nudis, nec hirtis, mox distingvitur.

62. *S. mellina:* obscure ænea, nitida; abdomine atro, maculis bis tribus (♂), aut quatuor (♀), flavis; pedibus testaceis, posticis nigris, geniculis pallidis; antennis ovatis, fuscis, subtus luteo-maculatis; ventre nigro, aut immaculato aut rufo-maculato. ♂♀. (Long. 2--$2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdomen maculis utrinque plerumque tribus, raro duabus, semper flavis, quadratis, in var. a. magnis, latis, cruce duplici nigra angusta distinctis, mediis majoribus, omnibus sæpe perspicuis, interdum minoribus, obsoletis; pedes nigricantes, genubus late, anteriorumque tibiis apice, & tarsis basi, flavis;

Fem.: abdomen maculis utrinque tribus aut quatuor ferrugineis, subtriangularibus aut semirotundatis, mediis plerumque versus apicem elongatis, in primo & ultimo pari parvis, sæpe obsoletis, omnibus (præter primum par ubi maculæ s. puncta rotundata libera) basi segmenti connexis; pedes flavi, femoribus basi & tibiarum postiarum annulo, fuscis; frons modice lata, nigra, nitida, macula utrinque albo-pollinosa.

Fabr. Antl. 251. 12. ♀. Fall. Syrph. 46. 20. vera. ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 608. 40. ♂♀. *Musca mellina* Linn. Fn. Su. 1821 certe hujus, nam & optime convenit descriptio & affirmat frequentia speciei in Suecia. — *Syrphus mellarius* Meig. Dipt. 3. 328. 81? — forte etiam *Syrphus melliturgus* Meig. Dipt. 3. 329. 82? (an *Syrphus mellinus* Meig. l. c. 331. 85. ad *Scaevam Rosarum* Fall. pertinet?).

Hab. in hortis & pratis, locis graminosis, per totam Scandinaviam, a primo vere usque ad serum autumnum, ubique & omnium vulgatissima; in copula; scilicet in Scania, Blekingia, Hallandia, Smolandia, Westro-, & Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia (ad Nähr, Öja, Ejsta, Hoburg, Eke, Thorsborg, Fårön &c. copiosissime), Up-

landia, & Jemtlandia usque ad Åreskutan & Mullfjellet, frequentissima; in Lapponia Umensi & Tornensi non raro; in Norvegia a Dovre, Garnæs & Suul Værdaliæ usque ad Giebostad Nordlandiæ, freq.; etiam haud raro in alpium jugum fere usque ad terminum Betulæ adscendens. — In Dania freq.

♂♀. Angusta, æenea, nitida, glabricula. Epistoma parum prominens, leviter tuberculatum, lateribus in individuis bene conservatis albo- vel flavido- pollinosum. Antennæ subtus macula lutea. Abdomen lineare, maculis forma mire variantibus, in ♂ plerumque quadratis, in ♀ subtriangularibus seu oblonge semi-rotundatis. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamæ & halteres, pallida. Pedes ♀ plerumque pallescentes, anteriores: coxis, femoribus basi, tibiarumque annulo medio angusto, fuscis; postici: fusci, femorum ima basi, geniculis, tibiarumque apice, flavis. Tarsi omnes in medio fusci.

Var. b. ♂ abdomen maculis bis tribus flavis, primi paris minutis, rotundatis; secundi regulariter quadratis, a primo & tertio pari per nigredinem latam remotis & invicem etiam sat late distantibus; tertii nonnihil minoribus, angustioribus, transversim quadratis inter se late remotis; freq. cum var. a. (E regione Reinerzensi Silesiæ a D. *Zeller* absque nomine missa).

Var. c. ♂. Abdomen maculis ut in var. b., sed primo pari deficiente, ita ut tantum maculæ utrinque 2 restent; freq. cum var. a. & b.

63. *S. scalaris:* obscure ænea, nitida; abdomine atro, maculis bis tribus (♂), aut quatuor (♀), pedibusque totis, flavis; antennis ovatis fuscis, subtus luteo-maculatis; ventre pallescente. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Var. a. ♂♀ pedibus totis flavis, coxis nigris, tarsis apice fuscis.

Fabr. Antl. 252. 14. ♂. Zett. Ins. Lapp. 608. 41. ♂♀. *Syrphus* Panz. Fn. 45. 20. certe. ♂. Meig. Dipt. 3. 330. 83. ♂♀. *Scaeva mellina* var. *β*. Fall. Syrph. 46. 20. ♀.

Var. b. ♂♀ pedibus flavis, posticorum femorum tibiarumque annulo tarsisque totis nigricantibus.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in graminosis locis humentibus, a primo vere usque ad autumnum, per Scandinaviam vulgatissima, in copula capta; scilicet a Scania usque ad Lapponiam cum priori frequentissima. — In Dania frequens. (Ex insula Helgolandia a D. *Dahlbom* reportata.).

♂♀. Simillima priori, a qua vix nisi pedibus flavis & ventre pallidiore dignoscitur. Maculæ abdominis flavæ oppositæ variant, in ♂ plerumque 3 utrinque, subquadratæ, per cruces duas contiguas discretæ; macula media major; in ♀ 2, 3 aut 4 utrinque, minores, trigonæ, luteæ, mediæ interdum sat elongatæ.

Obs. Meigeni *Syrphus Iris*, *gracilis*, *mellarius*, *melliturgus* & *scalaris* parum a nostris *Scaeva mellina* & *scalari* differre videntur. An tantum varietatas unius ejusdemque speciei? Formæ transeuntes non desunt. Ut autem ipse videas affinitatem vel differentiam, quæ inter has formas intercedit, quo comparare, & si tibi placet, species has Meigenianas ut proprias & distinctas retinere posses, earum diagnoses, ut in Dipt. Europ. Meig. occurrunt, heic afferre lubet; scilicet:

S. Iris: "thorace scutelloque æneis nitidis; abdomine lineari, nigro, nitido, fasciis (4) interruptis rufis; pedibus rufis: femoribus posticis basi nigris; antennis fuscis." ♀.

S. gracilis: "thorace scutelloque obscure æneis nitidis; abdomine lineari, nigro, fasciis tribus interruptis

flavis (♂), aut bis tribus maculis flavis (♀); antennis pedibusque rufis".

S. mellarius: "thorace scutelloque nigro-æneis nitidis; abdomine nigro: fasciis tribus interruptis rufis (♂), aut maculis sex rufis (♀); subtus nigro".

S. melliturgus: "thorace scutelloque æneis nitidis; abdomine nigro: fasciis tribus interruptis (♂), aut maculis quatuor rufis (♀); ventre rufo-punctato".

S. scalaris: "thorace scutelloque nigro-æneis nitidis; abdomine nigro: fasciis tribus interruptis (♂), aut bis quatuor maculis flavis (♀); ventre flavo".

64. *S. angustata:* cærulescenti nigra, nitida; antennis late ovatis, subangulatis, atris; abdomine lineari, angusto, acuminato, maculis bis tribus subquadratis, fulvis; pedibus flavis, posticorum femorum, tibiarum metatarsorumque annulo nigro. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Wahlberg in litteris 1842. ♀.

Hab. in graminosis locis paludosis, per Scandinaviam, Jun. Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund &c. passim; in Ostrogothia ad Lärketorp, D. *Dahlbom*, ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia in Furillen & Östergarn, rarius; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Frederica, passim; e Dania ut nov. sp. a D. *Staeger* missa. (E Glogavia a D. *Zeller* indeterminata communicata).

♂. *S. mellinæ* & *scalari* proxima, sed angustior, abdomine magis acuminato, colore antennarum & corporis certe distincta. Antennæ majusculæ, totæ nigræ, caput & abdomen acuminatum nigro-cærulescentia, ut & pedum posticorum pictura speciem præprimis denotant. Caput cærulescens, nitidum, epistomatis parum tuberculati lateribus albo-pollinosis. Antennæ latiores, quam in *mellina*, superne

subangulatæ, totæ nigræ, seta brevi concolore aut fusca. Thorax & scutellum obscure æenea. Abdomen cærulescenti nigrum, nitidum, macularum aurantiacarum tribus paribus; maculæ primi paris (in segmento 2:do) minores, rotundatæ, subliberæ; secundi majores, quadratæ ad basin segmenti 3:tii locatæ, dimidia sua latitudine remotæ & nonnihil ultra dimidiam segmenti longitudinem extensæ, margini laterali adnexæ; tertii iterum minores, subrotundato-quadratæ, late remotæ, ad angulum basalem segmenti 4:ti retractæ. Pictura hæc sat convenit cum illa in abdomine *Scaevae mellinae* varietatis b. maris, cujus feminam etiam *S. angustatam* existimarem, nisi obstarent color capitis cæruleus, nec æneus, epistoma forte minus tuberculatum & præcipue antennæ latiores, totæ nigræ, nec subtus luteo-maculatæ. Pictura dorsi in ventre translucet. Pedes flavi, coxis trochanteribusque omnibus, nigris; postici: femoribus tibiisque annulo medio, metatarsis subincrassatis fere totis, tarsisque apice, nigro-fuscis. Alæ cinereæ, stigmate pallido.

Obs. Tarsi antici nonnihil breviores & latiores quam in *S. mellina*, produnt marem tarsis distincte dilatatis. Si hæc conjectura vera, nostra species cum *S. podagrata* (n:o 54) valde affinis est, & forte alter sexus?

65. *S. dubia:* nigro-ænea, nitida; abdomine concolore, subimmaculato; antennis subovatis, pedibusque nigricantibus, geniculis pallidis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Mas: abdomine angustato, opaco; pedibus obscuris, geniculis summis pallidis;

Fem.: abdomine oblongo, in medio latiore, toto nitido; pedibus pallidioribus.

Var. a. ♂♀. abdomine immaculato, pedibus anterioribus aut nigricantibus, aut fusco-testaceis, aut flavis.

Zett. Ins. Lapp. 609. 42. ♀.

Var. b. ♂♀. abdomine maris aut bis duabus aut bis tribus maculis subquadratis livido-fuscis valde obsoletis; pedibus in utroque sexu ut in var. a.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in graminosis & floribus Salicum in vicinitate aquæ, per provincias Scandinaviæ septentrionales, 13 Jun.—22 Aug., passim frequens, in Jemtlandia boreali habitationem centralem habens; scilicet in Jemtlandiæ tota parœcia Undersåker, a Hofverberget & Ristansfors, ad radicem alpium Mullfjellen & Åreskutan, usque ad Skalstugan, omnium vulgatissima; e Jemtlandia Suecica transscendit jugum alpinum, adscendit in latera alpium Kälahögar usque ad nivem perennem supra terminum Betulæ, deindeque iterum descendit in Norvegiæ inferalpina maritima, & ad Suul atque Thynæs parce lecta. In Lapponia Umensi & Tornensi, ut & in Norvegia ad Alten Finmarkiæ hinc inde quasi emigrans tantum occurrit. In Sueciæ provinciis mediis & meridionalibus vix obvia.

♂♀. Magnitudo & affinitas *Scaevae mellinae*, a qua antennis nigris, abdomine immaculato & pedibus plerumque obscurioribus, mox dignoscitur. Similis etiam *S. ambiguæ* (60), sed antennis nonnihil latioribus, colore corporis æneo, parum cærulescenti micante, pedibus sæpius obscurioribus, nec femoribus posticis basi albidis, ab illa distincta. Et tandem a *Syrpho stictico* Meig. Dipt. 3. 382. 86, ♂, cui etiam haud absimilis videtur, abdomine maris ænescente, nec atro, maculis, dum adsint, subquadratis, fuscis, nec puncta 2 lateralia alba efficientibus, ut & halteribus flavis, nec brunneis, satis superque dignota. Antennæ parvæ cum seta nigræ, in nuper exclusis fuscæ. Epistoma in bene conservatis flavido-pollinosum, tuberculo nudo, nitido. Thorax tenuiter & breviter griseo-pubescens. Alæ subfuscescentes. — Variat rarius corpore cærulescenti æneo.

77. SPHÆROPHORIA Saint Farg. & Serv.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, sublineare, glabriculum seu parum pubescens. Caput hemisphæricum. Antennæ capite transverso paullo breviores, basi nonnihil distantes, patella ovato-orbiculata, seta subnuda. Epistoma horizontaliter prominens, sed infra oculos non descendens, modice tuberculatum. Oculi nudi, in vivo ferruginei, unicolores. Thorax tenuiter pubescens, lateribus flavus. Alæ hyalinæ, immaculatæ, stigmate cinereo. Nervi longitudinales omnes subrecti: 4:tus fere in summo apice excurrit, ibique cum nervo costali conjungitur; 5 & 6 interdum infra areas nonnihil continuati, sed non ad summum marginem descendentes; nervulus transversus ordinarius rectus, perpendicularis; nervus, qui aream primam terminat, paullo flexus cum longitudinali 4:to nonnihil infra apicem conjunctus. Area costalis apice late aperta. Pedes simplices, subnudi, inermes, tibiis rectis, non compressis. *Color* thoracis ænescens, abdominis niger, capite, thoracis linea laterali, scutello, abdominis fasciis rectis, squamis sub alis, halteribus pedibusque, pallide flavis. *Motus:* volatus velificans, æquus, humilis. *Habitatio* in floribus plantarum humiliorum, per hortos, prata, pascua; imagines loca arida amantes, non pipientes, tota æstate vigentes. *Larvas* aphidivoras in plantis Leguminosis & Umbelliferis vidi. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* ano subtus subvesiculoso, genitali pennicillato, abdomine longo, cylindrico, alis abdomine subbrevioribus, oculis in fronte connexis; *femina:* ano simplici, abdomine depresso, alis longitudine abdominis, oculis in fronte modice remotis. — Professor *Löw* in Posnania (Posen) in suis "Bemerkungen" circa species hujus generis, quod *Melithreptus* vocat, varias ponderis observationes tradidit. Faciliorem & certiorem viam pro specierum sæpe affinium distinctione e colore coxarum, forma atque situ macularum in pleuris se invenisse putat. Pictura abdominis valde ludit, ergo sola vacillantes præbet notas.

Sect. 1. Abdomen maris valde elongatum & alis multo longius.

1. *S. scripta:* ænea, abdomine atro, fasciis 4 flavis, 1:ma & 4:ta subinterruptis; capite pedibusque cum coxis, totis flavis, puncto peristomatis nigro; antennis testaceis, superne & seta fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ $2\frac{1}{4}$—3 lin.).

Mas: abdominis fasciæ 4 flavæ latiores: 1 aut anguste interrupta, aut utrinque distincte emarginata; 2 integra aut leviter tantum emarginata; 3 aut integra aut subinterrupta; 4 irregularis h. e. segmentum 5:tum, in quo hæc fascia est locata, totum rufo-flavum, relictis linea media postice abrupta, maculisque 4 in quadrangulum positis subtriangularibus, aut discretis aut cohærentibus, nigris; anus rufo-flavus, superne punctis aliquot nigris; segmentum 5:tum apice emarginatum;

Fem.: abdominis fasciæ 4 flavæ augustiores: 1 & 3 subinterruptæ; 2 integra; 4 interrupta, valde difformis, e duobus angulis irregularibus discretis composita; anus niger, flavo-maculatus; vertex totus & vitta frontalis latiuscula fere ad radicem antennarum extensa, nigro-ænescentia, nitida.

Macq. Buff. I. 551. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1820. *Scaeva* Fabr. Antl. 252. 17. Zett. Ins. Lapp. 605. 28. ♂♀. *Syrphus scriptus* Meig. Dipt. 3. 324. 73. ♂♀. *Melithreptus* Löw Bemerk. 36. 1. *Sc. menthastri* Fall. Syrph. 48. 24. var.

Hab. in Scandinaviæ floribus haud raro, 1 Jun.—15 Sept., in copula; scilicet in Scania, Westro- & Ostrogothia, Gottlandia & Uplandia, frequens; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in provinciis borealibus rarior; in Dania vulgaris. Larvam aphidiphoram, & pupam obpyriformem, læveni, glabram, albam, apice angustiori denticulo gemino armatam, culmis l. foliis adglutinatam sæpe inveni.

♂♀. Caput totum albido-flavum, immaculatum, puncto tantum antice in sinu aperturæ oris, ut & pedes toti cum coxis pallide flavi, speciem præcipue distingvunt. Vertex & proboscidis basis, nigricantia. Thorax æneus, opacus, dorso lineis 3 obscuris & vitta utrinque flava. Scutellum flavum. Abdominis fasciæ variant plus minus emarginatæ. Pectus cærulescens, nitidissimum, maculis pleurarum flavo-albidarum in semiorbem conglomeratis. Tarsi maris superne sæpe fusci.

Var. b. ♂. abdominis fasciæ flavæ: 3:tia e maculis 2 rufis conflata, & 4:ta in segmento 5:to nigro locata litteram V repræsentat. Affinis videtur *Melithrept. dispari* Löw l. c. In Scania ad Lund & in Ostrogothia ad Lärketorp capta.

Var. c. ♂. abdominis fasciæ flavæ: 1 & 2 integræ; 3 rufescens totum segmentum 4tum occupans, relictis maculis triangularibus parvis paucis nigris, nempe 1 ad basin & 1 aut 3 ad apicem hujus segmenti; 5:tum segmentum etiam totum flavum vel rufum, linea media postice abbreviata nigra & punctis 2 vel 4 ejusdem coloris. "*Melithreptus scriptus* var.?" Löw l. c. In Scania Jul.—Aug. circa Lund frequens; ad Öfvedskloster, D. *G. Pettersson.* E pupa simili variet. a. egressa. Antennæ in hac varietate plerumque læte flavæ. An specie distincta?

2. S. *nigricoxa:* ænea, abdomine atro, fasciis 4 flavis, 1, 2 & 3 utrinque emarginatis, 4:ta litteram V repræsentante; capite pedibusque flavis, antennis testaceis; peristomio angustissime, tuberculo epistomatis, coxis, trochanteribus femorumque ima basi, nigricantibus. ♂. (Long. 4 lin.).

Hab. in Suecia, Jul. Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Bennesta, Esperöd &c., haud raro; in Blekingia, D. *v.*

Borck; in Gottlandia ad Nähr, Ahlskog &c. frequens; in Scania etiam semel in copula cum ♀ *Sph. scriptæ* vel saltem individui nuper nominatæ speciei ♀ in omnibus simillimi, præter peristomii marginem anticum nigrum.

♂. Affinis & similis *Sph. scriptæ*, a qua tamen margine antico aperturæ oris tenuissime, lineolaque media epistomatis angusta, brunneis, abdominis fasciis flavis 3 anticis distinctius emarginatis (1 & 3 interdum subinterruptis), 4:ta litteram V formante, & tandem coxis, trochanteribus femorumque basi nigricantibus vel saltem nigro-maculatis, differt. Vesica analis rufa, nigro-maculata.

Sect. 2. Abdomen maris modice elongatum & alis vix vel parum longius.

3. *S. tæniata:* ænea, abdomine atro, fasciis 4 flavis, leviter emarginatis; capite stramineo; pedibus, aut totis flavis (♀), aut flavis coxis fuscis (♂); peristomio antice aut margine anguste (♂), aut puncto (♀), nigris; antennis testaceis, seta fusca. ♂♀. (Long. ♂ 2½, ♀ 2—2¼ lin.).

Mas: margo anticus aperturæ oris angustissime niger; abdominis fasciæ 4 latiores, 1, 2, 3 flavæ utrinque levissime emarginatæ, 4:ta rufescens, totum segmentum 5:tum occupans, relictis tantum punctis quibusdam nigris, plerumque 5, quorum 3 in basi & 2 in apice locata, atque interdum lineola media abrupta fusca; anus flavus, punctis 3 vel 4 nigris; vesica analis rufescens; pedes flavi, trochanteribus & tarsis, sæpe etiam coxis, rarissime quoque femorum ima basi infuscatis; segmentum 5:tum apice oblique emarginatum, lobo altero subelevato;

Fem.: punctum antice in sinu aperturæ oris nigrum; vertex totus, & vitta frontalis lata cum colore verticis confluens & fere ad antennarum radicem extensa, nigro-ænescentia,

nitida; abdominis fasciæ 4 flavæ, quarum 3 anticæ integerrimæ (nec interruptæ, nec emarginatæ), angustæ, 4:ta difformis ut in *S. scripta;* anus flavus, punctis 3 nigris; pedes toti flavi, immaculati; in copula.

Macq. Buff. 1. 551. 2. ♂♀. *Syrphus tæniatus* Meig. Dipt. 3. 325. 74. ♂♀. Tab. 30. f. 35. ♂. — *Melithreptus* Löw Bemerk. 36. 3. ♂. *Scæva tæniata* Zett. Ins. Lapp. 605. 27. ♂♀. *Scæva Menthastri* Fall. Syrph. 48. 24. ♂♀. var.

Hab. in floribus, per Scandinaviam, 2 Jun.—10 Sept., vulgatissima; scilicet in Scania, Blekingia, Ostrogothia, Gottlandia, Nericia, Uplandia, Jemtlandia, frequentissima, in copula multoties capta; in Lapponiis & Suecicis & Norvegicis a Thynæs usque ad NordCap etiam vulgaris; quoque in Dania haud raro.

♂♀. Similis *S. scriptæ*, sed paullo minor, brevior, & abdominis fasciis integris, *maris* peristomio antice, anguste nigro (nec solum puncto brunneo), trochanteribus coxisque subfuscis, & *feminæ* vitta frontali plerumque latiori, differt. Antennæ sæpe flavæ, immaculatæ, interdum testaceæ, superne brunnescentes. Epistoma tuberculo, interdum brunneo, rarissime linea media fusca. — Variat ♂ ore late, femoribusque ultra medium, nigris; in Ölandia ad Gärdslösa 25 Jun. & ad Limhamn Scaniæ 21 Aug.

4. *S. Menthastri:* ænea, abdomine atro, fasciis 4 flavis, interruptis, secunda integra; capite stramineo, epistomate linea media brunnea, antennis testaceis; pedibus aut totis flavis (♀), aut flavis, coxis fuscis (♂). ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Macq. Buff. 1. 551. 3. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1819. Schrank Enum. 448. 909. *Syrphus* Ross. Fn. Etr. 1480.

Fabr. Antl. 251. 13. Meig. Dipt. 3. 325. 75. *Scæva* Fall. Syrph. 48. 24. ♂♀.

Hab. in pratis & pascuis, per Scandinaviam, 3 Jun. —13 Sept., passim frequens; in copula; larva viridis, aphidivora, in Vicia Faba capta; imago e pupa obpyriformi, alba, 2—10 Aug. egressa; in Scania, vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Wadstena, &c., haud raro; in Nericia, Ölandia & Gottlandia ad Nähr, Fårön, Furillen &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia usque ad Mullfjellet; in Dania freq.; in Norvegia a Thynæs & Näs usque ad diversorium Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino, non raro.

♂♀. Fasciæ abdominis 1, 3 & 4 anguste interruptæ, 2:da integra, antennæ testaceæ, subimmaculatæ, epistomatis linea media brunnea plerumque conspicua, ut & in mare coxæ subfuscæ, speciem ab affinibus distingvunt. Summus margo aperturæ oris nigricans. Seta antennarum fusca. Stigma alarum pallida. Tarsi sæpe fusco-testacei. *Mas:* abdomen subcylindricum, fasciis modice latis: 1 anguste interrupta; 2 integra; 3 angustissime interrupta, interdum subcontinua, in medio antice posticeque tantum emarginata; 4:ta maculis duabus aut liberis, aut cum flavedine marginis cohærentibus; anus flavus punctis fuscis; vesica analis rufa; coxæ & trochanteres plerumque dilute fusca; femorum ima basis sæpe etiam fuscescens. *Femina:* vertex & macula frontalis latiuscula, æneo-nigra, nitida; abdominis depressi fasciæ angustæ, interruptæ, 2:da integra; anus flavus, nigro-tripunctatus. Pedes toti flavi. De cetero uterque sexus *S. tæniatæ* similis. — Variat (♂♀) rarius epistomate subimmaculato.

5. S. *Melissæ:* ænea, abdomine atro, fasciis 4 flavis, interruptis; capite stramineo, epistomate linea media brunnea, antennis testaceis, superne subinfuscatis; pedibus totis flavis. ♂♀. (Long. 2—¼ lin.).

Mas: abdomen cylindricum, fasciis sublatioribus;
Fem: abdomen depressum, fasciis modice latis; vertex & macula frontalis latiuscula, æneo-nigra, nitida; in copula.

Macq. Buff. I. 552. 7. ♂♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 326. 76. ♂♀. *Scaeva* Zett. Ins. Lapp. 606. 27. ♂♀. *Melithreptus* Löw Bemerk. 36. 7. *Scaeva Menthastri* var. Fall. Syrph. 48. 24.

Hab. in floribus, per totam Scandinaviam, 10 Jun. —15 Sept., vulgatissima, sæpe in copula capta; scilicet in Scania, Blekingia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia Uplandia, Jemtlandia usque ad Åreskutan & Skalstugan, frequentissima; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Åsele, rarius; in Norvegia a Thynæs & Suul Værdaliæ usque ad Evenäs Nordlandiæ, passim. In Dania non raro. In Finlandia, D. *Sahlberg*.

♂♀. Similis duabus proxime præcedentibus, a quibus præter fascias abdominis omnes interruptas parum discrepat. Caput margaritaceum. Seta antennarum obscura. Epistomatis vitta media brunnea plus minus determinata, rarius obsoleta. Aperturæ oris margo anticus angustissime niger. Fasciæ abdominis æquales, in ♂ modice latæ, in ♀ angustæ, in utroque sexu anguste interruptæ. Fascia tamen 4:ta irregularis. Anus flavus, nigro-punctatus. Tarsi testacei. — Femora ad basin fascia fusca in ♂♀ interdum vidi. Ad Limhamn Scaniæ.

6. *S. flavicauda:* ænea, abdomine atro, fasciis 4; 1 & 3 punctiformibus, 2:da integra, 4:ta interrupta, anoque, flavis; capite stramineo, antennis testaceis; pedibus flavis. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime, ad Wadstena 2 Aug. semel inventa.

♀. Similis *S. Menthastri*, sed epistomate immaculato vel tuberculo tantum saturatiori, abdominis fasciis 1 & 3 puncti-

formibus, & ano flavo, dignota. Antennæ flavæ, immaculatæ. Vertex æneus, aureo-nitens, maculam frontalem mediocrem, nigram emittens. Abdominis fasciæ: 1:ma in segmento 2:do e punctis 2 liberis constans; 2:da transversa, continua, ad latera non descendens, in medio utrinque leviter emarginata; 3:tia e maculis 2 majoribus, subreniformibus, approximatis conflata; 4:ta difformis, per lineam mediam nigram interrupta. Segmentum 6:tum rufum, lineola in medio, abrupta, nigra. Stigma alarum pallidum. Pedes pallide flavi, tarsis testaceis.

7. S. *picta:* ænea, abdomine atro, fasciis 4 interruptis, flavis, e maculis liberis, aut rotundatis (♂), aut transversis (♀), constantibus, incisuris posticis pallidis; capite stramineo, antennis testaceis, epistomate vitta media nigra; pedibus aut totis flavis (♀), aut flavis, coxis, trochanteribus femorumque basi, nigris (♂). ♂♀. (Long. 2, fere 3 lin.).

Macq. Buff. 1. 553. 8. ♂ (♀?). *Syrphus* Meig. 3. 326. 77. ♂. *Scaeva Menthastri* Fall. Syrph. 48. 24. var. — An etiam *Melithreptus incisus* Löw Bemerk. 36. 4. ♂ est hujus varietas?

Hab. in floribus, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 24 Jun.--8 Sept., sat vulgaris; in copula sæpe capta; scilicet in Scania ad Lund, Ausås, Bollerup, Ullstorp (D. *Pettersson*), Limhamn, Grönby (D. *Kinberg*), Esperöd &c., frequentissima; in Blekingia, D. v. *Borck;* in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp &c., non raro; in Gottlandia ad Sanda, Wamblingbo, Garde, Stenkyrka &c., frequens; deinde mihi non nisi in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, atque in Norvegia ad diversorium Suul Værdaliæ in jugo alpino situm, parcissime obvia. In Dania, D. *Staeger*. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Similis *S. Menthastri* & *Melissæ*, atque cum illis ab Entomologis forte confusa; sed a priori fasciis abdominis omnibus interruptis, & a posteriori colore pedum in ♂, præter alias notas, distincta. Caput flavum. Antennæ testaceæ, apice sæpe saturatiores. Epistoma in medio vitta nigra, interdum obsoleta. Apertura oris margine nigro. *Mas:* abdomen cylindricum atrum, maculis bis quatuor flavis, trium primorum parium subæqualibus rotundatis, liberis, per lineam dorsalem nigram angustam distinctis; fascia 4:ta irregularis. Anus flavus, punctis 3 nigris. Pedes flavi, coxis, trochanteribus, & femorum basi plus minus late, nigris. *Fem:* abdomen depressum, atrum, maculis bis quatuor transversis, modice latis, liberis (ad marginem lateralem non extensis), flavis, rectis, tertii paris arcuatis. Anus flavus, nigro-punctatus. Pedes toti flavi, tarsis, ut i ♂, sæpe fusco-testaceis. Vertex & macula frontalis sat lata, atra nitidissima.

Obs. Femina a D. *Macquart* l. c. allata, vix ad hanc pertinet. Feminæ enim nostræ speciei, in copula cum ♂ sæpe junctæ pedes flavos & fascias abdominis angustas semper habent.

8. *S. Philanthus:* ænea, abdomine atro, bis quatuor maculis rotundatis, incisuris posticis, pedibusque totis in utroque sexu, flavis; capite stramineo, antennis testaceis, apice brunneis; epistomate vitta media nigra. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Syrphus Meig. Dipt. 3. 327. 79. ♂♀.

Hab. in floribus Sueciæ meridionalis, mense Julio, rarius; scilicet in Scania circa Lund, D. *von Borck*, ad Abusa & Esperöd, ipse; etiam in Ostrogothia ad Gusum initio mens. Junii 1842 a D. *Boheman* inventa erit; mihi supra Scaniam non visa.

♂♀. Priori valde affinis & similis præsertim ♀, quæ a femina *S. pictæ* vix discerni potest, nisi maculas abdominis minores dicere velles; sed mas per pedes totos cum coxis

&trochanteribus flavos a mare præcedentis distingvitur. Species mihi dubia videtur & forte rectius ut tantum varietas antecedentis habenda.

9. *S. Löwii:* ænea, abdomine atro, bis sex maculis subtriangularibus, pedibusque, fulvis; capite margaritaceo, antennis nigris; femoribus posterioribus annulo fusco. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in plantis aquaticis, per Sueciam mediam, 20 Maj.—10 Jul., rarius; scilicet in Smolandia, D. *Boheman;* in Gottlandia in foliis plantarum paludis insignis Hellvig 1819 specimina 5 inveni; e parœcia Jonsberg Ostrogothiæ mas mihi quoque communicatus a D. Præpos. *Stenhammar*, qui in littore marino inter Scirpum palustrem & Triglochin, ineunte mense Junio, individua 3 mascula & 2 feminea deprehendit. — E Dania a D. D. *Westermann* 1831, & *Staeger* 1842 ♀ etiam missa.

♂♀. Per antennas totas nigras, abdominis in utroque sexu subdepressi, exacte linearis picturam & femorum posteriorum annulum fuscum, ab omnibus hujus generis satis distincta. Epistoma flavo-album, tuberculo & fronte saturatius flavis. Vertex & macula frontalis modice lata in ♀, nigra. Abdomen atrum, maculis lateralibus utrinque 6 subtriangularibus, fulvis; harum illæ: in 1:mo pari minores in medio segmenti 2:di locatæ, latissime distantes; in 2:do pari etiam in medio 3:tii segmenti sitæ, late remotæ; reliquæ maculæ ad basin singuli segmenti locatæ, majores, non late distantes; anus fulvus, linea media nigra. Alarum stigma pallescens. Pedes toti cum coxis flavi, femoribus posticis annulo juxta basin semper, & intermediis macula superna ad basin plerumque, fuscis. Tarsi validi, fulvi. — Olim sub nomine *Scaeva multifasciata* a me divulgata. Speciem hanc pulchram Professori *Löw* Posnaniano jure dicavi.

78. PELECOCERA Hffgg.

Corpus parvum, angustum, scæviforme, glabriculum, nitidum. Antennæ capite transverso paullo breviores, basi nonnihil distantes, patella suborbiculata, latere supero recto, infero rotundato, seta in angulo supero inserta, brevi, triarticulata, crassiuscula. Epistoma in conum brevem, obliquum descendens, convexum, haud tuberculatum. Oculi majusculi, nudi, in utroque sexu remoti. Alæ ut in *Scaeva,* at nervulus transversus, qui aream discoidalem primam terminat rectus, & nervi longitudinales: 5:tus in angulum rectum non continuatus, sed 6:tus infra angulum nonnihil extensus. Thorax subimmaculatus. Pedes ut in *Scaeva.* Abdomen lineare, depressum. *Color* corporis niger, pictura abdominis flavo-fasciata. *Motus:* volatu velox. *Habitatio* in floribus plantarum humilium per prata depressa, in Suecia media & boreali hactenus tantum inventa. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis paullo supra antennas per angulum appropinquantibus (minime tamen cohærentibus), & sulculo frontali transverso; *femina:* oculis paullo latius & in fronte æqualiter distantibus, sulculo frontali minus profundo.

1. *P. tricincta:* atra, antennis fulvis, linea superna & seta crassa nigris; epistomate albo, vitta media nigra; abdominis fasciis tribus subcontinuis, pedibusque flavis, posticorum femoribus tibiisque annulo fusco. ♂♀. (Long. fere 2½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 340. 1. Tab. 31. f. 3. ♀. — Macq. Buff. 1. 531. 1.

Hab. in floribus Potentillæ, Hieracii, Ranunculi &c. per insulam Gottlandiam, 1--26 Jul., rarius; scilicet ad Ruthe, Ejsta, Furillen (D. *Dahlbom)* & Lärbro, capta.

♂♀. *Scaenae mellinae* (62) & *scalari* (63) habitu sat similis, sed insertione, crassitie & articulatione antennarum setæ, epistomate magis descendente &c., mox dignota- Caput

nigrum, nitidum, epistomatis lateribus late albo-margaritaceis. Antennarum articulus primus sæpe etiam secundus, fuscus. Thorax callo humerali albo. Scutellum atrum. Abdomen nigrum, fasciis tribus in segmentis 2, 3 & 4 flavis, subinterruptis. Alæ hyalinæ, stigmate pallescente. Squamæ sub alis albæ. Halteres flavi. Pedes cum coxis flavi, anticorum femoribus ad apicem macula superna fusca; posticorum femoribus annulo apicali, tibiis annulo medio, metatarsisque totis, fuscis; coxæ posticæ fuscæ. — Reliqua ut in diagnosi. — Variat rarius abdominis fasciis paullo distinctius interruptis & femoribus omnibus fusco-annulatis.

2. *P. Scaevoides:* nigro-ænea, antennis flavis, linea superna & seta subcapillari nigris; epistomate albo, vitta media nigra; abdomine fusco, fasciis tribus interruptis flavis; pedibus pallidis, posticorum femoribus tibiisque annulo dilute fusco. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 609. 1. ♂, *Rhingia Scaevoides* Fall. Syrph. 35. 5. ♀. certe secundum specimen originarium. — *Brachyopa* Meig. Dipt. 3. 263. 5. — An quoque *Pelecocera flavicornis* Meig. Dipt. 3. 311. 2?

Hab. in Suecia media & boreali, ubi quatuor tantum individua, quantum novi, 10 Jun., 3 & 26 Jul., 14 Aug., hactenus inventa; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp specimen femineum & Fallenianæ descriptionis typicum detexi; in Gottlandia ad Nähr, ♀, D. *Dahlbom;* ad Holmiam, D. *Boheman;* & in Lapponia Umensi ad Stensele exemplum masculum legi.

♂♀. Similis priori, sed magnitudine multo minori, antennarum seta multo graciliori, apice capillari, abdomine brunneo, nec nigro, fasciis flavis distincte interruptis, ut & pedibus pallidioribus, annulis fuscis multo obsoletioribus &c., vere & abunde distincta. Pleuræ albescunt.

79. ERISTALIS Fabr.

Corpus majoris aut mediæ magnitudinis, oblongum, nitidum aut subnitidum, villosum aut subpubescens. Antennæ fronti prominenti insertæ, longitudine vix capitis transversi, basi subapproximatæ; articulo ultimo suborbiculari, rarissime ovato, basi seta dorsali nuda aut subpubescente. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, tuberculatum. Frons foveolata. Oculi obscure ferruginei, unicolores, nudi, in ♂ sæpe hirti. Scutellum apice immarginato, piloso. Abdomen rectum. Alæ ut in *Scaeva*, sed interdum maculatæ aut infuscatæ, nervo longitudinali 4:to semper recto. Pedes simplices, inermes, posticorum tibiis rectis & metatarso subcrassiori. *Color* niger vel olivaceus; pictura rarissime adest fasciata. *Motus:* volatus celerrimus; quædam tamen species tardius se movent. *Habitatio* in floribus & foliis plantarum; pleræque vernales. *Larvæ* aut e succo destillante arborum nutrimentum hauriunt, aut in terra uliginosa degunt. Alia igitur vivendi ratione quam *Scaevarum* larvæ aphidivoræ, utuntur *Eristales*. *Pupam* ovatam, inermem, scabram, sordide albidam, punctis elevatis crebris nigris, vix nisi *Erist. ruficornis* vidi. *Differentia sexus; mas:* oculis sæpissime cohærentibus, sæpe hirtis, abdomine oblongo vel elongato; *femina:* oculis remotis, plerumque nudis, antennis nonnihil majoribus, abdomine oblongo, ovato, aut rotundato. Typus generis: *Erist. variabilis* n:o 14. Hoc genus a *Scaeva* vix nisi epistomate infra oculos paullo longius descendente distinctiusque tuberculato, corneo, nec margaritaceo, corpore nigro & abdomine tantum rarissime fasciato. Antennarum articulus ultimus in *Eristale* quoque plerumque orbicularis, qui in *Scaeva* sæpissime ovatus aut oblongus.

Sect. 1. *Discolores:* corpore plus minusve picto, nec toto nigro. Oculi in ♂ cohærentes, in ♀ distantes; in utroque sexu hirti (in *E. maculata* n:o 4, nudi).

1. *E. Lucorum:* æneo-nigra, thorace luteo-hirsuto; scutello, abdominis segmento 2:do geniculisque albidis; epistomatis vitta media, antennis ovatis alarumque macula dimidiata, nigris. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Fabr. Antl. 241. 37. ♀. Fall. Syrph. 50. 1. ♀. Zett. Ins. Lapp. 610. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1803. ♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 313. 58. ♂♀. T. 30. f. 27. ♀. — Macq. Buff. 1. 537. 8. ♂♀. Löw Bemerk. 31. 1.

Hab. in floribus Pruni Padi, Ribis rubri, Cratægi, Geranii sylvatici, Umbellatarum, Syngenesistarum &c., 20 Maj.—22 Aug., passim minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd rarissime; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, ad Lärketorp, ipse; in Roslagia, D. *Nyblæus;* in Helsingia ad Jerfsö; in Jemtlandia ad Åreskutan, D. *Dahlbom*, ad Mullfjellet & Skalstugan in jugo alpino, ipse; in Lapponia Umensi sylvatica ad Wilhelmina, Lycksele & Åsele, passim; in Norvegia ad Rüse & Drivstuen, D. *Boheman.*

♂♀. Pulchra, & abdominis fascia basali alba alarumque macula media nigra mox dignota. Epistoma album, apertura oris, genis, vitta media & macula supra radicem antennarum, nigris, nitidis. Frons cinerascens. Abdomen cærulescenti nigrum, basi fascia alba, in ♀ per lineam mediam acuminatam, angustam, abruptam, in ♂ per vittam latiorem, nigras, interrupta. Alæ hyalinæ, macula a medio costæ ad medium disci nigra. Squamæ sub alis & halteres, fusca. Reliqua ut in diagnosi.

Obs. Eristalis lucorum Meig. 7. 143. 23 ♀ aliud est insectum, *Syrpho Nemorum* nostro affine, Faunæ Scandinaviæ ignotum.

2. *E. œstracea:* atra, thorace antice, pleuris, scutello abdominisque basi, cano-villosis; ano fulvo-hirsuto; capite griseo, antennis fuscis; alis macula dimidiata obscura. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Fabr. Antl. 240. 34. Latr. Gen. 4. 323. *Musca* Linn. Fn. Su. 1801. De Geer Ins. 6. 139. 4. *Syrphus æstraceus* Fall. Syrph. 21. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 279. 2. *Cheilosia æstracea* Macq. Buff. 1. 555. 2. ♂♀. Löw Bemerk. 32. 1. *Syrphus rupestris* Panz. Fn. 59. 13. ♀. male colorata.

Hab. in floribus Umbellatarum, per Succiam meridionalem & mediam, 9 Jul.—23 Aug., passim; scilicet in Scania ad Abusa, Lindholmen, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Helsingia ad Jerfsö, D. *Dahlbom*, rar. In Dania, D. *Stæger*. (E regione Reinerzensi Silesiæ a D. *Zeller*).

♂♀. Habitus *Oestri* propter picturam hirsutiei. Robusta. Facies cinerascens. Antennarum articulus ultimus orbicularis, fuscus aut ferrugineus, seta nigra, pubescente. Thorax albo-villosus, fascia media nigro-hirta. Abdomen nigrum, basi albo-, apice fulvo-hirsutum. Alæ hyalinæ, macula media ad costam nigra. Squamæ & halteres, fusca l. sordide albida. Femora nigra, cano-pilosa. Tibiæ fusco-ferrugineæ, annulo medio nigro. Tarsi fusci, metatarso plerumque ferrugineo.

3. *E. ruficornis:* thorace nigro, cinereo- 4-lineato; abdomine æneo, tenuiter fulvo-pubescente; capite, scutello pedibusque rufo-flavis, antennis ferrugineis; fronte femorumque basi nigricantibus; alis hyalinis, nervis transversis fuscedine cinctis. ♂♀. (Long. 2½— fere 4 lin.).

Fabr. Antl. 243. 50. Fall. Syrph. 50. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 610. 2. ♂♀. *Syrphus* Panz. Fn. 77. f. 20. ♀. Rossi Fn. Etr. 448. 1466. T. 10. f. 9. manca. — Meig. Dipt. 3. 278. 1. *Cheilosia* Macq. Buff. 1. 555. 1. Löw Bemerk. 32. 2. *Elophilus* Latr. Gen. 324.

Hab. in floribus Chærophylli, Berberidis &c., per totam Scandinaviam, 15 Maj.—13 Aug., passim; scilicet

in Scania ad Lund, Räften, Abusa, Lindholmen &c., frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum, Häradshammar, Jonsberg &c., haud raro; in Ölandia; in Gottlandia, D. *Gahne;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi & Tornensi ad Stensele, Umenäs & Juckasjervi, passim; in Dania certis annis freq., D. *Staeger.* — In truncis arborum viventium Quercus, ubi succus exstillat, imagines sæpe vidi; in vulnere larvas, & in terra ad radicem ejusmodi arborum sauciatarum pupas obovatas, albidas, punctis elevatis fuscis scabras, antice corniculis 2 brevibus erectis, & postice spinulis 6—8, fuscis instructas, medio mensis Julii & in Scania & in Ostrogothia sæpe legi.

♂♀. Priori minor & multo minus hirsuta; subglabra seu pubescens. Epistoma flavum. Antennarum articulus ultimus magnus, orbicularis, rufus, superne sæpe fuscus, seta nuda nigra. Frons & vertex nigra l. fusca, macula supra antennas rufa. Scutellum flavum, apice nigro-setosum. Abdomen æneum, lucidum, fulvo-pubescens. Alæ basi subflavidæ, nervis longitudinalibus 3 & 4 non exacte parallelis. Pedes rufi, coxis, femorum basi in ♂, tarsorumque apice in utroque sexu, nigris.

4. *E. maculata:* atra, tenuiter griseo-pubescens; antennis fulvis; abdominis maculis lateralibus magnis, cinereis; alis immaculatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Syrph. 52. 6. ♂♀. *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 295. 31. ♂♀. *Cheilosia* Meig. Dipt. 7. 124. 39.

Hab. in Scan. meridionali, 15. Jun.—1 Jul., rarius; scilicet in nemore umbroso Stufvelund ad Abusa a D. Prof. *B. F. Fries* 1815 detecta, in foliis Allii ursini &c. prope terram volans; deinde ad Esperöd pauca specimina inveni.

♂♀. Priori paullo minor. *Musca domestica* nonnihil major. Nigra, capite cinereo-pollinoso. Antennarum articulus ultimus parvus, orbicularis, ferrugineus, seta nuda, fusca. Oculi nudi, in ♀ postice non late distantes. Thorax & scutellum tenuiter brevissimeque griseo-pubescentia. Abdominis maculæ laterales utrinque 3 l. 4 magnæ, subquadratæ ad basin segmentorum singulorum locatæ, cinereæ, e pube brevissima depressa ortæ. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis brunnescentibus. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres albescentes, in medio fusci. Pedes subnudi, nigri, geniculis summis pallescentibus.

Obs. *Erist. semirufa* Fabr. Fall. seu *Musca fallax* Linn. in Genere *Milesia* infra invenienda.

Sect. 2. *Unicolores:* toto corpore ænescente, olivaceo aut nigro. Alæ rarissime pictæ. Antennarum articulus ultimus orbicularis.

Subdiv. 1:*ma.* Corpus totum ænescens l. olivaceum, aureo- vel fulvo-villosum. Oculi in utroque sexu hirti. *Meteoricæ*, volatu scilicet velocissimæ.

5. *E. grossa:* nigro-ænea, nitida, thorace, scutello abdominisque antici lateribus, ferrugineo-villosis; pedibus nigris, tibiis testaceis. ♂♀. (Long. 3½, plerumque 4 usque ad 5 lin.).

Mas: oculis cohærentibus, fronte nigra, thoracis hirsutie lutescenti grisea;

Fem.: oculis late distantibus, fronte ænea, rufo-hirta, thoracis hirsutie fulva; in copula.

Fall. Syrph. 53. 7. ♀. *Syrphus grossus* Meig. Dipt. 3. 281. 5. ♂♀. *Cheilosia grossa* Macq. Buff. 1. 556. 5. ♀. Meig. Dipt. 7. 123. 5.

Hab. in floribus Gageæ luteæ, Leontodontis, Pruni, Salicis cinereæ &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam præsertim tempore vernali, 10 April.—7 Jun.,

certis annis sat frequens, ante aliquot decennia rarissime in Suecia quærenda; nunc autem in Scania ex. gr. in hortis Lundensibus interdum abundans; in Blekingia, D. *v. Borck;* in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum & Häradshammar, haud raro, D. *Stenhammar*; in Westrogothia, D. *Dalman*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, sed vix longius versus septentrionem procedens. In Dania, D. *Staeger.*

♂♀. In hac subdivisione maxima. Epistoma nigrum, lateribus cinereum, tuberculo valido. Palpi filiformes, flavi, basi nigri. Antennæ mediocres, nigræ, raro fuscæ, seta nigra, nuda. Thorax & scutellum olivacea, griseo- (♂), aut fulvo- (♀) hirsuta. Abdomen atrum, lucidum, in viva ex chalybeo resplendens, nigro-hirsutum, antice (ad medium) lateribus ferrugineo-villosum. Alæ cinerascentes, nervis præsertim ad basin ferruginantibus. Squamæ albæ. Halteres flavi, clava in ♂ sæpe fusca. Pedes nigri, cinereo- & nigro-pilosi, geniculis summis & tibiis totis, testaceis. Variat rarius tarsis etiam testaceis. Variat quoque ♂ tibiis in medio nigro-annulatis, in Blekingia captus.

6. *E. alpina:* nigro-ænea, nitida, fulvo-tomentosa; antennis mediocribus, fuscis aut testaceis, seta nuda; pedum geniculis flavis, alis immaculatis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 611. 3. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiæ & Finmarkiæ occidentalis, rarius; scilicet ad radicem alpium Jockeltind & Skaaddavaara Norvegiæ 31 Jul.—7 Aug. 1821 specimina 4 mascula & 1 femineum inveni.

♂♀. Affinis & similis priori, ut etiam *Syrpho caniculari* Meig. & Panz. (seu *Eristali aurato* Fabr.), quem a D. *Zeller* e valle Reinerz Silesiæ in utroque sexu missum possideo & comparare potui; sed differt ab *Erist. grossa:*

magnitudine multo minori, villositate corporis non ita densa neque aurea, ano concolore, nec nigro-hirto, tibiis tantum basi testaceis &c.; & ab auctorum *Syrpho caniculari*, qui Faunæ Scandinaviæ peregrinus: magnitudine nonnihil minori, antennarum seta nuda, nec pubescente, tibiis basi tantum testaceis, nec tibiis totis tarsisque rufis. — Frons unisulcata. Corpus undique, licet non dense, fulvo-tomentosum. Alæ cinereæ, nervis, præsertim basi, ferruginantibus, tranversis fuscedine levissime cinctis; longitudinalibus 5 & 6 vix vel tantum parum sub areis discoidalibus continuatis. Squamæ & halteres flava, horum capitulo fusco. Pedes nigri, femoribus summo apice tibiarumque basi, flavis; tibiarum anteriorum summus apex etiam flavescit. — Femina antennarum articulo ultimo paullo majori, quam mas, gaudet.

7. *E. Phantoma:* olivacea, nitida, dense aureo-tomentosa; antennis mediocribus, flavis, seta nuda, nigra; tibiis testaceis, annulo medio alarumque nervis transversis mediis, dilute fuscis. ♂. (Long. 3—3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 611. 4. ♂.

Hab. in Nordlandiæ Norvegicæ alpibus, ex. gr. in Raschstind (in Schiervœ) & Andeness ad ostium Malangerfjord; d. 23—28 Jul. 1821 mihi obvia, in floribus Pruni Padi ad radicem montium crescentis. Omnium velocissime volat, quasi meteorica, captu difficillima. In alpe Dovre a D. *Boheman* 1832 etiam inventa, mihique communicata.

♂. Primo intuitu *Syrpho Arbustorum* haud absimilis, sed longe diversa. Magnitudo & summa affinitas præcedentis, a qua tamen aperte differt, colore corporis magis æneescente, paullo longius & densius aureo-tomentosa, antennis semper flavis, tibiis fere totis testaceis, annulo tantum medio brunneo, ut & alis in medio fusco- vel brunneo-maculatis. Alæ scilicet cinereæ, basi testaceæ, nervis transversis mediis fuscedine cinctis, unde exstat fascia alarum

media fusca obsoleta. — Reliqua ut in priori. — Variat rarius tarsis saltemve metatarsis fusco-testaceis.

8. *E. chrysocoma:* olivacea, nitida, dense aureo-tomentosa; antennis magnis, flavis, seta nuda, nigra; tibiis testaceis; alis subimmaculatis. ♀. (Long. 3½ lin.).

Syrphus chrysocomus Meig. Dipt. 3. 280. 4. ♂♀. *Cheilosia chrysocoma* Macq. Buff. 1. 556. 4.

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem alpium Mullfjellen d. 27 Jun. 1810 specimen unicum deprehendit Cel. D. *Dahlbom.*

♀. Simillima præcedenti, a qua non differt nisi: antennis duplo majoribus, & alarum nervis transversis forte paullo minus infuscatis. — Pro femina prioris certe haberem, nisi Clar. *Meigen* l. c. marem hujus speciei antennis æque magnis ac feminam præditum descripsisset. Vestigium annuli fusci in tibiis adest.

9. *E. flavipes:* olivaceo-nigra, nitida, rufo-tomentosa, antennis mediocribus totis flavis, seta subnuda, nigra; pedibus flavo-rufis, tarsis posticis fuscis; alis flavidis, subimmaculatis. ♀. (Long. 3—4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 611. 5. ♀. *Syrphus* Panz. Fn. 54. 10. ♀ (corporis colore nimis viridi). — Meig. Dipt. 3. 288. 19. ♀.

Hab. in Scandinavia, 21 April.—Maj.— Jul., rarius; scilicet in Blekingia; in Ostrogothia ad Gusum, d. 5 Jun. 1812, D. *Wahlberg*; in alpe Jockeltind Nordlandiæ septentrionalis d. 31 Jul. 1821, ipse; in Dania, a D. D. *Westermann* & *Staeger* jam mense Majo capta.

♀. A prioribus præcipue differt antennis totis pedibusque fulvo-flavis. Caput atrum, orbita oculorum albo-micante. Antennarum seta tantum microscopice pubescens. Frons uni-

sulcata, rufo-tomentosa. Alæ cinereæ, nervis præsertim basi pallidis, transversis mediis haud infuscatis. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes fulvo-flavi, pallide pilosi, coxis nigris. Tarsi postici toti, & anteriores apice, fusci.

Subdiv. 2:*da.* Corpus nigrum aut atrum, interdum nigro-chalybeatum; vix vel parum æneo-micans; breviter & tenuiter flavido-, nigro-, vel griseo-pubescens, aut subglabrum. Oculi hirti aut nudi. *)

A. Pedes vel toti, vel ad maximam partem rufi.

10. *E. flavicornis:* oculis hirtis olivaceo-nigra, nitida, tenuiter aureo-flavo-pubescens; antennis mediocribus, totis fulvis, seta nuda, fusca; pedibus flavo-rufis, femoribus, tibiarum annulo tarsorumque apice, nigricantibus; alis flavescentibus. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Mas: oculis cohærentibus, fronte olivacea, sulculo supra antennas longitudinali; margine frontali inter antennas sinuato, nigro, nitido; halterum clava dilute fusca; abdomine elongato, sublineari;

Fem.: oculis sat late remotis, fronte olivacea, foveola supra antennas subtransversa, parum profunda & striola utrinque juxta oculos obsoleta; margine frontali inter antennas sinuato, rufo, nitido; halteribus albis; abdomine elliptico.

Fabr. Antl. 244. 56. *Syrphus* Fabr. Ent. Syst. 4. 302. 87. Meig. Dipt. 3. 285. 14. ♂♀. *Cheilosia* Macq. Buff. 1. 559. 18. ♂♀. — *Erist. flavipes* Fall. Syrph. 53. 8. ♀. var.: "oculis hirtis".

Hab. in Suecia meridionali & media rarius, Jun. Jul. obvia; scilicet in Scania ad Abusa; in Ostrogothia

---

*) Cum interdum in uno sexu (masculo) oculi sint hirsutuli, in altero (femineo) nudi, in charactere generali subdivisionis nota ex oculorum pilositate aut nuditate desumta, ingredi non potuit, ut voluit Cel. *Meigen.*

ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. In Dania, D. *Staeger*. (E Wienna & Silesia uterque sexus sine synonymia D. *Zeller* communicatus).

♂♀. Differt a Meigeni & Macquarti *Cheilosia chloris*, cui alias similis videtur, scutello convexo, æquali, nec foveolato, & abdomine in ♂ oblongo, nec ovato; a *Ch. fraterna*, pubescentia corporis brevi depressa aureo-flava, nec cana, & antennis rufis, nec fuscis; a *glabrata*, magnitudine duplo majore, a *flavipede* (n:o 9) pubescentia tenuissima, nec villositate densa & rufa; a *fulvipede*, corpore olivaceo, nec nigro, & antennis totis fulvis, nec apice nigris; a *fulvicorni*, antennis totis fulvis, nec basi nigro-brunneis, & seta nuda, nec subplumata; & tandem a *Syrpho meante* Fabr., oculis hirtis, nec nudis, ut & abdomine olivaceo nitido, nec obscure cæruleo. — Antennæ mediocres l. potius parvæ. Epistoma validum, nigrum, nitidum, nudum. Orbita oculorum albido-micans. Oculi distincte hirti. Alæ cinereæ, nervis præsertim ad basin rufo-flavis. Squamæ albæ. Pedes rufi, coxis, trochanteribus femoribusque non usque ad apicem, nigris. Annuli in medio tibiarum fusci, plus minusve perspicui. Metatarsus posticus superne plerumque brunneus. Tarsi omnes articulo 1 vel 2 ultimis nigricantibus.

Obs. Synonyma allata feminæ hujus speciei sine dubio competunt. Marem descriptum quoque huc refero, licet in copula junctum non invenerim.

11. *E. gilvipes:* oculis nudis nigro-olivacea, nitida, tenuiter aureo-flavo-pubescens, antennis mediocribus, totis fulvis, seta nuda, fusca; pedibus flavo-rufis, tarsis apice nigricantibus; alis flavescentibus. ♀. (Long. 4 lin.).

Erist. flavipes Fall. Syrph. 53. 8. ♀ var. "oculis nudis" certe. (Exclus. syn. Panzeri). — *Erist. fulvi-*

pes *) Zett. Ins. Lapp. p. 611. not. sub *Erist. flavipede.* — An *Cheilosia depila* Megerl. apud Meig. Not. sub *Syrph. flavipede.* 3. 288. 19?

Hab. in Sueciæ floribus Compositarum, rarius; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum; in Gottlandia, D. *Wahlberg*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Haeffner*, teste D. Prof. *Fallén;* ibi etiam a D. *Stenhammar* lecta; tria specimina Suecica vidi. (Eadem e Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia nuper mihi etiam communicata).

♀. Duabus proxime antecedentibus valde similis, sed a *flavipede* (n:o 9), antennis nonnihil minoribus, oculis glabris, pubescentia tenuissima, depressa, nec villositate densa, longa; ut & tarsis, præter articulum ultimum nigrum, totis rufis; & a *flavicorni*, cui adhuc similior, margine frontali (in ♀) inter antennas nigro, nec ferrugineo, stria frontali media distincta, oculis nudis, ut & tibiis rufis immaculatis, nec nigro-annulatis, facile dignota. *Mas* deest.

12. *E. means:* oculis nudis cærulescenti nigra, glabricula, nitida, thorace æneseente, antennis majusculis, totis fulvis, seta nuda, nigra; pedibus flavo-rufis, femoribus ultra medium, tibiarum annulo, metatarso postico tarsorumque omnium articulo ultimo, nigris; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Syrphus Fabr. Ent. Syst. Suppl. 562. 63—64. *Milesia* Fabr. Antl. 192. 19. *Cheilosia* Meig. Dipt. 7. 127. 29. ♀. Macq. Buff. 1. 560. 20. ♀. Löw Bemerk. 32. 12.

Hab. in Suecia minus frequens, tempore vernali obvia; scilicet in Scania rarissime; in Ostrogothia ad

*) *Syrphus* (Eristalis) *fulvipes* Hffgg. alia est species, Faunæ Scandinaviæ ignota. Cfr. Meig. Dipt. 3. 339. 96.

Wadstena, D. *Dahlbom*, ad Gusum (5 Jun.), D. *Wahlberg*, & ad Sudercopiam, D. *Stenhammar* vera; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. In Norvegia ad Garnæs Værdaliæ ♀ 1 Jul. 1840. In Dania mens. Jun. 1837 a D. *Staeger* semel inventa. Individua mascula præsertim rarissime occurrunt. (Uterque sexus sub nomine: "*Syrph. flavicornis?*" e Glogavia a D. *Zeller* d. 23 Maj. 1842 mihi communicatus).

♂♀. Magnitudo minor, statura angustata, color corporis subcærulescenti niger, præsertim in abdomine, pubescentia valde rara & cinerascens, sunt præcipue notæ, quibus a duabus proxime præcedentibus hæc species distingvitur. — Caput atrum, nitidissimum, nudum, orbita oculorum anguste albo-micante. Summus margo frontalis inter antennas sinuatus plerumque ferrugineus. Antennæ fulvæ, in ♀ sat magnæ, in ♂ minores. Oculi in ♂ cohærentes, omnium tenuissime & tantum microscopice subhirtuli, foveola frontali supra antennas triangulari. Oculi in ♀ non late, sed æqualiter (nec postice angustius) distantes, fronte subnuda, nitida, nigra, parce & subtilissime punctulata, striola utrinque juxta oculos haud profunda & foveola supra antennas transversa. Thorax & scutellum æquale, æneescenti nigra. Alæ cinereo-hyalinæ, basi parum dilutiores, squamis & halteribus albis. Pedes flavi, coxis, femoribus non usque ad apicem, tibiarum annulo medio, metatarsis posticis, tarsorumque omnium articulo ultimo, nigris. — Ab *Er. præcoce* (25) antennis totis fulvis & oculis nudis præcipue dignoscitur.

13. *E. chloris:* oculis hirtis nigro-olivacea, nitida, tenuiter aureo-flavo-pubescens, antennis mediocribus, totis fulvis, seta subnuda, fusca; pedibus flavo-rufis, femoribus fere ad apicem, tibiarum annulo medio tarsisque, nigricantibus; alis flavescentibus. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Mas: oculis cohærentibus, fronte olivacea, foveola supra an-

tennas; halterum clava pallida, puncto apicis fusco; abdomine oblongo-ovali;

Fem.: oculis remotis, fronte olivacea, foveola supra antennas & striola utrinque juxta oculos sat perspicuis; halteribus albis; abdomine ovali.

Syrphus Meig. Dipt. 3. 281. 11. ♂♀. *Cheilosia* ejusdem 7. 123. 11. Macq. Buff. 1. 558. 15. (Macquarti *Cheilosia mutabilis* Buff. 1. 558. 14 & *limbata* Buff. 1. 559. 17. a nostra *Er. chloris* parum differre videntur).

Hab. in Scania mense Junio, rarissime; e Dania a D. *Staeger* uterque sexus mihi communicatus.

♂♀. *Erist. flavicorni* (n:o 10) simillima, sed tarsis obscurioribus, abdomine in ♂ magis elliptico, nec angustato, puncto apicali in clava halterum fusco, ut & scutello in utroque sexu sæpe foveolato, differt. — Antennarum articulus 1:mus sæpe fuscus. Oculi distincte hirti. Margo frontalis inter antennas sinuatus, rufus. Epistoma ut in *E. flavicorni*. Scutellum non semper distincte foveolatum, ut rite observavit D. *Staeger*, cui plura individua colligendi & comparandi fuit occasio. Squamæ sub alis albæ. Pedes nigricantes, femorum apice anguste, tibiarumque basi apiceque sat late rufo-flavis. Tarsi basi interdum etiam rufescentes præsertim in ♀.

Obs. 1. Sub. nomine "*Syrph. flavicornis?* Meig." individuum femineum nuper a D. *Zeller* e Glogavia missum obtinui, huic valde simile, sed magnitudine nonnihil majore, antennis duplo majoribus, corpore toto ænescenti nigro, alis basi magis flavidis & tibiis absque annulo nigro, distinctum, forte ad novam speciem referendum, antennis magnis at oculis nudis &c. a *flavicorni* certe diversum.

Obs. 2 *Er. vernalis* (21), *fraterna* (22), *pallidicornis* (24), *præcox* (25), *scutellata* (32), *Soror* (33), & *latifrons* (35), saltem tibiis basi apiceque, sæpe etiam femorum apice tarsorumque medio, flavis, instructæ, infra quærendæ.

B. Pedes vel toti, vel ad maximam partem nigri.

14. *E. variabilis:* oculis hirtis elongata, tota atra, margine frontali inter antennas rufo; epistomate magno, distincte bituberculato, nudo; antennis parvis subobtusis, seta pubescente; pubescentia corporis tenui, grisescente; alis fuscanis; halterum clava in ♂ fusca. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fall. Syrph. 54. 9. ♂♀. *Syrphus* Panz. Fn. 60. 10. ♂. Meig. Dipt. 281. 6. ♂♀. *Cheilosia* Macq. Buff. 1. 557. 9. Löw Bemerk. 32. 8. *Eristal. ater* Fabr. Antl. 246. 66. *Erist. nigrita* Fabr. Antl. 244. 55.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis & mediæ floribus, 10 Maj.—5 Aug., sat vulgaris; in copula; e pupa exclusa; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Ostrogothia ad Häradshammar, Gusum, Hufvestad prope Wadstena, Lärketorp &c., haud raro; in Ölandia ad Ottenby; in Gottlandia rarius; in Wermelandia ad Årås; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, minus frequens; in Dania, D. D. *Staeger* & *Sehestedt.*

♂♀. Elongata, sublinearis. Tota subcærulescenti nigra, subnitida, corpore in ♂ cinerascenti piloso, in ♀ cinereo pubescente, pube depressa. Epistoma amplum nudum, lateribus anguste cinereum, inter tuberculos profunde impressum. Antennæ parvæ, seta longa. Frons in ♂ lineola supra antennas impressa; in ♀ modice lata, posterius angustior, tota subtiliter punctulata, pubescens, striolis 3 longitudinalibus obsoletis, nempe 1 media & 2 lateralibus. Thorax certo situ ænescit. Abdomen lineare, depressum, disco in ♂ opaco. Alæ fumatæ. Squamæ & halteres alba, horum clava in ♂ macula fusca. Pedes toti nigri. Pubescentia in thorace maris e pilis canis & nigris constat. — Cave ne hanc cum *Er. rostrata* (30) confundas.

15. *E. olivacea:* oculis hirtis oblonga, nitida, olivacea, fusco-pubescens; epistomate distincte bituberculato, nudo; antennis parvis fusco-nigris, seta subpubescente; pedibus nigris, anteriorum geniculis summis albidis; alis fusco-hyalinis, squamis halteribusque albis, horum clava in ♂ apice puncto nigro. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 611. 6. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis floribus pratensibus & sylvestribus, ex. gr. Umbellatarum, Ranunculorum, Syngenesistarum &c., 19 Jun.—15 Jul., passim, in copula capta; scilicet in Ostrogothia ad Häradshammar, D. *Stenhammar;* in Jemtlandia boreali ad Åreskutan; in Lapponia Suecica meridionali Umensi ad Lycksele; in Norvegia a Thynæs in parœcia skogn usque ad Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino situm.

♂♀. Similis priori, sed paullo robustior, latior, colore corporis magis æneseente, antennis minus intense nigris, fere fuscis, sets parum vel tenuiter tantum pubescente, alis minus infuscatis, ut & pedum anteriorum geniculis summis testaceis, distincta; nec cohabitant. — Orbita oculorum albo-pubescens. Margo frontalis inter antennas jam ferrugineus, jam niger. Alæ ad costam subinfuscatæ. Scutellum æquale, sed in quibusdam speciminibus ad apicem transversim leviter impressum vidi (forte casu?).

16. *E. gigantea:* oculis hirtis oblonga, nitida, olivacea, griseo-pubescens; epistomate distincte bituberculato, nudo; antennis parvis fusco-nigris, seta subnuda; pedibus nigris, geniculis, tibiis basi apiceque albidis; alis fusco-hyalinis, squamis halteribusque albis, horum clava in ♂ apice puncto fusco. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 612. 7. ♀. *Cheilosia velutina* Löw Bemerk. p. 32. 11.

Hab. in Scandinavia minus frequens, Jun. Jul. obvia; scilicet in Ostrogothia rarius; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Gottlandia; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi, D. *Deutsch*; in Nordlandia Norvegica ad Björkvik, ipse. (E Glogavia sub nomine: *Cheilosia velutina* Löw a D. *Zeller* missa).

♂♀. Simillima priori, a qua tamen differre videtur pedum geniculis nonnihil latius, tibiisque fere totis, albido-flavis vel testaceis, annulo in medio late nigricante. Antennæ nigræ vel nigro-piceæ, seta tantum microscopice pubescente. Margo frontis inter antennas plerumque ferrugineus. Frons omnino ut in *E. variabili*, sed forte paullo distinctius, uti totum corpus, punctulata. Abdomen margine laterali cinereo-pubescens. Annulus tibiarum posticarum niger latissimus. Abdominis discus dorsalis in ♂ atro-holosericeus. — Variat junior pedibus totis piceis, tibiis basi apiceque dilutioribus.

17. *E. proxima:* oculis hirtis oblonga, nitida, olivaceo-nigra, griseo-pubescens; epistomate distincte bituberculato, nudo; antennis parvis, nigris, apice truncatis, seta nuda; pedibus nigris, geniculis, tibiis basi apiceque albidis; alis subhyalinis, squamis halteribusque albis, horum clava in ♂ fusco-maculata. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime, ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, a quo etiam femina hujus inventa erit.

♂. Similis iterum priori, sed ab hac & a proxime præcedentibus differt; magnitudine paullo minore, antennis subquadratis, apice subtruncatis, epistomate sub antennis supra tuberculos valde retuso, & tuberculo inferiori solito majore, magis porrecto. Frons supra antennas nigro-pilosa. Alæ subhyalinæ. Squama alba angustissime nigro-marginata, & fusco-ciliata. Halteres albidi, clava basi & puncto

apicis, fuscis. Tibiæ posticæ fere totæ nigræ, basi anguste, testaceæ. Reliqua ut in priori. — Feminam non vidi, nec nisi unicum marem pro descriptione mutuo accepi.

18. *E. flavimana:* oculis hirtis (♂), aut nudis (♀), nitida, atra, abdomine olivaceo; epistomate subunituberculato, levissime pollinoso; antennis parvis, nigro-fuscis, seta microscopice pubescente; alis flavido-hyalinis, squamis, halteribus tarsorumque anticorum articulis 3 mediis albidis. ♂♀. (Long. 3, raro $2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: oculis hirtis cohærentibus; fronte nigro-pilosa, sulculo mediolongitudinali supra antennas; thorace scutelloque atro-pilosis; alis subfuscanis; abdomine oblongo, æneo-nigro, disco antico atro, opaco;

Fem.: oculis nudis mediocriter distantibus; fronte parum pubescente, punctulata, sulcis 3, uno medio & 2 lateralibus; thorace scutelloque pube brevissima, depressa, grisea; alis flavis; abdomine ovato, olivaceo, toto nitido; in copula.

Cheilosia Meig. Dipt. 7. 126. 25. ♂♀. Löw Bemerk. 32. 4. ♂♀. verissima. — *Cheilosia vidua* Macq. Buff. 1. 556. 6. ♂♀. excl. syn. Meig. — *Eristalis albitarsis* Zett. Ins. Lapp. 612. 8. ♂♀. exclus. forte syn. Meig.? — *Erist. cœmeteriorum* var. γ. Fall. Syrph. 55. 11. ♀.

Hab. in floribus pratensibus uti Ranunculo, Caltha, Thlaspi, Chærophyllo &c., per Scandinaviam, 20 Maj.— 27 Jul., haud raro; in copula; scilicet in Scania ex. gr. circa Lund, Grönby, Lindholmen, Abusa, Esperöd &c. in floribus Calthæ & Ranunculi certis annis copiose, præsertim mares frequentes, feminæ seriores; in Blekingia, D. v. *Borck;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, Häradshammar; in Ölandia & Gottlandia, rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Wermelandia ad Årås; in Jemtlandia ad Stalltjernstugan, D. *Dahlbom* (27

Jul. 1840); in Lapponia Umensi ad Lycksele passim; in Lappon. Tornensi, D. *Deutsch*; in Norvegia ad Thynæs frequens; in Dania, D. *Staeger*. (Per D. *Zeller* plura specimina in utroque sexu sub nomine: "*Cheilos. flavimana* Löw ab ipso (*Löw*) communicata", etiam obtinui. Ad Neuenkirchen in Megalopoli (Mecklenburg Strelitz), ut & in floribus ad Eldena prope Gryphiam, 15—28 Maji 1842, sat copiose legit mihique communicavit Cel. *Dahlbom*).

♂♀. Oculi in uno sexu hirti in altero nudi, thoracis color cærulescenti ater, epistoma in illæsis levissime cinereo-pollinosum (nec nudum, nec nitidum nisi in detritis), subunituberculatum, h. e. tuberculum ad os parum elevatum, interstitio haud profunde excavato, alæ præsertim ad basin & costam flavidæ, halteres etiam in ♂ albi, immaculati, ut & tarsi antici articulis 3 mediis albis, sunt præcipuæ notæ, quibus hæc species ab aliis dignoscitur. — Orbita oculorum cinerascens. Antennæ nigræ, articulo ultimo in medio plerumque fusco. Margo frontis inter antennas niger aut ferrugineus. Scutellum convexum. Abdomen præsertim in ♂ griseo-pubescens. Squamæ sub alis albæ, margine inflexo albo-ciliato. Tarsi posteriores articulis 3 & 4 sæpe etiam flavo-albicantibus.

Obs. Sub nomine: "*Cheilosia albitarsis* Meig. & Löw a *Löw* data", Cel. *Zeller* mecum communicavit in utroque sexu insectum, quod a *flavimana* in nihilo alio, ut mihi videtur, differt, quam magnitudine paullo minore. An igitur *Syrphus albitarsis* Meig. Dipt. 3. 290. 22 tantum est forma minor *Chilosiæ flavimanæ* Meig. Dipt. 7. 120. 25. (quam Clar. *Meigen* ipse non vidit, sed auctoritate *Macquarti* descripsit)? Cum vero Cel. Professor *Löw* l. c. affirmat magnitudinem aut parvitudinem quoad distinctionem harum specierum notas esse constantes, nomen *flavimana* etiam pro nostra specie (olim pro *Syrph. albitarsi* Meig. habita) adoptavi, præsertim dum specimina nostra & Löwiana ut ovum

ovo simillima sunt. Id tamen observare juvat, me cum speciminibus vulgaribus majoribus *Er. flavimanæ* habitantia interdum invenisse exempla magnitudine individuorum *Ceil. albitarsis* a D. *Löwio* missorum, quæ tamen exempla a *flavimana* ut species distingvi non posunt. — E pupa cylindrica, $2\frac{1}{2}$ lin. longa, sordide albo-flava, nuda, inermi, antice corniculis 2 erectis fulvo-flavis, imago *flavimanæ* egressa 21 Jun. — Variat junior antennis pedibusque fusco-piceis. — In speciminibus detritis epistoma & thorax magis nitida sunt. — Individua Norvegica præsertim minora & articulis mediis, tarsorum sordide albidis, nec pure albis, ut & in maris halterum clava puncto apicali fusco gaudent.

19. *E. morio:* oculis hirtis cærulescenti atra, subopaca, tota nigro-pilosa, abdomine atro-holosericeo (♂), apice obscure æneo, nitido; epistomate bituberculato, nudo, nitido; antennis parvis, piceis, seta nuda; alis brunnescentibus, squamis fuscanis (♂); halteribus obscuris; pedibus nigris, tibiis basi, tarsorumque articulis mediis, fuscis. ♂. (Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 612. 9. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica septentrionali rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis d. 21 Jun. 1821 specimen descriptum inveni. (Individuum masculum in Harzgebirge Germaniæ borealis captum, huic simillimum, sed paullo majus & squamæ sub alis albidiores, mihi misit D. *Staeger*).

♂. Species certe distincta, nec ♂ *Er. pygmææ* (n:o 20). Corporis & partium color ater, pilositatisque distinctæ nigredo, speciem denotant. — Epistoma validum, bituberculatum, atrum, lucidum, juxta oculos parum cinereo-pollinosum. Oculi cohærentes, distincte fusco-hirti. Frons subtumida, atra, nigro-pilosa. Thorax cærulescenti ater, lineis dorsalibus obscurioribus, totus, uti scutellum, nigro-villosa. Abdomen angustatum, atrum, velutinum, nigro-villo-

sum, apice obscure æneo, nitido. Alæ fuscanæ. Squamæ & halteres obscura, clava nigricante. Pedes ut in diagnosi.

20. *E. pygmæa:* oculis brevissime hirtis (♂), aut nudis (♀), nigro-ænea, nitida, tenuiter griseo-pubescens; antennis mediocribus, nigris, seta subpubescente; epistomate subunituberculato, nudo; abdomine angustato; alis fumato-hyalinis, squamis albis, halteribus totis flavidis (♀), aut clava obscura (♂); pedibus nigricantibus; anteriorum geniculis summis & anticorum tarsorum articulis mediis, sordide albescentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Mas: paullo obscurior, griseo- vel fusco-pilosus; oculis cohærentibus, breviter & tenuiter hirtulis, fronte nigro-pilosa, supra antennas unistriata; abdominis dorso atro-holosericeo, apice obscure æneo; halteribus sordide albidis, clava nigricante;

Fem.: tenuiter & depressim flavido-pubescens; oculis nudis mediocriter & æqualiter remotis, fronte nigra, nitida, subglabra, subtilissime punctulata, supra antennas impressa, stria laterali obsoleta, orbita oculorum anguste albo-micante; abdomine toto æneo, nitido; halteribus sordide albidis, clava concolore vel dilute fusca.

Zett. Ins. Lapp. 614. 20. ♀. — An *Cheilosia albitarsis* Löw Bemerk. 32. 13? (Cfr. *E. flavimana* n:o 18).

Hab. in floribus Salicis, foliis fruticum, graminosis &c., per Scandinaviæ prata, 24 Jun.—Jul.—17 Aug., mihi obvia, passim frequens; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd; in Blekingia, D. v. *Borck;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, qui se eam in copula pluries invenisse affirmat, ad Häradshammar, D. *Stenhammar* tempore vernali copiose; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Garde, Wamblingbo, Sanda, Nähr &c., freq.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal, D. *Dahlbom*; in Jemtlandia circa radicem

Mullfjellet, vulgaris; in Norvegia in alpe Dovre, D. *Boheman*, & ad diversorium Suul atque ad Kongsstuen Værdaliæ in jugo alpino, frequens, ipse.

♂♀. Inter minores, sed variat magnitudine. Affinis *E. flavimanæ* (18), sed præter magnitudinem multo minorem differt etiam colore corporis ænescente, geniculis summis pallidis, epistomate nitidissimo, minime pollinoso, alis magis fuscanis, halterum clava in ♂ obscura, ut & abdomine in utroque sexu angustato. — Epistoma ut in *flavimana* constructum. Tarsi antici articulis 2, 3 & 4 mediis fusco-albidis. Antennæ ovato-rotundatæ. Tibiæ anteriores summo apice sæpe albescunt. — Sat similis *E. mutabili* n:o 27.

21. *E. vernalis:* oculis hirtis olivacea, nitida, subpubescens; epistomate subbituberculato, nudo; antennis parvis, articulo ultimo piceo-testaceo, seta subnuda; alis cinereo-hyalinis, squamis halteribusque albis; abdomine oblongo (♂), aut ovato (♀); pedibus nigris, femorum apice tibiisque flavis, his annulo medio nigro. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Mas: oculis cohærentibus; fronte nigra unisulcata, nigro-pilosa; thorace & abdomine oblongo griseo-pilosis, pilositate in thorace certo situ nigricante;

Fem.: oculis haud late, at æqualiter distantibus; fronte nigro-ænea, punctata, tenuiter griseo-pubescente, stria laterali & foveola supra antennas tranversa impressis; antennis nonnihil majoribus; thorace & abdomine ovato pube depressa flavida tectis; in copula.

Fall. Syrph. 55. 12. ♂♀. vera. — Zett. Ins. Lapp. 612. 10. ♂♀. (Synonyma: *Syrphus vernalis* Meig. Dipt. 3. 290. 23. *Cheilosia eadem* Macq. Buff. 1. 557. 11. & Löw Bemerk. 32. 9. (ubi *Cheilosia impressa* audit), sunt incerta, dum in nostra specie alæ basi vix l. parum flavescunt).

Hab. in floribus Salicis, Calthæ, in graminosis, ramis arborum exsiccatis &c., per Scandinaviam 10—28 Maj. passim copiose, & iterum mense Aug. usque ad medium Septemb.; sæpe in copula deprehensa; scilicet in Scania ubique vulgatissima; in Blekingia; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum, Häradshammar, Jonsberg, &c. frequens; in Ölandia & Gottlandia ad Lärbro, Ruthe, Stenkyrka &c., passim; in Uplandia ad Holmiam D. D. *Wahlberg* & *Stenhammar;* in Jemtlandia usque ad Mullfjellet & Skalstugan; in Lapponia Umensi ad Tresunda, & Tornensi ad Juckasjervi, rarius, in ipsum jugum alpinum adscendens; in Norvegia ad Thynæs Værdaliæ & ad Giebostad Nordlandiæ; in Dania, D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* plura specimina utriusque sexus missa).

♂♀. Epistoma juxta oculos leviter albo-pollinosum, præterea atrum, nitidum, nudum. Antennæ basi nigræ, articulo ultimo piceo vel fusco-rufo, seta nigra. Oculi distincte hirti. Margo frontis inter antennas sæpius ferrugineus. Alæ cinereæ, nervo costali, ut communiter, nigro, sed auxiliari & primo longitudinali flavis, reliquis fuscis. Squamæ inflexæ, niveæ, albo-ciliatæ. Halteres albidæ, puncto fusco sæpe in clava maris. Pedes nigri, geniculis & tibiis fulvis, his annulo medio lato, nigro. Metatarsus intermediorum sæpe etiam rufus. Abdominis discus dorsalis in ♂ niger, opacus. Alæ in medio leviter fuscæ.

22. *E. fraterna:* oculis hirtis olivacea, nitida, griseo-pubescens; epistomate subtuberculato, pollinoso; antennis parvis, articulo ultimo rufo-piceo, seta microscopice pubescente; alis cinereo-hyalinis, squamis halteribusque albis; pedibus nigris, femorum apice tibiisque flavis, his annulo medio nigro. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Mas: oculis cohærentibus, fronte nigra, unisulcata, nigro-

pilosa; thorace & abdomine oblongo griseo-pilosis; halterum clava fusca vel saltem puncto fusco;

Fem.: oculis haud late, at æqualiter distantibus; fronte ænea, distincte punctata, tenuiter griseo-pubescente, striis 3 longitudinalibus, quarum 2 lateralibus & 1 media obsoletissima, foveolaque supra antennas transversa impressis; antennis nonnihil majoribus; thorace & abdomine ovato pube depressa flava tectis.

Syrphus Meig. Dipt. 6. 352. 97. ♂♀. *Cheilosia* Meig. Dipt. 7. 124. 14.

Hab. in floribus cum priori, per Scandinaviam, Maj.—Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Absa &c., passim; in Ostrogothia ad Häradshammar in utroque sexu capta, D. *Stenhammar;* in Ölandia rarius; in Jemtlandia boreali usque ad Åreskutan & diversorium Skalstugan in jugo alpino situm mens. Jul. frequens.

♂♀. Similis & affinis priori, sed paullo robustior, magis ænea, & differt præcipue epistomate nonnihil minus exserto, toto etiam in tuberculis parvis polline flavido leviter tecto, (nec nudo, nitido), fronte feminæ magis ænea, nec nigra, ut & halterum clava in ♂ sæpe magis fusca. Orbita oculorum albomicans. — Hæc species *Er. Chloris* (n:o 13) sat affinis est.

23. *E. luteicornis:* oculis hirtis late remotis (♀) nigro-olivacea, nitida, subglabra; epistomate subbituberculato, nudo; antennis magnis, fulvis, basi & seta subnuda, nigris; alis pallide brunneis; squamis halteribusque albis; pedibus nigris, tibiis basi fusco-testaceis; abdomine ovato. ♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 612. 11. ♀.

Hab. in Sueciæ mediæ & borealis floribus Salicis, 20 Maj.—25 Jun., rarius; nempe in Ostrogothia ad Häradshammar haud frequens, D. *Stenhammar*; in Botnia

boreali; in Lapponia Umensi ad Lycksele & in Tornensi ad Pello & Juckasjervi, raro. (Individuum certissime hujus speciei in Harzgebirge Germaniæ lectum, mihi nuper communicavit D. *Staeger).*

♀. Similis *E. vernali*, sed antennis majoribus, fulvis, fronte multo latiore, tibiis tantum basi rufis &c. differt. Obscure olivacea, tenuiter griseo-pubescens. Antennæ nigræ, articulo ultimo magno, orbiculato, fulvo. Frons lata, subtristriata, nitida, nigra. Epistoma nitidum nudum, nigrum. Orbita oculorum albo-micans. Squamæ sub alis inflexæ, albæ, & albociliatæ. Halteres pallidi. Pedes nigri, geniculis summis tibiisque præsertim anterioribus basi albido-flavis. Alæ longæ.

24. *E. pallidicornis:* oculis hirtis modice remotis (♀) nigro-olivacea, nitida, parum griseo-pubescens; epistomate magno, bituberculato, nudo, atro; antennis magnis, fulvis, basi fuscis, seta subpubescente, nigra; alis pallide brunneis, squamis halteribusque albis; pedibus nigris, tibiis basi apiceque fulvis; abdomine rotundato. ♀. (Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Syrphus Meig. Dipt. 3. 291. 31. ♀. varietas Megerleana. — Stæg. in litt. 24 Oct. 1842. ♀.

Hab. in Dania rarissime; in uno specimine a D. *Staeger* missa; mihi non obvia.

♀. Similis *E. luteicorni*, sed paullo minor, brevior, abdomine magis rotundato, colore corporis magis olivaceo, fronte minus lata, ænea, & tibiis flavis annulo medio fusco, distincta. — Epistoma magnum, atrum, nudum, nitidum. Frons olivacea, stria utrinque laterali. Margo frontalis inter antennas niger. Oculi distincte hirti. Thorax tenuiter ferrugineo-pubescens. Abdomen depressum, rotundatum, punctulatum, subnudum. Alæ pallescenti hyalinæ; nervus longitudinalis 5:tus sub transverso apicali flexo subcontinuatus.

Pedes nigri, femorum apice anguste, tibiarum basi apiceque sat late, fulvis. Tarsi intermedii basi etiam rufi.

25. *E. præcox:* oculis hirtis-angusta, obscure olivacea, nitida, griseo-pubescens; epistomate bituberculato, nudo; antennis mediocribus, fuscis, seta nuda; alis pallide brunneis, squamis halteribusque albis, horum clava sordide albida; pedibus nigris, genubus, tibiis basi apiceque, tarsorumque medio, flavis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: pilosus; oculi cohærentes; frons unisulcata, nigro-pilosa; caput atrum, levissime cano-pollinosum, tuberculis & eorum regione atris nudis, nitidis; antennarum articulus ultimus nigricans vel fuscus; halterum clava apice fusco-alba; abdominis dorsum macula antica sinuata, atra;

Fem.: pubescens; oculi distantes; frons ænea, trisulcata, supra antennas transversim foveolata; epistoma atrum, nudum, nitidum; antennæ majusculæ, articulo ultimo testaceo vel rufo; halterum clava parum fusca; abdomen æneum; in copula.

Wahlberg in litteris. *)

Hab. in floribus vernalibus ut Calthæ palustris &c., rarius; nempe in Scania ad Lund & Abusa, in copula capta; in Ostrogothia ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, qui specimina in utroque sexu mihi communicavit, ad Lärketorp, ipse. E Dania, D. *Staeger*. (E Glogavia & Wienna plura exempla utriusque sexus a D. *Zeller* quoque obtinui).

♂♀. Simillima *E. vernali* (21), sed paullo minor, angustior, & differt præcipue femoribus apice nonnihil latius fulvis,

*) (Sub nomine *Cheilosia urbana* Meig. a D. *Staeger* nuperrime uterque sexus communicatus; vix tamen vera, dum Meigeni *urbana* "oculos nudos" habet).

tarsorumque omnium medio determinate flavo. Frontis stria media in ♀ etiam paullo magis perspicua. Epistoma juxta oculos cano-micans. Pedes fulvo-flavi, coxis, femoribus fere ad apicem, tibiarum annulo medio, tarsorumque articulo primo & ultimo, nigris. Halterum clava albido-fusca. Reliqua ut in *E. vernali.* — Variat tibiis tarsisque anticis fere totis flavis. — Ab *E. pygmæa* (20) differt tarsorum etiam posteriorum medio flavo, & oculis in utroque sexu hirtis; & ab *E. meante* (12), cui valde similis, oculis hirtis & antennis obscurioribus basi nigris dignoscitur.

Obs. Sub nomine *Cheilos. glabrata* Meig. individuum femineum ad lustrandum e Dania mihi misit D. *Staeger*, quod a nostra *E. præcoce* vix differt nisi halterum clava alba, nec fusca.

26. *E. innupta:* oculis hirtis ovato-oblonga, olivacea, subnitida, punctata, brevissime griseo-puberula; epistomate subunituberculato, subnudo; antennis mediocribus fuscis, seta nuda; alis flavido-hyalinis, squamis halteribusque albis; pedibus totis nigris. ♀. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Ostrogothia rarius; ad Lärketorp & Wadstena 4 specimina inveni.

♀. Valde similis *E. fraternæ* (22), sed epistomatis tuberculo nudo, corporis pube adhuc breviori, depressa, alis saltem basi magis flavidis, & pedibus totis nigris, distincta. A *Syrph. viduo* Meig., quem olim hanc credidi, vix nisi oculis hirtis, nec nudis, differt. Antennæ nigræ, articulo ultimo piceo l. rufescente. Frons ut in *E. fraterna.* Margo frontis inter antennas plerumque ferrugineus. Epistoma non longe exsertum, leviter pollinosum, tuberculo nudo, parum exserto. Abdomen ovatum, nitidum. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes subnudi, nigri, immaculati.

27. *E. mutabilis:* oculis hirtis (♂), aut nudis (♀), angusta, obscure olivacea, nitida, subpubescens; episto-

male subunituberculato, nudo; antennis parvis, nigris, seta tenuiter pubescente; alis subfusco-hyalinis, squamis halteribusque albis, horum clava in ♂ fusca; pedibus nigris, anteriorum geniculis tibiarumque basi, & tarsorum articulis mediis, albidis. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: griseo-, vel fusco-pilosus; oculis cohærentibus perspicue cinereo-hirtis; fronte nigro-pilosa, supra antennas unisulcata; abdominis dorso atro-holosericeo, apice obscure æneo, nitido; halteribus sordide albidis, clava nigricante;

Fem.: breviter & depressim flavido-pubescens; oculis nudis mediocriter & æqualiter remotis; fronte nigra, nitida, subglabra, subtilissime punctulata, supra antennas impressa; stria laterali obsoleta; antennis nonnihil majoribus; abdomine toto æneo-nigro, nitido; halteribus flavo-albis; in copula.

Fall. Syrph. 51. 10. ♂♀. vera. — Zett. Ins. Lapp. 614. 18. ♂♀. (oculi etiam maris immerito "nudi" dicuntur. — *Syrphus* Meig. Dipt. 3. 283. 10? ♂♀. — Macq. Buff. 1. 558. 14??

Hab. in Scania ubique vulgatissima, 20 Maj.—14 Aug., in copula pluries capta; in Ostrogoth. ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Fardhem, Rohne &c.; in Wermelandia ad Arås; in Jemtlandia ad Säther & Mullfjellet; in Nordlandia ad Hernösand; in Lapponia ad Lycksele; in Nordlandia Norvegica ad Björkvik, rarius; in Dania, D. *Staeger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Reinerz Silesiæ a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Valde similis & affinis *E. pygmææ* (20), a qua vix nisi magnitudine paullo majori, tibiis basi nonnihil latius albidis, tarsorum anteriorum articulis 3 mediis forte purius albis ut & in ♂ oculis distinctius hirtis, differt, ita ut fere crederem *E. mutabilem* & *pygmæam* tantum varietates unius ejusdemque speciei esse. Epistoma mediocriter exsertum. Orbita oculorum in illæsis anguste albicat. An-

tennæ interdum nigro-fuscæ. Tibiæ anteriores apice plerumque flavescunt. — Variat pedibus rufo-fuscis, geniculis tarsorumque medio albis.

28. *E. cœmeteriorum:* oculis hirtis oblonga, cærulescenti atra, subnitida, pubescens; abdomine ænescente; epistomate subbituberculato, nudo; antennis mediocribus, fuscis, seta pubescente; alis hyalinis, basi flavis, squamis halteribusque albis; pedibus fusco-nigris. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ fere—3 lin.).

Mas: oculi cohærentes, distincte griseo-hirti; frons unisulcata, nigro-pilosa, thorax & scutellum nigro-cærulescentia, nigro-pilosa; abdomen griseo-pilosum;

Fem.: oculi non late distantes, breviter griseo-hirtuli; frons cærulescenti-nigra, nitida, punctulata, griseo-puberula, stria laterali ad oculos & foveola supra antennas transversa impressis; antennæ majusculæ; thorax, scutellum & abdomen ænescenti nigro-cærulea, pube brevissima, depressa, grisea tecta.

Fall. Syrph. 55. 11. ♂♀. var. *α.* "alis juxta basin pallide nervosis", vera (exclus. synonym. Panz. Fabr. & Linn., quæ ad *Chrysogastr. solstitialem* pertinent. — *Erist. cœmeteriorum* Zett. Ins. Lapp. 613. 13. ad *E. Schmidtii* n:o 38 referenda). *Syrphus vernalis* Meig Dipt. 290. 23. ♂♀ (exclus. syn. Fall.) — *Cheilosia vernalis* Macq. Buff. 1. 557. 11. ♂♀. *Cheilosia impressa* (sub *Cheilos. vernali)* Löw Bemerk. 32. 9. certe.

Hab. in Umbellatis Sueciæ, Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Lund, D. v. *Borck*, ad Abusa &c. frequens; in Ostrogothia ad Gusum &c.; in Ölandia rar.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. (E Glogavia & Wienna a D. *Zeller* missa sub nomine *Cheilos. impressa* Löw. — E Lubeca, D. *Behrens).*

♂♀. Color thoracis cærulescenti ater, pedum niger, & alarum ad basin determinate flavus, speciem designant. Epistoma non longe prominens, mediocre, atrum nitidum, nudum, tuberculo saltem supero evidenti. Orbita oculorum albida. Antennæ mediocres, nigræ, articulo ultimo orbiculari, in ♀ majore, in utroque sexu nigro, fusco vel piceo. Margo frontis anticus inter antennas sinuatus, plerumque ferrugineus. Squamæ sub alis albæ & albo-ciliatæ. Halteres pallide flavi. Pedes parum pubescentes, nigricantes l. nigri, interdum rufo-picei. — Similis *E. flavimanæ* (18) sed paullo minor, oculis in utroque sexu hirtis & tarsis totis nigris mox dignota. Nervus longit. 5:tus infra transversum apicalem non continuatus. (Sub nomine "*Cheilos. bicolor* seu vernalis" e Dania ♂ hujus speciei mihi missus).

29. *E. coracina:* oculis hirtis oblonga, cærulescenti atra, nitida, pubescens; epistomate subbituberculato, nudo; antennis mediocribus, fuscis, seta subpubescente; alis subfuscanis, nervis nigricantibus, squamis halteribusque albis; pedibus nigris, geniculis testaceis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Mas & Femina ut in præcedente differunt.

Hab. in Suecia meridionali, minus frequens; in Scania circa Lund aliquoties capta. (♀ etiam e Glogavia a D. *Zeller* sine synonymo missa.).

♂♀. Simillima priori, a qua vero pedum geniculis flavidis & alis magis obscuris, nervis brunnescenti nigris certe differt. Abdomen vix ænescens. — In uno specimine masculo halterum clavam apice puncto nigro vidi, de cetero individuis genuinæ speciei simillimo. Hæc species affinis videtur *Syrph. cærulescenti* Meig. 3. 295. 33., sed hic oculis nudis a nostra differt.

30. *E. rostrata:* oculis hirtis oblonga, cærulescenti atra, nitida, pubescens; epistomate longe extenso, subbituberculato, nudo; antennis parvis, nigris l. fuscis, seta

subpubescente; alis fusco-hyalinis, squamis halteribusque albis; pedibus nigris, geniculis testaceis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: antennis parvis (in nostris speciminibus nigris); oculis cohærentibus; fronte nigra, nigro-pilosa, sulculo supra antennas impressa, margine inter antennas nigro; thorace & scutello nigro-pilosis; abdomine tenuiter griseo-hirto, dorsi disco antico opaco; alis hyalinis, parum fuscanis;

Fem.: antennis mediocribus (articulo ultimo in nostro specimine rufo-testaceo); oculis modice remotis; fronte nigra, depressim cinereo-pubescente, utrinque stria laterali obsoleta, margine antico inter antennas ferrugineo; corpore tenuiter & brevissime griseo-pubescente; abdomine supra toto nitido; pedibus (in nostro specimine) nigro-piceis; alis fuscanis præsertim in disco, (individuum forte juvenile).

Hab. in Suecia meridionali, 28 Jul.—20 Aug., rarissime; scilicet in Scania ad Lund 2 individua mascula, & ad Esperöd in parœcia Tranås exemplum unicum femineum inveni. Mense Decemb. 1842 sub nomine: "*Cheilosia producta*" utrumque sexum e Dania a D. *Staeger* obtinui.

♂♀. *Er. variabili* (14) sat affinis & similis, sed magnitudine paullo minore, abdomine magis oblongo-elliptico nec lineari, alis brevioribus, pedum geniculis testaceis, nec pedibus totis nigris, nervo transverso apicali a margine nonnihil magis remoto, & halteribus in utroque sexu albis, immaculatis, nec clava in mare puncto apicali fusco, distincta. Differt præterea & ab hac & a reliquis præcedentibus epistomate præsertim inferne longe producto, sub antennis valde retuso. Orbita oculorum albido-pubescens. Femorum summus apex, & tibiarum præcipue anteriorum basis anguste, rufescentes. Tibiæ anticæ summo apice etiam rufescunt.

Obs. In collectione aliena nuper vidi specimen femineum, in Scania captum, quod antennis totis, frontis margine antico

inter antennas pedibusque, nigris gaudet, omnino ut in mare descripto; sine dubio ad hanc speciem referendum.

31. *E. melanopa:* oculis hirtis oblonga, nigro-olivacea, nitida, pubescens; epistomate modice exserto, subbituberculato, subnudo; antennis parvis, nigris, seta subnuda; alis fusco-hyalinis, squamis albis, halterum clava fusca (♂); pedibus nigris. ♂. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; specimen descriptum ad diversorium Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino situm, d. 12 Jul. 1840 inveni.

♂. Similis *E. vernali* (21), sed antennis pedibusque totis nigris immaculatis facile dignota. Frons nigra, nigro-pilosa, margine antico inter antennas ferrugineo. Oculi distincte hirti. Epistoma non longe prominens, nigrum, nitidum, omnium levissime cano-pollinosum, tuberculo parum exserto, nudo. Thorax & scutellum nigro-pilosa, pilositate certo situ fusca. Abdomen æneum, nitidum, griseo-pilosum, disco dorsali atro, opaco. Alæ hyalinæ, basi & costa subfuscis. Squamæ albæ & albo-ciliatæ. Halteres sordide albi, clava fusca. Pedes nigri, pilosuli.

Obs. Cel. Prof. *Wahlberg* ad Holmiam nuper speciem *Eristalis* invenit, cujus descriptionem sequentem per litteras mihi communicavit:

"*Eristal. lineata* nov. sp. ♂. *E. cæmeteriorum* magnitudine & statura subæqualis, nigra, subopaca. Oculi pilosi. Frons distincte longitudinaliter unisulcata. Antennæ seta & articulis basalibus nigris, tertio orbiculato rufo. Clypeus nudus, nitidus longe infra oculos descendens, tuberculis magnis. Thorax nigro-pilosus, subopacus, lineis 2 (3?) latiusculis, opacis, atris. Abdomen nigro-æneum, subopacum, oblongo-ellipticum, apicibus segmentorum nigrioribus, subvelutinis. Pedes nigri, tibiarum basi latius testacea, pulvillis albidis. Alæ nonnihil infuscatæ. Halteres fusci."

Wahlb. — Cum nullum individuum hujus speciei vidi, nihil amplius de illa dicere possum.

32. *E. scutellata:* oculis nudis elongata, obscure olivacea, nitida, pubescens; epistomate modice exserto, nudo, tuberculo magno, lato; antennis mediocribus, fuscis, seta distincte pubescente; alis cinereo-hyalinis, squamis halteribusque albis; pedibus nigris, genubus, tibiarum basi apiceque flavis; scutelli apice in ♀ rufescente. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Mas: oculi cohærentes; antennæ parvæ fuscæ; epistoma immaculatum; thorax & scutellum nigro-pilosa, pilositate certo situ fusca, abdomen elongatum, cinereo-pilosum, supra: disco atro, opaco, limbo æneo, nitido; scutellum immaculatum;

Fem.: oculi modice remoti; frons nigra nitida, supra antennas impressa; antennæ nonnihil majores, rufo-fuscæ; epistoma ad os utrinque macula flava; corpus brevissime griseo-pubescens; abdomen ovato-oblongum, nitidum; scutelli apex rufo-testaceus.

Fall. Syrph. 55. 13. ♀. Zett. Ins. Lapp. 613. 17. ♂♀. *Syrph. scutellatus* Meig. Dipt. 3. 281. 12. ♂♀. t. 30. f. 29. ♀. *Cheilosia scutellata* Macq. Buff. 1. 560. 21. ♂♀.

Hab. in floribus, libenter Umbellatarum, per Scandinaviam, 29 Jun.—24 Aug., passim; scilicet in Scania, vulgaris; in Ostrogothia ad Häradshammar, Gusum, Lärketorp, Wadstena, Omberg &c., frequens; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Garde, Ejsta, Thorsborg, Kjellunge &c., haud raro; in Nericia ad Öskevik, D. *Dahlbom;* in Wermelandia ad Årås, rar.; in monte subalpino Stöttingsfjellet Lapponiæ Umensis, minus frequens; in Dania, D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* & e Berolino a D. *Hoffmann* missa).

♂♀. Statura *E. variabilis* (14). A prioribus: oculis in utroque sexu nudis mox differt. Femina ab omnibus scutelli apice rufescente & epistomatis macula utrinque ad os flava, satis distincta. Uterque sexus habet epistomatis tuberculum magnum, præsertim latum, fere totum interstitium inter oculos transversaliter implens. Orbita oculorum albida. Frontis margo anticus inter antennas jam niger, jam ferrugineus. Pedes nigri, trochanteribus, femorum apice, tibiarum basi apiceque, & tarsorum anteriorum articulis 4 basalibus, flavis. Tarsi postici in medio fusci. Callus humeralis in ♀ plerumque ferrugineus.

Obs. Cel. *Meigen* in parte 7:ma p. 123 retulit suam *Cheilosiam scutellatam* inter species "oculis hirtis" præditas. In nostris autem speciminibus, iisque multis, oculi in utroque sexu nudi sunt. Neque individua Silesiaca oculos hirtos habent.

33. *E. Soror:* oculis nudis elongata, obscure olivacea, nitida, pubescens; epistomate modice exserto, subbituberculato, nudo; antennis magnis, fulvis, seta distincte pubescente, atra; alis cinereo-hyalinis, squamis halteribusque albis; pedibus nigris, trochanteribus, genubus, tibiarum basi apiceque, flavis; scutelli apice in ♀ rufescente. ♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; ad Ejsta 2 Jul. 1841 specimen unicum deprehendi.

♀. Magnitudo, statura & affinitas præcedentis, cujus feminæ valde similis est, sed differt abunde antennis multo majoribus, exacte orbicularibus, fulvis, epistomatis tuberculo minus lato, ut & macula flava utrinque ad os nulla. Ab *E. Phantoma* (7), *chrysocoma* (8), *flavicorni* (10), & *luteicorni* (23), quibus quoque similis, dignoscitur, partim statura proportione longitudinis angustiore, partim pubescentia tenuiori, & ab his omnibus per oculos nudos nec hirtos, & scutelli apice rufescente. — Epistoma parum prominens,

levissime pollinosum, tuberculis nudis, nitidis. Orbita oculorum albida. Antennæ fulvæ, basi fuscæ. Frons, pedes & reliqua ut in priori.

34. *E. pubera:* oculis nudis oblonga, olivacea, nitida, pubescens; epistomate distincte prominente, subbituberculato, leviter pollinoso; antennis parvis, nigris, seta microscopice pubescente; alis cinereo-hyalinis, basi subbrunnescentibus, squamis halteribusque albidis; pedibus totis nigris. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Mas: oculi cohærentes; frons unisulcata, nigro-pilosa; corpus breviter griseo-pilosum; abdomen oblongum disco antico nigrum, opacum; alæ basi brunneo-nervosæ;

Fem.: oculi modice distantes; frons tenuiter griseo-pubescens, punctulata, trisulcata; corpus brevissime griseo-pubescens; abdomen oblongo-ovatum, totum æneum, nitidum; alæ basi testaceo-nervosæ.

Zett. Ins. Lapp. 613. 16. ♂.

Hab. in Scandinaviæ floribus ut Calthæ palustris, Ranunculorum &c., 5 Jun.—21 Jul., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, qui eandem etiam in Uplandia ad Holmiam invenit; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm, passim; in Lapponia Norvegica ex. gr. in inferalpinis Nordlandiæ ad Björkvik prope Ofotenfjord, rarissime; e Dania a D. *Staeger* ♂ missus 1838, ♀ 1842. (Etiam e Glogavia a D. *Zeller* in utroque sexu 1842 communicata).

♂♀. Similis *E. vernali* (21) statura & magnitudine, sed differt: epistomate pollinoso, nec nudo, oculis nudis, & pedum colore; ab *E. fraterna* (22), cui adhuc similior, per epistoma magis exsertum, oculos nudos, antennas pedesque tota nigra, ut & magnitudinem nonnihil minorem. — Epistoma per partem inferam distincte prominens, sub an-

tennis valde retusum, totum albo-pollinosum, atrum, tuberculis tantum denudatis, nitidis. Frons in ♀ mediocriter lata, sulcis 3 haud profundis. Alæ præsertim in ♂ ad basin fusco-brunneæ. Squamæ in utroque sexu albidæ. Halteres flavidi. Pedes parum pilosi. — Variat junior pedibus piceis. — *Syrphus viduus* Meig. Dipt. 3. 282. 9. ♀ (seu *Musca viduata* Fabr.) huic speciei simillimus videtur, sed propter "antennas rufescentes" vix ad hanc referendus.

35. *E. latifrons:* oculis nudis oblonga, obscure olivacea, nitida, pubescens; epistomate modice prominente, subbituberculato, nudo; antennis mediocribus, rufescentibus, seta subnuda; alis cinereo-hyalinis, squamis halteribusque albidis; pedibus nigris, trochanteribus, genubus, tibiarum basi apiceque, flavis; fronte in ♀ lata. ♀. (Long. 2½—fere 3 lin.)

Hab. in Suecia media & boreali, rarius; in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm 29 Jun.—16 Jul. 1840 tria specimina legi; ex Ostrogothia & in parœcia Häradshammar captum individuum femineum hujus mihi quoque misit Rever. D. Præpos. *Stenhammar*, qui marem (mihi ignotum) ibidem etiam legit. — D. *Staeger* etiam specimen hujus speciei (cui nomen *E. curvipes* proposuit) in Suecia superiori captum, mihi communicavit.

♀. A priori, cui alias similis, differt: epistomate minus prominente, magis denudato, antennis paullo majoribus, rufopiceis, pedum colore, & fronte in ♀ paullo latiore. Ab *E. vernali* (21) oculorum nuditate, frontis latitudine latiore &c. dignoscitur. — Orbita oculorum albida. Tubercula epistomatis parum elevata. Antennæ fusco-testaceæ, articulo 1:mo & seta obscuris. Frons nigro-ænea, punctulata, nitida, tenuiter pubescens, sulcis 3 obsoletis; antice transversim impressa; margine antico inter antennas sinuato,

piceo. Corpus tenuiter griseo-pubescens. Alarum nervi basi testacei. Squamæ albidæ. Halteres flavidi. Pedes nigri, trochanteribus, femorum apice, tibiarumque basi apiceque, flavo-luteis. Tarsi plerumque fusco-flavi, articulis 1:mo & 2 ultimis obscurioribus. Tibiæ posticæ latiusculæ, subcurvæ. — *Syrphum viduum* Meig. cum hac eundem esse putarem, nisi Cl. Auctor in descriptione expressis verbis dixisset: "Stirne nicht sehr breit", quod in nostra non obtinet. — Obs. Specimen Stægerianum ut "*Er. pubera* Zett. ♀" e Suecia media missa erit.

36. *E. longula:* oculis nudis elongata, nigro-olivacea, nitida, pubescens; epistomate modice prominente, subbituberculato, nudo; antennis parvis, nigris, seta distincte pubescente; alis obscure hyalinis, squamis fuscis, halteribus albidis; pedibus nigris, geniculis anterioribus pallidis; abdomine in ♂ lineari, in medio atro, opaco. ♂. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 613. 15. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi rarissime; ad Lycksele d. 17 Aug. 1832 duo specimina inveni.

♂♀. Similis *E. variabili* (14), sed colore corporis, squamis sub alis fuscanis & fusco-ciliatis, oculis nudis &c., facile dignota. Epistoma mediocriter exsertum, atrum, nitidum, orbita oculorum anguste albida. Antennæ subovales. Frons unisulcata, nigro-pilosa. Thorax olivaceo-niger, nigro-pilosus. Abdomen angustatum, sublineare, ad latera griseo-pubescens, segmento 1:mo glauco, 2 & 3 atris, opacis (horum 3:tio basi ad latera æneo), 4:to æneo, nitidissimo. Halteres flavo-albidi. Pedes nigri, anteriores femoribus summo apice tibiisque basi albidis. Reliqua ut in diagnosi.

37. *E. geniculata:* oculis nudis elongata, olivacea, nitida, pubescens; epistomate subbituberculato, pollinoso, in medio nudo; antennis nigris; alis hyalinis, squamis

halteribusque albidis; pedibus nigris, genubus luteis. ♀. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 612. 12. ♀.

Hab. in Norvegia, ubi in alpe Dovre a D. *Boheman* detecta; mihi non obvia.

♀. Magnitudo & statura prioris. Caput nigrum, dense griseo-pollinosum, macula verticis nigra. Frons lævis. Epistoma tuberculis denudatis, atris, lucidis. Antennarum articulus ultimus ovato-rotundatus. Thorax olivaceus, subnitidus, griseo-pubescens, præsertim in pleuris. Scutellum olivaceum, nitidum. Abdomen angustatum, parum griseo-pubescens, nitidum, nigrum, apice nigro-olivaceo. Alæ hyalinæ, immaculatæ; basi & stigmate parum fuscescentibus. Squama alba. Halteres pallide flavi. Pedes nigri, genubus præcipue anterioribus late flavo-luteis; antici metatarso oblongo, infuscato.

38. *E. Schmidtii:* oculis nudis oblonga, nigra, nitida, punctulata, breviter pubescens; epistomate distincte prominente, bituberculato, nudo; antennis parvis, nigris, seta subpubescente; alis subfuscanis, nervis nigricantibus, squamis albis, halteribus fuscis (♂), aut albidis (♀); pedibus totis nigris. ♂♀. (Long. 2—3¼ lin.).

Mas: oculi cohærentes; frons unisulcata & vertex, nigro-pilosa; halteres sordide albidi, clava nigricante l. fusca; thorax breviter atro-pilosus; abdomen tenuiter griseo-pilosum disco antico opacum;

Fem.: oculi non late distantes; frons longitudinaliter trisulcata, punctulata, breviter nigro-pubescens, supra antennas impressa, vertice piloso; antennæ nonnihil majores; corpus omnium tenuiter & brevissime flavido-puberulum; abdomen subovatum, totum nitidum, punctatum; halteres flavo-albi, in copula.

Var. a. ♂♀. major, 2½—3¼ lin. long., cærulescenti-atra.

Er. cæmeteriorum Fall. Syrph. 55. 11. var. *β.* ♂♀. certe. — Zett. Ins. Lapp. 613. 13. ♂♀.

Var. b. ♂♀. in copula; minor, 2—2½ lin. long., nigra l. olivaceo-nigra, nitida.

Hab. in Scandinaviæ floribus pratensibus & foliis fruticum, 15 Maj.—29 Aug., passim; scilicet var. a. in Scania ad Lund (D. v. *Borck)*, Fogelsång, Esperöd &c., non raro; in Ostrogothia ad Omberg (D. *Boheman)*, Lärketorp, Wadstena &c., frequens; in Ölandia & Gottlandia, rar.; in Wermelandia ad Årås; in Lapponia Norvegica rarius, nempe ad Hacksten in insula Schiervœ Nordlandiæ, & ad radicem Jockelfjeld Finmarkiæ; sed var. b. vix nisi in Scandinaviæ provinciis borealibus occurrit, ibi vero sat vulgaris; scilicet in Jemtlandia boreali ad Grimnäs & Fanbyn & per totam parœciam Undersåker ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen a D. *Dahlbom* & me sub mense Julio 1840 in utroque sexu copiose lecta; in Norvegia a Thynæs & Næs, usque ad Garnæs & Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino situm, quoque frequenter visa; rarissime hæc var. b. in provincias Scandinaviæ inferiores descendit & non nisi duæ feminæ, una in Ostrogothia ad Wadstena & altera in Scania ad Lindholmen cum var. a. mihi obviæ. Var. a. ♂. ad Neuen-Kirchen in Megalopoli (Mecklenburg Strelitz) d. 20 Maji 1842 a Cel. *Dahlbom* rarissime lecta; & var. b. etiam e Glogavia in uno specimine femineo a D. *Zeller* sine synonymia missa).

♂♀. Var a. & b. sine dubio ejusdem speciei, vix enim nisi magnitudine & loco differunt. — Epistoma longe prominens sub antennis excavatum, tuberculo superiori elevato; atrum, nitidum, lateribus in illæsis cinereo-pollinosum. Abdomen, in *mare* ovato-oblongum, antice opacum, apice nitidum &

sæpe olivaceo-nitens, præsertim in var. b.; in *femina* ovatum, totum nitidum, subglabrum. — Variat sæpe pedibus nigro-piceis.

Obs. Sub nomine *Syrph. nigripes* Meig. feminam varietatis a. olim e Dania obtinui. — Cel. D. Doctori *Schmidt*, Sedinensi, Entomologo magnæ famæ, qui multa insecta pretiosa mihi benigne communicavit, speciem hanc tribuendi jucundum duxi officium.

39. *E. lugubris:* oculis nudis oblonga, nigra, nitida, pubescens; epistomate non longe prominente, subbituberculato, nudo, antennis parvis, nigricantibus, seta subpubescente; alis cinereo-hyalinis, squamis halteribusque albidis, horum clava macula apicali fusca (♂); pedibus fusco-nigris, geniculis summis albidis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: oculis cohærentibus; thorace nigro-piloso; abdomine cinereo-piloso, supra basi opaco; halterum clava apice fusca;

Fem: oculis non late remotis, fronte obsolete tristriata, supra antennas impressa; corpore brevissime & tenuissime flavido-pubescente; abdomine oblongo-ovato, toto nitido, punctulato; halteribus albo-flavis, immaculatis, in copula.

Zett. Ins. Lapp. 614. 19. ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; in Ledo palustri Lapponiæ Suecicæ meridionalis Umensis ad Lyckscle d. 17 Jun. 1832 specimina typica inveni. In Ostrogothia ♂♀ etiam semel legi.

♂♀. Magnitudo & statura *E. mutabilis* (27). Oculi nudi, color corporis ater, epistoma cum tuberculis non longe exsertum, alæ cinereo-hyalinæ, basi nec brunnescentes, nec flavidæ, ut & pedes nigricantes, geniculis tantum summis albidis, speciem ab affinibus distingvunt. Epistoma atrum, nitidum, nudum. Orbita oculorum anguste albida. Anten-

næ & pedes sæpe fusca. Frons in ♂ unisulcata vertexque, nigro-pilosa. Squamæ sub alis in utroque sexu albæ.

Obs. Eristalem nasutam Zett. Ins. Lapp. 613. 14. ad genus *Psilotam* retulimus.

---

80. CHRYSOGASTER Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, oblongo-ovatum, nitidum, glabrum aut glabriculum. Antennæ fronti prominenti insertæ, longitudine non captis transversi (in n:o 8 capite sublongiores), nutantes, articulo ultimo aut orbiculato, aut rarius oblongo, basi seta semper dorsali, nuda. Epistoma infra oculos paullo descendens, in medio retusum, non l. parum tuberculatum, apice reflexum. Frons convexa, in ♀ sæpissime transversim striata. Oculi nudi, plerumque rufo-ferruginei, unicolores. Scutellum apice marginatum, depresso-attenuatum, nudum, l. paucissimi-pilosulum (♂). Abdomen depressum, rotundatum, rectum. Alæ ut in *Eristale.* Areæ discoidales apice inæquales. Pedes simplices, tibiis subrectis. *Color* metallicus. Pictura nulla. *Motus* sat celer, at in floribus sæpe morantur imagines. *Habitatio* in foliis plantarum, floribus, graminosis. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte cohærentibus, aut anguste disjunctis, fronte lævigata, epistomate interdum tuberculo parvo, scutello interdum pilis quibusdam apicalibus; *femina:* oculis sat late distantibus, fronte plerumque transversim, interrupte striata, epistomate absque tuberculo, scutello semper nudo. Typus generis: *Chrysogaster solstitialis.*

Subd. 1. Nervus alarum transversus subapicalis, qui aream discoidalem primam terminat, aut subrectus aut incurvatus, cum nervo longitudinali 5:to angulum subobtusum format. Antennæ rotundatæ. *Chrysogaster* Macq.

a). Oculi in ♂ cohærentes. Antennæ in utroque sexu parvæ.

1. *C. solstitialis:* glaber, æneo-niger, antennis fulvescentibus; alis halteribusque fuscis; abdominis disco holosericeo; fronte feminæ transversim interrupte striata. ♂♀. (Long. 2¼—fere 3 lin.).

Mas: oculi cohærentes, in vivo rufi; frons valde convexa, foveola longitudinali supra antennas impressa; epistoma tuberculo in medio obsoletissimo; thorax niger, opacus, brevissime puberulus; squamæ sub alis fuscæ;

Fem.: oculi sat late distantes, ferruginei; frons nitidissima, cærulescenti nigra, l. ænea, transversim interrupte striata, supra antennas transversim impressa; epistomate absque rudimento tuberculi; antennæ paullulum majores; thorax glaber, nitidus, disco ænescens; scutellum sæpissime cyaneum; squamæ sub alis albæ; in copula.

Eristalis Fall. Syrph. 56. 14. ♂♀. *Musca cæmeteriorum* Linn. Fn. Su. 1842? *Syrphus* Panz. Fn. 82. 17. ♀. certe. — *Eristalis* Fabr. Antl. 216. 65. *Chrysogaster* Meig. Dipt. 3. 268. 5. ♂♀. T. 30. f. 17. ♀. — Macq. Buff. 1. 562. 7. ♂♀. Löw Bemerk. 30. 1.

Hab. in floribus Umbellatarum, Ranunculorum, Artemisiæ vulgaris &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 22 Maj.—28 Aug., passim frequens; pluries in copula captus; scilicet in Scania ubique vulgasissimus; in Ostrogothia ad Wadstena, Omberg, Gusum, Häradshammar, Jonsberg &c., frequentissimus; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Ruthe, Garde, Ejsta, Stenkyrka &c., haud rarus; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, D. *Dahlbom*; in Dania non infrequens, D. *Staeger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missus, & e Glogavia a D. *Zeller* communicatus).

♂♀. *Musca domestica* parum major, ellipticus. Antennæ nigræ, articulo ultimo fulvo, seta fusca. Epistoma sub antennis fascia albo-pollinosa. Alæ fuscæ, basi flavidæ. Venter basi utrinque linea albida. — Variat antennis fusco-flavis l. fuscis. — Variat esiam alis basi plus minusve flavidis. — Variat denique femina junior ventre flavido, pedibus rufescentibus.

Obs. Nomen triviale, a Cel. *Fallen* impositum, retinui, ne hæc species cum *Erist. cœmeteriorum* confundatur. Synonymon *Linnæi* incertum ob descriptionem brevem & insufficientem.

2. *C. viduatus:* subpubescens, æneo-niger, antennis pedibusque nigris; alis subhyalinis, halteribus fuscis; fronte ♀ sublævigata. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Mas: oculi cohærentes, in vivo brunnei; frons convexa, pilosa; epistoma in medio tuberculatum; thorax distincte nigro-pubescens; abdominis discus nigro-holosericeus; alæ macula media obsoleta fusca;

Fem.: oculi late distantes, brunnei; frons nuda, lævigata, in medio longitudinaliter tenuiter bistriata, supra antennas sulculo transversim impressa; epistoma non tuberculatum, margine apicali distincte reflexo; thorax tenuiter griseo-pubescens; abdomen supra ænescens; in copula.

Meig. Dipt. 3. 269. 6. ♂♀. Macq. Buff. 1. 562. 9. ♂♀. Löw Bemerk. 31. 3. *Musca* Linn. Fn. Su. 1852. *Eristalis viduata* Fall. Syrph. 56. 15. ♀.

Hab. in graminosis & floribus, in pratis & versuris agrorum, per Scandinaviam, 15 Maji—15 Jul., vulgaris; in copula pluries captus; scilicet in Scania, Blekingia & Ostrogothia, copiose; in Ölandia, Bahusia, Nericia & Uplandia, freq.; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, passim; in Dania, D. *Staeger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg* missus; etiam e Glogavia & Wienna a D. *Zeller* sine synonymia ♂ communicatus).

♂♀. Antennæ parvæ pedesque, nigra, halteres fusci, frons in ♀ lævigata & thorax in ♂ obscure pubescens, hanc speciem præcipue denotant. Alæ plerumque hyalinæ, basi non pallidæ, disco plus minus infuscatæ, stigmate semper fusco. Squamæ sub alis albidæ, in speciminibus Norvegicis in ♂ subfuscis. — Variat ♀ fronte nigra, antice ad latera transversim subrugosa, & hæc forte *Chrysogaster viduata* Meigeni genuina. Individua mascula e Silesia missa, squamis sub alis magis obscuris & exemplis Norvegicis simillima, sine dubio sub Löwianis l. c. latent.

3. *C. chalybeatus:* subglaber, æneo-niger, antennis fusco-rufis; thorace cupreo (♂), aut cyanescente (♀); alis sub-hyalinis, basi flavidis; halteribus fuscanis (♂), aut albidis (♀); fronte ♀ transversim interrupte striata. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: thorace tenuiter pubescente, scutelloque, cupreo-æneis; squamis sub alis halteribusque subfuscanis; alis disco macula fusca;

Fem.: fronte lata, ænea, nitida, supra antennas transversim impressa, ad latera transversim striata, striis per carinam parum elevatam, lævissimam interruptis; thorace nudo, cyanescente, scutello cyaneo; alis disco subimmaculatis; squamis halteribusque sordide albidis.

Meig. Dipt. 3. 267. 4. ♀. certe. — Macq. Buff. 1. 561. 6. ♀. — *Chrysog. cupraria* Macq. Buff. 1. 562. 8 & Meig. Dipt. 7. 122. 19. ♂ forte hujus?

Hab. in Scania mense Junio passim, ad Bollerup, D. *Pettersson*, circa Lund, ipse; femina frequentior occurrit; in Dania, D. *Staeger*, qui etiam specimen masculum sub nomine "*Chrys. cuprarius* Meig.", quod marem *chalybeati* fere existimarem.

♂♀. Valde similis *C. solstitiali*, sed sæpe paullo minor, antennis nonnihil obscurioribus, thorace in ♂ cuprescente, in

♀ cyanescente, alis minus infuscatis &c., diversus videtur. Abdominis discus dorsalis in ♂ late, in ♀ anguste, ater, opacus. Frons & epistoma in ♀ nonnihil forte latiora, quam in ♀ *C. solstitialis.*

4. *C. nudus:* subglaber, niger, antennis concoloribus; halteribus obscuris; alis fuscanis; thorace in ♂ atro-tristriato; fronte in ♀. sublævigata. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: frons atro-pilosa; thorax & scutellum tenuiter nigro-pubescentia, ille lineis dorsalibus 3 atris; abdomen dorso atro holosericeo; margine laterali anguste & ano, æneo-nigris, nitidis;

Fem.: frons modice lata, nuda, lævis, per medium longitudinaliter bistriata, ad latera levissime transversim substriolata; thorax niger, nudus, nitidus, immaculatus; abdomen nigro-æneum, nitidum, disco vix l. tantum anguste nigro.

Macq. Buff. 1. 562. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 122. 20.

Hab. in Scania circa Lund mense Junio, in copula sæpe deprehensus; e Dania uterque sexus sub nomine allato a D. *Staeger* missus. (In floribus & graminosis in Fagetis ad Eldenam prope Gryphiam plura specimina utriusque sexus d. 28 Maji 1842 a D. *Dahlbom* lecta mihique communicata).

♂♀. *C. viduato* (2) valde similis, sed plerumque paullo minor, glabrior præsertim ♀, antennis forte minoribus, thoracis lineis 3 nigris in ♂ distinctis, alis in utroque sexu magis præsertim disco fuscanis & halteribus nigris, diversa. Squamæ sub alis sordide albidæ. Caput totum nigrum.

b.) Oculi in utroque sexu distantes. Antennæ magnæ aut mediocres.

5. *C. metallicus:* viridi-æneus, nitidus, antennis tarsisque nigris; scutello marginato; alis subhyalinis;

fronte feminæ transversim interrupte striata. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 2½ lin.).

Mas: antennis magnis, orbiculatis, atris; fronte minus lata, punctulata, striola media longitudinali impressa; abdomine oblongo;

Fem.: antennis majusculis (minoribus tamen quam in ♂), articulo ultimo ovato-rotundato, nigro, aut nigro-fusco; fronte lata, in medio utrinque transversim striata, striis per sulculum medium longitudinalem interruptis; abdomine magno, rotundato; in copula.

Var. a. ♂♀. abdomine in utroque sexu viridi-æneo.

Meig. Dipt. 3. 267. 3. ♀. Macq. Buff. 1. 561. 4. ♀. Zett. Ins. Lapp. 615. 1. ♂♀. *Eristalis* Fabr. Antl. 246. 67. Fall. Syrph. 57. 16. ♂♀. *Chrys. discicornis* Meig. Dipt. 3. 270. 8. ♂. Löw Bemerk. 31. 5. ♂.

Var. b. ♀ (in copula cum ♂ varietatis a.), abdomine supra violaceo, margine æneo. *Chrys. violacea* Meig. Dipt. 3. 267. 2. ♀. Macq. Buff. 1. 561. 2. ♀.

Hab. in floribus & graminosis, sæpe locis paludosis, per Scandinaviam, 20 Maji—Jun.—Jul.—29 Aug., vulgaris, in copula pluries captus; scilicet in Scania ubique copiosissimus; in Blekingia, Smolandia & Ostrogothia quoque frequentissimus; in Ölandia ad Ekerum &c. passim; in Gottlandia ad Ruthe, Westö, Furillen, Garderums, Eke, Stenkyrka &c. vulgaris; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* supra Nericiam mihi non obvius; e Dania a D. *Staeger* missus. (Ad Hamburgum, Neuen Kirchen atque etiam ad Eldenam Germaniæ a D. *Dahlbom* frequenter lectus). Var. a. multo frequentius occurrit.

♂♀. Totus viridi-æneus, nitidus, glaber l. subglaber. Oculi brunnei. Epistoma impressum, non tuberculatum, albo-pollinosum, apice distincte reflexum, nudum. Scutellum

apice marginatum. Alæ cinereo-hyalinæ, disco parum infuscatæ, basi pallescentes, nervo apicali aream primam terminante, valde arcuato. Halteres & squamæ, pallida. Pedes ænei, tarsis nigris. — Variat colore capitis corporisque cærulescente.

6. *C. tarsatus:* viridi-ænens, nitidus, antennis nigris, subtus subbrunneis; tarsis medio flavis; scutello marginato; alis subhyalinis; fronte feminæ transversim interrupte rugosa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Mas: antennis majusculis, orbicularibus atris, subtus anguste, vel saltem macula intus sæpissime, ochraceis; fronte non lata, punctulata, striola media longitudinaliter impressa; abdomine oblongo, æneo;

Fem.: antennis majusculis, articulo ultimo oblongo-ovato, subtus ochraceo; fronte latiori, utrinque rugosa l. confuse striata, striis per lineam longitudinalem in medio interruptis; abdomine magno rotundato, disco violaceo.

Meig. Dipt. 3. 271. 10. ♂. *Chrysogaster splendida* Meig. Dipt. 3. 271. 11. ♀. Macq. Buff. 1. 563. 12. ♀. Löw Bemerk. 31. 7. ♀. An *Chrys. rufitarsis* Löw l. c. 31. 6. ♂?

Hab. in Suecia meridionali & media, 10 Jun.—29 Jul., in floribus & graminosis, passim rarius; scilicet in Scania ad Kjellby prope Lund uterque sexus, D. *Dahlbom*, ad Esperöd, ipse; in Oelandia rar.; in Gottlandia ad Stenkyrka; in Uplandia ad Holmiam in florib. Cari Carvi, D. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam in copula a D. *Staeger* inventus.

♂♀. Priori similis, sed minor, & tarsorum colore a præcedentibus mox dignotus. Epistoma, alæ, squamæ sub alis & halteres omnino ut in *C. metallico.* Antennæ nonnihil minores, quam in priori, & articulus ultimus subtus basi plus minus late rufescens. Frons etiam ut in præcedente, sed in ♀ minus distincte ad latera striata. Tarsi nigri, an-

tici: articulo 1:o apice, 2 & 3 totis, flavis; posteriores: articulis 2 & 3 flavis. Corpus nudum, æneum, sed variat capite, thorace antice scutelloque, cærulescentibus. Abdomen in ♂ sæpissime totum æneum, in ♀ æneum disco semper violaceo.

Subd. 2. Nervus alarum transversus subapicalis, qui aream discoidalem primam terminat, subrectus, cum nervo longitudinali 5:to angulum subacutum format. Antennæ oblongæ aut elongatæ. *Orthonevra* Macq.

7. *C. nobilis:* æneus, abdominis disco atro-purpureo; antennis elongatis nigris, subtus ferrugineo-maculatis; alis hyalinis, stigmate fusco; pedibus nigricantibus, immaculatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: oculis cohærentibus, abdomine oblongo;

Fem.: oculis modice distantibus; fronte utrinque transversim striata, striis per lineam mediam longitudinalem lævem anguste interruptis; in copula.

Meig. Dipt. 3. 272. 13. ♂♀. T. 30. f. 18. ala. — Zett. Ins. Lapp. 615. 2. ♂♀. *Eristalis* Fall. Syrph. 57. 17. ♂♀. (sub qua etiam species proxime sequens latet). — *Orthonevra* Macq. Buff. 1. 564. 2.

Hab. in floribus Ranunculi, Dauci &c., per Scandinaviam, 15 Jun.—16 Jul., passim, in copula; scilicet in Scania ad Esperöd; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, Häradshammar, Jonsberg &c., frequens; in Ölandia, rar., D. *Dahlbom;* in Westrogothia ad Gothoburgum & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Lycksele, passim; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, haud raro.

♂♀. Totus æneus, subglaber, subnitidus. Antennæ vix capitis longitudine, articulo ultimo elongato, nigro, subtus macula ferruginea. Epistoma retusum, apice reflexum.

Alæ hyalinæ, macula disci sub stigmate obscuro, fusca, obsoleta. Squamæ albæ. Halteres flavi. Thorax fusco-striatus. Pedes ænescenti nigri, tarsis nigris. Scutellum marginatum. — Variat scutello thoraci concolore, aut interdum cærulescenti.

8. *C. elegans:* æneus, abdominis disco atro-purpureo; antennis capite sublongioribus, linearibus, nigris, subtus ferrugineis; oculis linea media transversa purpurea; alis hyalinis, stigmate pallescente; pedibus nigricantibus, genubus metatarsisque flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Mas: oculis cohærentibus, fronte supra antennas convexa, nitida, in medio impressa;

Fem.: oculis modice distantibus, fronte utrinque transversim striata, striis per lineam mediam longitudinalem lævem anguste interruptis; abdomine ovato.

Meig. Dipt. 3. 272. 14. ♂. *Orthonevra* Macq. Buff. 1. 564. 1. ♂.

Hab. in Suecia rarius; in Ostrogothia ad Wadstena utrumque sexum inveni; e Westrogothia quoque a D. *Gyllenhal* olim missus.

♂♀. Antennarum longitudo & tenuitas, oculorum linea media purpurea, alarum stigmatis palliditas pedumque pictura, speciem facile distingvunt. Similis priori; nitidus. Antennæ capite fere longiores, valde angustæ, præsertim in ♀. Epistoma retusum, sed (♂) in medio transversim nonnihil elevatum. Thorax dorso parum nitidus, lineis 4 cupreis. Alæ hyalinæ, immaculatæ, stigmate pallescente. Nervorum directio, squamæ & halteres ut in præcedente. Pedes nigricantes, genubus omnium, metatarsis anteriorum & tarsorum articulis 2 basalibus posticorum, flavis.

9. *C. geniculatus:* æneus: abdominis disco atro-purpureo; antennis vix capitis longitudine, sublinearibus, nigris, subtus ferrugineis; oculis immaculatis; alis hyali-

nis, puncto basali stigmatis pallescentis nervoque transverso ordinario, fuscis; pedibus nigricantibus, genubus metatarsisque flavis. ♂♀. (Long. circit. 2 lin.).

Mas: oculis cohærentibus, fronte supra antennas depressa, subpunctulata;

Fem.: oculis modice distantibus, fronte ut in ♀ præcedentis; in copula.

Meig. Dipt. 6. 352. 16. ♀. e specimine Suecico — Forte etiam Löw Bemerk. 31. 10? ♂♀. *Chrysogaster fuscipennis* Zett. Ins. Lapp. 615. 3. ♂.

Hab. in floribus Salicum, in foliis Betulæ &c., per Scandinaviam, 20 Maji, 18 Jul., passim rarius, in copula deprehenssus; scilicet in Scania ad Abusa prope Lund & ad Esperöd, haud parce; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena &c., passim; in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ ad Evenäs prope Ofotenfjord, rarissime lectus.

♂♀. Priori valde similis & cum illo facile confundendus, sed plerumque nonnihil major, & antennis brevioribus, paullulum latioribus, oculis immaculatis, alarum nervulo transverso ordinario fuscedine plerumque perspicue cincto, ut & macula parva obliqua ad apicem nervi auxiliaris juxta stigma nigricante, distinctus. — Variat colore corporis æneo l. virescente, pictura alarum fusca plus minus obsoleta, fuscedine disci interdum dilatata (ut in specimine masculo Norvegico), & tandem metatarsis anterioribus minus flavis fere fuscis.

Obs. Synonymia Cel. Professoris *Löwii* hujus speciei dubia, quia in figura ejus 46 antenna fere ovata saltem latior quam in nostris individuis, iisque plurimis repræsentatur. — Cel. D. D. *Wahlberg* & *Stenhammar* me per litteras notum fecerunt, se *Chrysogast. elegantem* ad Gusum & Häradshammar Ostrogothiæ, nec non ad Holmiam, rarissi-

me invenisse; sed cum exempla comparare non potui, pro certo dicere non audeo an illa ad *C. elegantem* aut *geniculatum* rectius sint referenda. Ipsi decidant.

---

81. PIPIZA Fall.

Corpus mediæ magnitudinis, ovato-oblongum, subpubescens, subnitidum. Antennæ fronti subprominenti insertæ, nutantes, longitudine capitis transversi, aut illo nonnihil breviores, articulo ultimo ovato aut rotundato, raro elongato; compresso, basi seta dorsali nuda. Epistoma declive, parum convexum, læve, non impressum; infra oculos vix descendens, apice non reflexum. Oculi obscure brunnei, hirsuti. Abdomen oblongo-ovale, incurvum. Alæ ut in *Eristale.* Nervi apicales transversi, qui areas 2 discoidales terminant, subrecti, superior interdum inflexus. Femora postica reliquis sæpissime nonnihil validiora, tibiis rectis. *Color* ater (in *P. campestri* &c. æneseens), pictura, dum adest, in abdomine rufo-punctata l. maculata. *Motus* celer. Reptatus in floribus, alis expansis. *Hospitium* in floribus pratensibus. *Differentia sexus; mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis distantibus, fronte transversim non striata. Typus generis: *P. noctiluca.*

Subd. 1. abdomine maculato.

A. Maculis abdominis duabus.

*) Alæ maculatæ: fuscedine scilicet plerumque in maculam disci versus costam distinctiorem collecta.

1. *P. noctiluca:* antennis longitudine vix capitis, ovatis, nigra; abdominis segmento 2:do maculis 2 transversis flavis; geniculis metatarsisque anterioribus albidis; alis hyalinis, fascia media fusca, nervo apicali aream primam terminante subflexo. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: nigro-vel fusco-pubescens; abdominis maculis ovatis flavis; alis leviter subfuscanis;

Fem.: cinereo-pubescens; oculis modice distantibus, fronte lævi, nigra, utrinque juxta oculos cinereo-maculata; abdominis maculis ovatis fulvis; alis hyalinis, fascia media fusca, ad marginem interiorem non extensa.

Fall. Syrph. 59. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 244. 6. ♂♀. Macq. Buff. 1. 568. 3. ♂♀. Löw Bemerk. 29. 3. Zett. Ins. Lapp. 615. 1. ♂♀. *Musca noctiluca* Linn. Fn. Su. 1844. certissime. — *Eristalis* Fabr. Antl. 247. 69. *Milesia* Latr. Gen. 4. 332. *Syrphus rosarum* Panz. Fn. Germ. 95. 21. ♀ certe.

Hab. in floribus & foliis plantarum, per Scandinaviam, 20 Maji—15 Aug., passim; scilicet in Scania: in Paradislyckan prope Lund, ad Abusa, Fogelsång, Röstånga (D. *Dahlbom)*, Esperöd &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Jonsberg, Lärketorp, Wadstena &c., sæpe solitarie capta; in Calmaria ad Dalhem; in Ölandia rarius; in Gottlandia ad Sproge, D. *B. F. Fries*, ad Nähr & Gothem, ipse; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ex. gr. in Dyrœn Nordlandiæ rarissime; in Dania parce, D. *Staeger*. (Ad Rixdorf, Johannis Thal & Rudover prope Berolinum uterque sexus a Cel. *Dahlbom* medio Jul. 1842 lectus mihique communicatus. E Glogavia, D. *Zeller)*.

♂♀. Punctata, atra. Squamæ sub alis & halteres, alba. Pedes nigri, geniculis anterioribus tibiisque sæpe apice, & metatarsis, albidis. Tarsorum articulus 2:dus sæpe etiam albidus. Pedum posticorum metatarsus (aut totus aut saltem apice plerumque albidus) & femora, subcrassiora. Antennæ capite fere breviores, fusco-nigræ. Scutellum vix attenuatum. Alæ in ♂ sæpe parum fuscanæ. — Maculæ

abdominis subapproximatæ seu anguste distantes. — Mares plerumque majores.

Var. b. ♀. monstrosa; nervis apicalibus transversis, qui areas 2 discoidales terminant, dimidiatim abbreviatis. In Ostrogothia semel lecta.

2. *P. luteitarsis:* antennis longitudine vix capitis, ovatis, nigra, griseo-pubescens; abdominis segmento 2:do maculis 2 transversis flavis; geniculis omnibus, tibiis anterioribus apice, tarsisque totis, flavo-fulvis; alis hyalinis, macula costali in medio alæ fusca obsoleta, nervo apicali subflexo. ♂. (Long. 3½ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in Scania ad Lund d. 26 Maj. 1830 semel a D. *Dahlbom* inventa. (E Glogavia a D. *Zeller* mihi quoque sine synonymia missa).

♂. Magnitudo & summa præcedentis similitudo, sed pubescentia corporis cinerea l. grisea, & tarsis anterioribus totis fulvo-flavis, distincta. Frons nigro-pilosa. Epistoma fusco- l. griseo-pubescens. Abdominis maculæ rufæ late distantes. Alæ in medio subfuscæ. Squamæ & halteres, sordide albida. Pedes nigri, genubus & tibiis omnibus basi flavis. Anteriorum tibiæ apice, tarsique toti, fulvo-flava. Tarsi postici fusci, metatarso incrassato.

Obs. 1. Specimina Zelleriana a nostra *P. luteitarsi* differunt: epistomate cinereo-pubescente, abdominis maculis rufis magis perspicuis, alarum macula media distinctiori, ut & tarsis etiam posticis totis flavis; vix vero specie diversa.

Obs. 2. *Pip. geniculata & signata* Meig. parum a nostra *P. noctiluca* differre videntur; hæc in Dania inventa erit, teste D. *Staeger*, a me non visa.

**) Alæ immaculatæ: totæ scilicet aut hyalinæ, aut fusco-hyalinæ.

3. *P. obsoleta:* antennis longitudine vix capitis, majusculis rotundatis, nigra, cinereo-pubescens (♀); ab-

dominis segmento 2:do maculis 2 transversis rufis; pedum anteriorum genubus metatarsisque flavo-albidis; alis hyalinis, stigmate dilute fusco. ♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 616. 2. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi rarissime; ad Lycksele d. 2 Aug. 1832 semel inventa.

♀. Simillima *P. noctilucæ*, sed differt: antennnarum articulo ultimo nonnihil majore & rotundato, maculis abdominis paullo minoribus, magis obsoletis & distantibus, ferrugineis (nec flavis), alis immaculatis, ut & geniculis metatarsisque tantum anterioribus flavidis. — Forte inter species, quas D. *Meigen* l. c. sub numeris 7—13 descripsit, hæc etiam latet.

4. *P. binotata:* antennis longitudine vix capitis, rotundato-suborbiculatis, cærulescenti nigra, cinereo-pubescens (♀); abdominis segmento 2:do maculis 2 transversis ovatis flavis; genubus anterioribus flavo-albidis; tarsis omnibus basi fusco-flavis; alis hyalinis. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♀. alis hyalinis, stigmate fusco.

Zett. Ins. Lapp. 616. 3. ♀. An var. *Pip. fenestratæ* Meig. Dipt. 3. 248. 13?

Var. b. ♀. alis vitreis, stigmate dilute fusco.

P. biguttula Zett. l. c. 5. ♀.

Hab. in floribus variis, & foliis Betulæ albæ, per Scannaviam mediam & borealem, 15 Jun.—2 Aug., rarius lecta; scilicet var. a. in Ostrogothia ad Wadstena, in Gottlandia ad Lummelund & in Lapponia Umensi ad Lycksele, 3 specimina inveni; var. b. ad Lycksele, atque in Nordlandia Norvegica ad Evenäs parcissime lecta.

♀. Similis priori, sed antennis forte magis orbicularibus, colore corporis at præsertim capitis magis atro, in cærule-

scentem vergente, maculis abdominis majoribus, ovatis, minus distantibus, flavis (nec rufis), & metatarsis minus pure flavidis, distincta. — Cinereo-pubescens, pubescentia frontis nigricante. Antennæ nigræ. Maculæ abdominis ut in *P. noctiluca* (1). Squamæ & halteres, alba. Pedes nigri, nitidi. Femora postica crassiora, geniculis summis flavidis. Genua autem anteriora perspicue flavo-albida. Tarsi omnes basi flavescentes. — Alæ in specimine Gottlandico in medio levissime fuscanæ.

5. *P. guttata*: antennis capite brevioribus, rotundatis, nigra, nigro- (♂), aut cinereo- (♀) pubescens; abdominis segmento 2:do maculis 2 transversis subovalibus flavis; pedum anteriorum geniculis tarsorumque articulis 2 basalibus flavis; alis hyalinis, stigmate dilute fusco. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: oculi cohærentes; frons atro-pilosa; totus nigro-pubescens; Abdominis maculæ transversæ mediocres, ovales, modice distantes;

Femina (forte hujus?): tota cinereo-pubescens; oculi distantes; frons nigro-pubescens, macula utrinque cinerea; maculæ abdominis subovatæ.

Meig. Dipt. 3. 217. 12? ♂♀. Macq. Buff. I. 569. 5? ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Scania meridionali unicum marem prope Lund, unicamque feminam ad Fogelsång (juxta Lund) d. 1—5 Jul. 1830 inveni.

♂♀. Similis *P. binotatæ*, differt vero antennis forte paullo minoribus, colore corporis nigro, nec cæruleo-micante, & articulis tarsorum anteriorum 2 basalibus flavis. Abdominis maculæ fere ut in *binotata*. — Variat ♂ tarsis obscuris.

6. *P. notata:* antennis longitudine vix capitis, ovatis, atra, cinereo-pubescens (♀); abdominis segmento 2:do maculis 2 transversis haud latis rufis; pedibus nigris,

geniculis anterioribus summis pallescentibus; alis hyalinis, stigmate dilute fusco. ♀. (Long. fere 2½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 216. 10. ♀. Macqu. Buff. 1. 569. 4?

Hab. in Scania rarissime. Ut "*Pip. bimaculata* Meig." specimen unicum e Dania a D. *Staeger* d. 24 Oct. 1842 quoque communicatum.

♀. A prioribus hujus subdivisionis differt: antennis minus rotundatis, subovatis, tarsis obscuris, & magnitudine nonnihil minore. — A *P. obsoleta* (3), cui præsertim similis, antennis minoribus, pedibus magis obscuris & maculis abdominis minus remotis. — Nitida. Frons nigro-pubescens; macula utrinque cinerea. Abdominis maculæ ferrugineæ parum latæ, subapproximatæ, utrinque subacutæ. Genua anteriora apice summo sordide flavescentia. — A *P. bimaculata* Meig. differre videtur: maculis abdominis rufis, nec "sulphureis", & stigmate alarum flavo-fusca, nec "flava".

7. *P. hyalipennis:* antennis longitudine vix capitis, majusculis rotundatis, atra, nigro- (♂), aut cinereo- (♀) pubescens; abdominis segmento 2:do punctis 2 minutis rufis (♂), aut flavis (♀); pedibus nigris, geniculis anterioribus summis pallescentibus; alis hyalinis, stigmate dilute fusco. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 616. 4. ♂.

Hab. in Scandinavia boreali mense Julio rarissime; marem scilicet ad Lycksele Lapponiæ Umensis, & feminam (forte hujus) in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ deprehendi.

♂♀. A priori, cui alias valde similis, antennis paullo majoribus, magis rotundatis & abdominis maculis minoribus magis remotis, & a *P. obsoleta* (3) punctis abdominis minutis, vix maculas transversas formantibus, colore corporis atro, nec cæruleo-micante, ut & tarsis totis fuscis, meta-

tarso parum dilutiori, distincta. — Genua tantum summa pallescunt.

Obs. Specimen masculum alterum hujus speciei, ad Lycksele captum, in Collect. Nobil. *Fåhræi* etiam asservatur.

8. *P. flavitarsis:* antennis longitudine capitis, oblongis, cærulescenti-atra, cinereo-pubescens (♀); abdominis segmento 2:do punctis 2 minutis rufis; pedibus atris, anteriorum genubus tarsorumque articulis 2 basalibus flavis, posticorum tarsis medio pallidis; alis cinerascentibus. ♀. (Long. 2½ lin.)

Meig. Dipt. 3. 248. 14. ♂♀. Macq. Buff. 1. 569. 7. ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Ölandia a me 2 individua inventa.

♀. Antennarum forma a præcedentibus mox dignota. Antennæ longitudine capitis, cuneatæ seu oblongæ, sublineares, apice rotundatæ, totæ nigræ nitidæ. Caput cærulescens, fronte nigro-pubescente. Corpus atrum. Alæ cinerascentes, stigmate flavido. Squamæ & halteres, alba. Pedes nigri, genubus anterioribus distincte (sat late) tarsorumque articulis 2 basalibus flavis. Metatarsus posticus incrassatus niger, apice articulisque 2 & 3 sequentibus totis, flavis. Puncta abdominis 2 parva, modice remota, sangvinea. Femora omnia subæqualia.

Obs. Tarsorum anteriorum articuli "3" basales a D. *Meigen* "flavi" dicuntur; in nostris vero speciminibus tantum 2 articuli ita colorati deprehenduntur. Cel. *Meigen* marem: "antennis capite paullo brevioribus, obscure brunneis", etiam descripsit, a me talem non visum.

9. *P. vitrea:* antennis longitudine capitis, oblongis, atro-cærulescens, cinereo-pubescens (♀); abdominis segmento 2:do punctis 2 minutis rufis; pedibus atris, anteriorum genubus tarsorumque articulis 2 basalibus flavis, posticorum tarsis medio pallidis; alis hyalinis. ♀. (Long. 2¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 249. 15. ♀. Macq. Buff. 1. 570. 8. ♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Ölandia, D. *Wahlberg*; in Westrogothia ad Gothoburgum d. 28 Jun. a D. *Eb. Rosenschöld* capta; e Dania a D. *Staeger* 1838 missa.

♀. Simillima priori, cujus forte mera varietas, & a qua vix nisi alis magis hyalinis differt. Thorax & præsertim scutellum in *P. vitrea* paullo distinctius cyaneo-micantia etiam videntur, quam in *flavitarsi.*

B. maculis abdominis quatuor.

10. *P. 4-maculata:* antennis capite brevioribus, rotundatis, fusco-testaceis, nigra, nigro- (♂), aut cinereo- (♀) pubescens; abdominis segmentis 2:do 3:tioque maculis 2 tranversis flavis; pedibus nigris, geniculis anterioribus flavis, tarsis fuscis; alis cinerascentibus. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Mas: ater, nigro-pubescens, abdomine elliptico, maculis 4 flavis mediocribus;

Fem.: subænescenti nigra, breviter cinereo-pubescens, abdomine latiore, rotundato, maculis 4 flavis plerumque majusculis.

Var. a. ♂♀. 3 lin. long. alis cinerascentibus.

Fall. Syrph. 59. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 219. 16. ♂♀. Macq. Buff. 1. 570. 9. ♀. Zett. Ins. Lapp. 616. 6. ♂♀. Löw Bemerk. 29. 6. *Syrphus 4-maculatus* Panz. Fn. Germ. 86. 19. ♂.

Var. b. ♀. alis hyalinis; plerumque paullo minor.

Zett. l. c. var. b. ♀. An *Pip. 4-guttata* Macq. Buff. 1. 570. 10? ♀. quæ tamen major est.

Var. c. ♀. 3 lin. long.; similis var. a, at abdominis maculis 2 in segmento 3:tio obsoletis, rufescentibus.

Hab. in floribus pratensibus, per Scandinaviam, 10 Jun.—12 Jul., passim; scilicet var. a.: in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena, D. *Dahlbom*; ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Sanda & Nähr, rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Barrsele & Tresunda, passim; in Norvegia: in alpe Dovre, D. *Boheman*, ad Thynæs & Levanger, ipse. (E Glogavia a D. *Zeller* ♀ communicata). — Var. b. ad Lycksele & in Ostrogothia rar. Var. c. ad Umenäs Lapponiæ Umensis, rarissime. (Var. c. etiam e Glogavia missa).

♂♀. Abdominis pictura a reliquis facile dignota. Antennæ breves, nigræ, articulo ultimo rotundo, testaceo aut fusco-testaceo. Frons in ♂ nigro-pilosa; in ♀ nigro-pubescens, æne-scenti nigra, nitida. Alarum nervus transversus apicalis, qui aream primam terminat, parum flexus. Squamæ albæ, halteres pallide flavi. Abdominis maculæ 4 transversæ, modice distantes variant aut mediocres ellipticæ, aut majusculæ ovatæ, flavæ, raro rufescentes & obsoletæ, ut in var. c. Pedes nigri, genubus anterioribus flavis. Tarsi anteriores fusci l. flavidi. Genua postica summo apice interdum pallescunt. Tarsi postici: articulo 1:mo incrassato, apice, 2 & 3 totis, fuscis l. flavidis.

Subd. 2. abdomine immaculato.

A. Antennæ capite paullo breviores, rotundatæ (in *P. geniculata* 18. oblongæ).

*) alis maculatis. Majores.

11. *P. lugubris:* nigra, cinereo-pubescens, geniculis anterioribus summis ferrugineo-albidis, tarsis medio fuscis; alis vitreis, macula media nigra. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Vix Meig. Dipt. 3. 250. 18?? (ferrugineo-pubescens, genubus tarsisque ferrugineis) ♂♀. — Macq. Buff. 1. 571.

13? Zett. Ins. Lapp. 617. 7. ♀. *Eristalis lugubris.* Fabr. Antl. 246. 61. certe.

Hab. in floribus Umbellatarum &c., per Scandinaviam, 17 Maji—12 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., passim; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum & Häradshammar; in Ölandia & Gottlandia minus frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, qui eandem ad Gothoburgum & Marstrand etiam invenit; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarissime; in Dania, D. *Staeger*. (E Spitzberg, monte alto in Silesiæ planitie fere jacente, a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Simillima *P. noctilucæ* (1.), sed pubescentia corporis in utroque sexu cinerascente, alis vitreis, macula media costali nigro-brunnea determinata, ut & abdomine immaculato, abunde differt. Tarsi medio interdum etiam basi fusci l. ferruginei. Femora postica crassa. — Variat antennis fuscis. — In specimine femineo Lapponico tarsi fere toti nigri.

12. *P. vana:* nigra, nigro-pubescens, tarsis medio fusco-ferrugineis; alis hyalinis, macula media fusca obsoleta, stigmate nigro. ♂. (Long. 3—3¼ lin.).

Hab. in Scania circa Lund medio mensis Julii parce; ex. gr. in Paradislyckan &c.

♂. Magnitudo, statura & affinitas *P. luteitarsis* (2.), sed pubescentia obscuriore, tarsis tantum in medio subferrugineis & abdomine immaculato præcipue distincta. A priori, cui etiam valde similis, pubescentia nigriore, pedum geniculis vix summo apice ferrugineis, femoribus posticis paullo minus incrassatis, alarum macula media minus perspicua, ut & magnitudine corporis sæpe nonnihil majore, differt. — Frons & epistoma atro-pilosa. Thorax obscure l. fusco-pubescens. Abdomen supra inæquale, atrum, nitidum, breviter atro-pubescens. Alæ fumato-hyalinæ, macula media

costali indeterminata, fusca, obsoleta. Stigma nigrum. Squamæ & halteres sordide albida. Pedes nigri, tarsis medio fuscis l. ferrugineis. — Vix *Pip. austriaca* Meig. ut olim credidi.

**) alis immaculatis. Mediæ aut minores.

13. *P. carbonaria:* antennis brevibus suborbiculatis, atra, nitida, atro-pubescens (♂); geniculis anterioribus summis rufescentibus; tarsis omnibus ferrugineo-pubescentibus; alis cinereo-hyalinis, stigmate fuscano, squamis halteribusque sordide albidis. ♂. (Long. 2 fere 3 lin.).

Var. a. ♂. antennis mediocribus, fronte nigro-pubescente, squamis halteribusque albidis, tarsis fulvescentibus, articulo ultimo nigro; 2—2½ lin. long.

Meig. Dipt. 3. 251. 21.? ♂.

Var. b. ♂. antennis majusculis, fronte nigro-pilosa, squamis halteribusque sordide albidis, tarsis brevissime ferrugineo-pubescentibus; fere 3 lin. long.

Hab. in Suecia minus frequens, mense Julio capta; scilicet var. a. in Scania ad Fogelsång prope Lund; in Ostrog. ad Lärketorp; in Ölandia; in Gottlandia in Umbellatis ad Ruthe rarius; var. b. in Ostrogothia & Smolandia 2 specimina inveni.

♂. Atra, nitida, tota cum fronte & epistomate nigro-pubescens. Antennæ breves, nigræ, articulo ultimo suborbiculato, interdum fusco. Alæ sub stigmate macula fuscana obsoletissima. Nervus transversus apicalis subflexus. Femora postica parum incrassata.

14. *P. anthracina:* antennis brevibus suborbiculatis, nigra, nitida, nigro-pubescens (♂); pedibus nigro-piceis, genubus anterioribus tarsisque, dilutioribus; alis cinereo-hyalinis, stigmate flavescente, squamis halteribusque albis. ♂. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 253. 25? ♂. Zett. Ins. Lapp. 617. 8. ♂. var. nigrior.

Hab. in Suecia, 17 Jul., 10 Aug., mihi rarissime obvia; scilicet in Scania ad Lund, & in Lapponia Umensi ad Lycksele tantum deprehensa; in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, teste D. *Wahlberg*, specimina vero ex his provinciis non comparavi.

♂. Similis priori, pedibus piceis, alarum stigmate magis flavescente, squamis halteribusque purius albis, distincta videtur. Caput lævissimum, nitidissimum, nigro-pilosum. Antennæ parvæ, rotundatæ, subtus brunneæ. Pedes picei, genubus & tarsis fulvescentibus, articulo ultimo obscuro.

Obs. Sub nomine "*P. carbonaria* Meig." specimen femineum, huic simile, sed capite glabriore, oculis distantibus, antennis forte nonnihil majoribus (subtus brunneis), thorace brevissime cinereo-pubescente, tarsis fuscis, distinctum; an hujus femina?

15. *P. morionella:* antennis brevibus suborbiculatis, atra, nitida, atro-pubescens (♂); pedibus nigris; alis subfumato-hyalinis, stigmate fuscano, squamis halteribusque obscuris. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Dania. Sub nomine "*Pip. carbonaria* Meig." specimen descriptum Nobil. D. *Staeger* d. 21 Oct. 1842 mihi benevole communicavit.

♂. Parva, angusta, tota atra, nitida, atro-pilosa, abdomine glabriculo. Duabus proxime præcedentibus similis, sed magnitudine paullo minore, pedibus totis nigris, squamis sub alis halteribusque obscurioribus, horum clava nigricante, præcipue distincta. — Antennæ parvæ. Epistoma parum nitidum forte casu. Proboscis nigra. Femora postica ceteris parum crassiora. Tarsi pube brevissima, cinerea, nitida tecti.

16. *P. fulvimana:* antennis brevibus suborbiculatis, atra, nitida, nigro-pubescens (♂); pedibus nigris, anticorum tibiis apice, tarsisque fere totis, fulvis; alis hyalinis, squamis sordide albidis, halteribus albis. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan d. 1 Aug. 1840 specimen unicum inveni.

♂. *P. morionellæ* simillima, differt vero ab illa præcipue tarsis anticis fulvis & squamis sub alis halteribusque albidioribus. — Tota atra nitidissima. Thorax nigro-pubescens. Abdomen angustum, glabriculum, supra inæquale, ano clavato. Alæ cum stigmate parum fuscanæ. Pedes nigri, geniculis anterioribus summis piceis. Tibiæ anticæ apice anguste, & tarsi fere toti, fulva; tarsorum articulo tantum ultimo nigro.

17. *P. ruficornis:* antennis brevibus rotundatis, subtus rufescentibus, æneo-nigra, nitida, cinereo-pubescens (♀); pedum anteriorum genubus tarsisque albidis; alis hyalinis, stigmate pallescente, squamis halteribusque albis. ♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 252. 24? ♀. — Zett. Ins. Lapp. 617. 9. ♀.

Var. b. ♀. nonnihil major, abdomine latiore, antennarum articulo ultimo fere toto testaceo, tarsis fusco-albescentibus.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in Scandinaviæ floribus sylvestribus, 19 Jun. — 8 Aug., minus frequens; scilicet var. a. in Ostrogothia ad Wadstena & Lärketorp, rarius; in Lapponia meridionali Umensi ad Lycksele & Barrsele, D. *Dahlbom;* var.

b. in Gottlandia ad Kyllej & Stenkyrka; & in Lapponia ad Lycksele, rarissime inventa.

♀. Simillima *P. anthracinæ* (14.), cujus ♀ forte est, sed colore corporis nigro ænescenti micante, pubescentia (exepta frontis nigra) cinerascente brevi, antennis nonnihil majoribus, rotundato-ovatis, articulo ultimo latius fulvescenti rufo, distincta. Nervulus apicalis transversus cum nervo longitudinali 4:to acutum angulum format. — In uno exemplo anus rufus est; an juvenile?

18. *P. geniculata:* antennis capite subcærulescente brevioribus, oblongis, atra, subopaca, atro-pubescens (♂); geniculis summis albis; alis hyalinis, stigmate pallescente, squamis halteribusque sordide albidis, horum clava obscuriore. ♂. (Long. 2 lin.).

Stæger in litt.

Hab. in Suecia rarissime; in Scania ad Abusa, 5 Jul., & in Ostrogothia ad Wadstena d. 30 Jul. bis a me deprehensa; in Dania, D. *Staeger*, qui exemplum unicum ad introspiciendum mihi benigne misit.

♂. Speciebus 13, 14 & 15 valde similis & affinis, sed a *carbonaria* magnitudine minore, tarsis vix ferrugineo-pubescentibus, stigmate alarum pallido, nec fuscano; ab *anthracina* pedibus, squamis halteribusque obscurioribus, a *morionella* geniculis albis, stigmate pallido, & ab his omnibus, antennis paullo longioribus, angustioribus ut & thorace abdomineque atris opacis, nec nitidis, distincta. Frons supra antennas subconvexa, nitidissima, atro-pilosa. Alarum nervus transversus apicalis, qui aream discoidalem terminat, distincte flexus cum long. 4:to acutum angulum formans. Pedes nigri, geniculis summis albis; metatarsus intermedius etiam albus, apice fuscus. Tarsi omnes pube brevissima, cinerascente, nitida tecti. Femora postica non incrassata.

B. Antennæ longitudine circiter capitis, oblongæ aut sublineares. (*P. geniculata:* antennis capite nonnihil brevioribus, oblongis, in subdivisione antecedente sub n:o 18 quærenda). Minores aut mediæ.

*) corpore æneo l. ænescenti nigro. Minores.

19. *P. campestris:* antennis longitudine fere capitis, oblongis, nigro-brunneis, ænea, ferrugineo-pubescens; geniculis anterioribus ferrugineis; alis cinereo-hyalinis, stigmate fusco, nervulo transverso apicali subflexo, basi perpendiculari. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Fall. Syrph. 59. 4. ♂♀. genuina. — *P. virens* Meig. Dipt. 3. 253. 26. ♂♀. Macq. Buff. 1. 572. 17. Löw Bemerk. 29. 8. An *Mulio virens* Fabr. Antl. 186. 12?

Hab. in floribus & graminosis, libenter locis aridis, campis, pratis, per Scandinaviam, 25 Maj.—Jul.—19 Aug., vulgaris, mas præsertim frequens; scilicet in tota Scania vulgatissima; in Blekingia, D. *v. Borck;* in Ostrogothia frequentissima; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Ruthe, Garde, Fardhem &c., sæpe in floribus Pimpinellæ nigræ, frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, ad Upsaliam, ipse; in Helsingia ad Norrala, rarius; in Jemtlandia ad Jemtkrogen, rarius; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ, raro; in Dania, D. *Staeger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa. E Silesia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Magnitudine paullo variat. Tota ænea, punctulata, nitida, griseo-ferrugineo-pubescens, præsertim in thorace. Antennæ nigræ aut brunnescentes, articulo ultimo cuneiformi s. oblongo. Caput æneo-nigrum, fronte ♀ obscure pubescente. Abdomen nigro-æneum. Alæ cinereo-hyalinæ, stigmate dilute fusco, nervo transverso apicali in medio modice flexo, basi (ubi e nervo long. 4:to excurrit) recto, a

margine modice remoto. Nervulus longitud. 5:tus sub areæ angulo inferiore recto brevissime continuatus non usque ad marginem alæ extensus. Squama albida; halteres pallide flavi. Pedes nigri, genubus anterioribus flavidis. Tarsi omnes pube brevissima tenui subferruginea tecti. Femora postica parum crassa. Metatarsus posticus subincrassatus. Metatarsus intermedius basi sæpe flavidus. Genua posteriora in ipsa fractura pallescunt. — Variat b. ♂♀ minor, angustior, capite nigro, subcærulescenti micante; Scania, Ostrog. — Var. c. ♂♀. colore corporis obscuriore. Magnitudo varietatis b. in Norvegia ad Næss & Garnæs Værdaliæ, freq.

20. *P. maculipennis:* antennis longitudine fere capitis, oblongis, brunneo-nigris, ænea, ferrugineo-pubescens; geniculis anterioribus summis ferrugineis; alis cinereo-hyalinis macula media obsoleta fuscana, stigmate fusco, nervulo transverso apicali subflexo, basi perpendiculari. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 251. 27. ♀. *P. campestris* Fall. Syrph. 59. 4. descr. var. "alis maculatis".

Hab. in Scandinavia, 20 Jun.—14 Aug., cum priori passim; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Räften, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, rarius; in Gottlandia ad Stenkyrka, semel.

♂♀. Priori ut ovum ovo similis, & alis in medio sub stigmate macula seu fascia abbreviata, versus marginem interiorem ad medium vix extensa, nervulos transversos medios transeunte, fusca, obsoleta, tantum differt. Frons supra antennas foveola impressa. An specie diversa?

21. *P. varipes:* antennis longitudine fere capitis, oblongis, brunneo-nigris, nigro-ænea, griseo-pubescens; abdomine nigricante; genubus anterioribus metatarsisque

intermediis flavo-ferrugineis; alis hyalinis, macula media obsoleta fuscana, stigmate fusco-flavescente, nervulo transverso apicali subflexo, basi perpendiculari. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 251. 28. ♀. Löw Bemerk. 30. 11. (Sub *P. campestri* Fall. etiam latet).

Hab. cum *P. campestri*, per Scandinaviam, 24 Jun. —2 Aug., passim frequens; scilicet in Scania ad Lund, D. v. *Borck*, ad Abusa & Esperöd haud raro, ipse; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena; in Ölandia rar.; in Gottlandia ad Gothem, Öja &c.; e Dania a D. *Staeger* sub nomine *P. maculipennis* 1837 missa. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, ex Hamburgo a D. *Dahlbom*, e Wienna a D. *Zeller* & ex Helvetia per D. *Konewka* Berolinensem, benevole communicata).

♂♀. *P. maculipenni* iterum valde similis & affinis, & forte ejus varietas; sed corpore paullo obscuriore, abdomine præsertim nigriore, ut & metatarsis intermediis ferrugineo-flavis, distincta. Epistoma cinereo-subpubescens. Frons in ♂ nigro-pubescens, in ♀ antice fusco-cinereo-, postice nigro-pubescens. Occiput cinereo-pilosum. Thorax cinereo-pubescens. Abdomen breviter obscure pubescens. Frons in ♀ supra antennas foveola impressa. Cetera ut in diagnosi vel in priore.

22. *P. annulata:* antennis longitudine fere capitis, oblongis, brunneo-nigris, obscure ænea, griseo-pubescens; abdomine nigricante; genubus omnibus, tibiis anterioribus basi apiceque anguste, tarsorum anticorum articulo 1:mo, posticorumque articulis 1:mo & 2:do, flavis; alis hyalinis, macula media obsoleta fuscana, stigmate dilute fusco, nervulo transverso apicali subflexo, basi perpendiculari. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Macq. Dipt. 33. 15. — Id. Buff. 1. 572. 16. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 120. 38. ♂♀. Löw Bemerk. 29. 9.

Hab. in Scandinavia, 2—27 Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Räften prope Lund; in Ostrogothia ad Wadstena; in Gottlandia ad Gothem; in Norvegia ad Thynæs in parœcia Skogn. Nullum marem, sed 4 feminas deprehendi.

♀. *P. varipedi* simillima, differt tantum corpore normaliter nonnihil robustiori & pictura pedum. Pedes nigri, femoribus anterioribus apice anguste, & tibiis anterioribus basi modice, apiceque summo, flavis; metatarsis anticis flavis; tarsis intermediis articulo 1 & 2 basalibus flavis; genubus posticis summis flavis; tarsis posticis ferrugineo-puberulis, metatarso incrassato. — Variat tibiis anterioribus apice vix flavo, & hæc forte *P. morosa* Löw l. c. 29. 10?

**) corpore cærulescente vel atro. Mediæ.

23. *P. Ratzeburgi:* antennis longitudine fere capitis, angustis, linearibus, atris, nigro-cærulescens, nigro- (♂), aut cinereo- (♀) pubescens; genubus anterioribus, metatarsis anticis, tarsorum intermediorum articulis 1 & 2, posticorumque articulo solum 2:do, flavis; alis hyalinis, stigmate dilute fusco; nervulo transverso apicali leviter flexo. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Mas: 2—2½ lin. long., ater, totus atro-pubescens, capite cærulescente;

Fem.: 2 lin. long., tota nigro-cærulea, brevissime & tenuiter cinereo-pubescens.

Var. a. ♂♀. metatarsis anticis flavis.

Var. b. ♂. metatarsis anticis nigris.

Hab. in Suecia rarissime; var. a. in Scania ad Björnstorp & Fogelsång (a Cel. D. *Dahlbom*) prope Lund, & ad Esperöd in parœcia Mellby, mense Julio lecta; in Ostrogothia ad Lärketorp. (E Glogavia sub nomine *Pip.*

carbonaria Meig." a D. *Zeller* missa). Var. b. in uno specimine in Ostrogothia capta a D. *Stenhammar* communicata.

♂♀. Antennæ angustæ, lineares, caput cærulescens, ut & articulus 2:dus tarsorum posticorum fulvus, speciem ab affinibus præcipue distingvunt. Nitida. Caput nigro-pubescens. Epistoma in ♀ albo-pubescens. Frons in ♀ vix impressa. Alæ in ♂♀ hyalinæ, nervulo transverso apicali, qui aream primam discoidalem terminat, in medio levissime geniculatim, seu obtusissime angulatim flexus. Squamæ albæ; halteres pallide flavi. Pedes nigri; antici: femoribus summo apice, tibiis basi ad tertiam partem totius tibiæ, & metatarso toto (in variat. b. nigro), flavis; intermedii: femoribus summo apice, tibiis basi fere ad dimidium, tarsorumque articulis 1 & 2, flavis; postici: metatarsi incrassati summo apice, articuloque 2:do toto, flavis. Femora postica parum crassa. — A. *P. carbonaria* (13) antennis longioribus, multo angustioribus, colore capitis cærulescente picturaque pedum alia, aperte differt.

Nomini Celeberrimi Hist. Nat. Professoris & Equitis Doctoris *J. T. C. Ratzeburg* speciem hanc novam pia & grata mente offert *Zetterstedt.*

24. *P. Heringi:* antennis longitudine fere capitis, oblongis, fuscescenti nigris, atra, cinereo-pubescens (♀); geniculis anterioribus metatarsoque intermedio, flavis; alis vitreis, in medio leviter fuscanis, stigmate ferruginante, nervulo transverso apicali distincte flexo. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Pip. atra Löw Bemerk. 30. 12? "Nigra, genubus & pedum intermediorum metatarsis flavis, fronte feminæ omnino nigro-tomentosa, alis subinfuscatis. 2 lin. long."

Hab. in Suecia australi rarissime; in insula insigni Gottlandia ad Fardhem 3 Jul. 1841, duo specimina a D.

Dahlbom, & ad Hoburg 8 Jul. ejusdem anni unicum a me, deprehensa. (Sub nomine: *P. varipes*, e Glogavia mihi quoque communicata).

♀. A *P. lugubri* (11) antennis longioribus; a *varipede* (21) magnitudine paullo majore, colore nigriore, nec ænescente, fronte tota nigro-pubescente, nec antice cinereo-pubescente, & nervulo transverso apicali magis flexo; & a *P. Ratzeburgi* antennis oblongis, nec linearibus, colore capitis nigro, pubescentia corporis longiore, pictura tarsorum & nervulo transverso apicali aliter directo, distincta. Tota atra, nitida, cinereo-pubescens. Antennæ nigræ, subtus macula lutea. Frons nigro-pubescens. Alæ vitreo-hyalinæ, fascia media dilute fusca, sæpe parum perspicua. Stigma flavo-ferrugineum. Nervulus transversus apicalis distincte circumflexus, basi cum nervo longit. 4:to acutum angulum format. Squamæ albæ; halteres pallidi. Pedes nigri, genubus præsertim anterioribus, & metatarso intermedio fere ad apicem, flavis.

Obs. Nomen *Pip. atræ*, a Prof. *Löw* datum, pro hac specie retinere non potui, partim ne cum *Pip. atra* Fall., quæ in genere *Psilota* jam extat, confundatur, partimque quia *P. atra* Löwiana a nostra *P. Heringi* magnitudine minore (2 lin. long) differre videtur, & igitur forte alia. Professoris Sedinensis *Hering* nomen in hac specie conservare voluit Entomologi magni amicus.

---

82. PSILOTA Meig.

Corpus medium l. majusculum, oblongo-ovatum, pubescens, subnitidum. Antennæ fronti prominenti aut subprominenti insertæ, nutantes, capite nonnihil breviores, articulo ultimo oblongo-ovato aut rotundato; compresso, basi seta dorsali nuda. Epistoma subimpressum (in ♂ obsolete tuberculatum), læve, infra oculos subdescendens, apice reflexum. Oculi nudi aut hirti. Abdomen ovatum aut ovale, subin-

curvum. Alæ ut in *Pipiza.* Areæ alarum 2 discoidales, apice inæquales, harum nempe superior nervulo transverso (inter nervos longit. 4 & 5) aut arcuato aut angulato, & inferior nervulo transverso (inter nerv. long. 5 & 6) recto, terminantur. Femora postica anterioribus paullo longiora, interdum validiora, tibiis subarcuatis. *Color* ater. Pictura nulla. *Motus* — —. *Habitatio* in floribus. *Differentia sexus; mas:* oculis aut cohærentibus aut anguste remotis, epistomate in medio leviter elevato seu tuberculo parvo instructo; *femina:* oculis modice distantibus, fronte transversim non striata, epistomate in medio plus minus impressa.

1. *Ps. atra:* oculis hirtis subcærulescenti atra, nigro-pubescens (♂); antennis ovalis pedibusque nigris; alis hyalinis, stigmate pallido, nervulo transverso apicali arcuatim flexo. ♂. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Pipiza atra Fall. Syrph. 58. 1 ipsissima secundum specimen originarium.

Hab. in Suecia rarissime; ad Lärketorp Ostrogothiæ d. 2 Jul. 1816 specimen unicum detexi.

♂. Similis videtur *Ps. anthracinæ* Meig., sed nostra *atra* fronte pro insertione antennarum minus prominente, femoribus posticis crassioribus, & præcipue nervulo transverso apicali arcuatim, nec augulatim flexo, a Meigeni *anthracina*, quæ præterea ♀ est, differt. — Tota cyanescenti atra, subnitida. Epistoma in medio obsoletissime tuberculatum; infra oculos modice descendens, apice paullo truncato-reflexum, ad latera nigro-pilosum. Antennæ nigræ, articulo ultimo oblongo-ovali, fusco-nigro. Oculi cohærentes, distincte fusco-hirti. Frons antice nigro-pubescens. Thorax nigro-pilosus. Abdomen ovatum, nigro-pubescens. Alæ subalbescenti hyalinæ, ima radice pallescente, stigmate flavido. Nervi longitudinales: 3tius in costam rectus excurrit, 6:tus infra angulum areæ 2:dæ non continuatus. Squamæ & halteres nudi, albida, illæ albo-ciliatæ. Pedes nigri, geniculis tibiisque anterioribus basi testaceis. Tarsi omnes pube

brevissima subferruginea tecti. Femora postica subincrassata. — Habitus fere *Pip. noctilucæ.*

2. *Ps. nigra:* oculis nudis, nigra, nigro- (♂) aut cinereo- (♀) pubescens; antennis rotundatis pedibusque nigris; alis cinereo-hyalinis, stigmate pallescente, nervulo transverso apicali angulatim flexo. ♂♀. (Long. 2¾ fere 3 lin.).

Mas: niger, nigro-pubescens, epistomate in medio subtuberculato; abdomine ovato;

Fem: æenescenti nigra, tenuissime cinereo-pubescens, epistomate vix tuberculato, infra oculos paullo longius descendente; abdomine depresso, suborbiculato.

Eristalis nasuta Zett. Ins. Lapp. 613. 14. ♀.

Hab. in Suecia boreali rarissime; duo tantum specimina vidi, masculum e Lapponia Tornensi a D. *Deutsch* missum, & femineum ad Lycksele Lapponiæ Umensis 10 Aug. 1832 a me inventum.

♂♀. Similis priori, sed antennis magis rotundatis, oculis nudis, colore corporis nigricante, nec cyaneo-micante, alis magis cinerascentibus, nervulis transversis apicalibus: primo obtuse angulato & secundo (qui aream inferiorem terminat) subflexo, nec rectissimo; nervo longitudinali 6:to infra angulum areæ 2:dæ breviter quidem at perspicue continuato, pedibus totis nigris, nec tibiis anterioribus basi testaceis, ut & femoribus in utroque sexu simplicibus, abunde distincta.

3. *Ps. ruficornis:* oculis nudis, nigra, parum pubescens; antennis articulo ultimo rotundato, secundoque, rufis; pedibus nigris, geniculis tibiarumque basi in ♂ testaceis; alis hyalinis, basi flavicantibus. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Wahlberg in litteris.

Hab. in trunco Aceris florentis, ad Smedslätten prope Holmiam a Cel. D. Profess. & Equite *Wahlberg* de-

lecta; deinde ab Eodem in floribus Calthæ ad Gusum Ostrog. initio Jun. 1842 ♀ lecta.

Cum speciem ipse non vidi, descriptionem, quam mihi communicavit oculatissimus Detector, afferre lubet. "♂♀. Statura & magnitudine fere *Eristalis* (Chrysogast.) *viduatæ*, clypeo (epistomate) vero *Xylotæ*. Latior, brevis, nigra, nitida, parum pilosa, punctulata, alis subdivaricatis, basi flavicantibus, fronte pro antennis sat prominente, articulo ultimo rotundato cum secundo rufo, clypeo (maris argenteo pubescente, linea media longitudinali nuda nitida nigra) sat descendente subtruncato- Oculi nudi in utroque sexu distantes, in ♂ tamen non longe & anterius minus quam postice. Anus ♂ subclavatus. Genicula & basis tibiarum testacea. Clypeus in ♀ totus niger." *Wahlberg.*

---

83. PARAGUS Latr.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum, pubescens, nitidum. Antennæ fronti haud prominenti insertæ, longitudine circiter capitis, subporrectæ, articulo ultimo elongato, angustato, compresso, mox ante medium seta dorsali nuda. Epistoma infra oculos vix descendens, inferne convexum, leviter tuberculatum, totum glabrum. Oculi brevissime hirtuli, sæpe lineati. Abdomen sublineare, incurvum, transversim rugosum. Alæ incumbentes; quoad directionem nervorum ut in *Pipiza*. Areæ 2 discoidales apice subinæquales. Pedes simplices, metatarso postico subincrassato. *Color* niger, raro subænescens, abdomine sæpe rufo-pictum. *Motu* agilis, non autem velociter volat: individua rara, solitaria, juxta terram plerumque volant. *Habitatio* in nemorum pratorumque floribus. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas tantum angulo obtuso cohærentibus; *femina:* oculis in fronte non late distantibus.

Subd. 1. Epistoma pallide flavum, tantum in ♀ linea media nigra. Scutellum apice plerumque albidum. Antennæ longitudine capitis.

1. *P. bicolor:* niger, abdominis medio rufo; antennis nigricantibus; epistomate, scutelli apice, pedibusque, pallide flavis, his basi nigris; alis hyalinis, nervo transverso apicali primo distincte flexo. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Latr. Gen. 4. 326. Consider. gener. 443. Meig. Dipt. 3. 178. 2. Macq. Buff. 1. 565. 2. ♂♀. *Mulio* Fabr. Antl. 186. 10. ♀.

Hab. in Suecia, 21 Jul.—4 Aug., minus frequens; scilicet in Scania rarissime, D. *Eb. Rosenschöld;* in Ostrogothia ad Fredensborg, D. *Dahlbom*, ad Medevid, D. Doct. *Engström*, ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Ölandia rar.; in Gottlandia passim ex. gr. in Furillen, Fårön, ad Storugns & Kapelshamn, ad Lummelund, Thorsborg, Stenkyrka &c. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Gallia meridionali a D. v. *Winthem* communicatus).

♂♀. Inter majores l. fere maximus generis. Epistoma albo-flavum, linea media in ♀ & apertura oris in utroque sexu, nigris. Antennæ nigræ, articulo ultimo plerumque fusco l. piceo. Frons supra antennas in ♂ flava, vertice angusto, cærulescenti nigro. Frons in ♀ tota nigro-cærulescens, posterius angustata, antice lineolis 2 ad oculos in speciminibus illæsis albo-pilosis. Thorax æneo-niger, lineolis anticis 2 albis. Pleuræ albo-pilosæ. Scutellum apice album. Abdomen æneo- l. cærulescenti nigrum, segmento 1 magno, apice arcuatim rufo, 2 toto rufo, 3 basi quoque arcuatim rufo. Hæc autem pictura nonnihil variat. Venter concavus rufus, apice crasso, nigro. Alæ hyalinæ, stigmate melleo. Nervulus transversus apicalis, qui aream discoidalem primam terminat, circumflexus, basi ad nervum long. 4:tum perpendicularis; qui aream secundam terminat, rectus. Nervi longitudinales 5 & 6 infra areas continuantur, non vero ad summum marginem extensi. Squamæ albæ & albo-

ciliatæ. Halteres nudi, albi. Pedes: coxis, trochanteribus, femoribus anterioribus ad medium, posticis ultra medium, nigris. Genua sat late albida. Tibiæ rufo-flavæ, in medio præsertim posticæ saturatius flavæ l. plus minus infuscatæ. Tarsi fusco-ferruginei, metatarsis plerumque obscurioribus.

2. *P. punctulatus:* niger, scutello immaculato; abdominis medio rufo, nigro-bimaculato, antennis nigricantibus; epistomate pedibusque, pallide flavis, his basi nigris; alis hyalinis, nervo transverso apicali primo leviter flexo. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 617. 1 ♂.

Hab. in Scandinavia rarissime; in Gottlandia ad Lummelund & in prato insulæ Fårön 25 Jul. 2 Aug. 1841 duo specimina inveni; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman.*

♂. Simillimus priori, a quo non differt nisi scutello immaculato, punctis l. maculis 2 nigris in rufedine abdominis, ut & nervulo transverso apicali primo paullo minus flexo. Segmenta abdominis: 1 nigrum, apice lunatim rufum (nigredo tamen latera cingit); 2 aut totum rufum, puncto postico utrinque nigro, aut basi rufum, apice ad dimidium nigrum; 3 aut totum nigrum (ut in speciminibus Gottlandicis, quæ etiam minora sunt), aut nigrum, basi arcuatim rufum. Anus niger. Scutellum summo apice vix albescit. Reliqua ut in præcedente. An varietas sequentis?

3. *P. taeniatus:* niger scutello immaculato, abdominis medio rufo; antennis fuscis; epistomate pedibusque pallide flavis, his basi nigris; alis hyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 179. 4. ♀. Macq. Buff. 1. 565. 4. ♂♀?

Hab. in Suecia rarius; scilicet in Scania ad Fogelsång ♂ 19 Jun. 1829, D. *Eb. Rosenschöld*; in Ostrogothia: ad Omberg prope Wadstena ♂ Jul. 1835, D. *Bo-*

heman; ad Gusum, D. *Wahlberg*; ad Häradshammar, D. *Stenhammar.* Mihi non obvius.

♂♀. Valde similis & affinis videtur priori, qui hujus forte vix nisi varietas est, & in qua rufedo abdominis segmenti 2:di puncto l. macula nigra utrinque gaudet, quæ *taeniato* deest. Abdomen nigrum nitidum, segmento 2:do in parte apicali fascia rufa, non ad margines laterales extensa, sed in medio per acumen ad apicem segmenti 1:mi assurgens. In dimidia parte antica segmenti 3:tii fascia rufa etiam adest, quæ ad margines laterales usque extenditur.

4. *P. albifrons:* niger, abdomine arcubus 4 interruptis albo-pilosis; antennis nigricantibus; epistomate, scutelli summo apice, pedibusque, pallide flavis, his basi nigris, metatarsis omnibus tibiarumque posticarum annulo, obscuris; alis hyalinis, nervulo transverso apicali primo distincte flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine immaculato.

Meig. Dipt. 3. 181. 8. Macq. Buff. 1 566. 9. ♂. Löw Bemerk. 27. 3. ♂♀. *Pipiza* Fall. Syrph. 60. 6. ♂♀. *Parag. thymiastri* Latr. Gen. 4. 326. *Syrphus thymiastri* Panz. Fn. Germ. 60. 12. certe.

Var. b. ♀. abdominis segmentis 2:do in medio puncto sanguineo, 3:tio basi fascia abrupta & interrupta (bipunctiformi) sangvinea. Scutellum immaculatum aut apice album. Fall. l. c. var. *β.*

Hab. in campis sterilibus, pratis, locis aridis, &c., per Sueciam, 16 Jul.—10 Aug., passim; scilicet in Scania in littore maris ad Lomma prope Lund, ad Esperöd &c., haud raro; in Bahusiæ littore marino ad Marstrand, D. *Wahlberg.* (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Silesia a D. *Zeller* communicatus). Var. b. rarissime in Scania capta.

♂♀. Simillimus iterum *P. bicolori*, sæpe nonnihil minor, abdomine & supra & subtus nigro, in dorso arcubus 4, angustis, interruptis argenteis & argenteo-pilosis in basi segmentorum 2, 3, 4 & 5, differt. — Oculi transversim cinereo-lineati. Scutellum variat subimmaculatum aut apice albidum. Fasciæ abdominis facile deteruntur. Epistoma apice parum prominens. Antennæ elongatæ.

5. *P. ruficauda:* niger, scutello abdomineque immaculatis, ano rufescente; antennis subbrevibus fuscis; epistomate pedibusque pallide flavis, his basi nigris; alis hyalinis, nervulo transverso apicali primo modice flexo. ♂. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime, ad Esperöd 10 Aug. semel lectus.

♂. Similis *P. bicolori*, sed minor, multo angustior, antennis nonnihil brevioribus, scutello abdomineque nigris, immaculatis, ut & ano fusco-rufo, facile dignotus. A speciebus valde affinibus sequentis subdivisionis, epistomate toto albo-flavo, linea media nigra nulla, dignoscitur.

Subd. 2. Epistoma pallide flavum, in utroque sexu linea media nigra. Scutellum semper nigrum, immaculatum. Antennæ capite nonnihil breviores. (*P. ruficauda* antennis capite fere brevioribus in Subd. antecedente sub n:o 5 quærendus).

6. *P. tibialis:* antennis capite fere duplo brevioribus (♂), aut nonnihil brevioribus (♀), obscure brunneis, niger; epistomate pedibusque flavis, femoribus basi nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$--$1\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus flavis, femoribus basi nigris.

Zett. Ins. Lapp. 618. 2. ♂♀. *Pipiza* Fall. Syrph. 60. 5. ♂♀. genuina.

Var. b. ♂♀. in copula; pedibus ut in var. a., tibiis posticis annulo fusco.

Meig. Dipt. 183. 13. ♂♀. Macq. Buff. 1. 567. 14.

Var. c. ♂♀. pedibus ut in var. b., metatarsis etiam fuscis.

Hab. in campis aridis, nemoribus, littoribus maris &c., per Scandinaviam, 21 Jun.—28 Aug., vulgaris; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Blekingia, D. *v. Borck*; in Ostrogothia ad Holkaberg, Wadstena, Omberg, Gusum, Häradshammar &c., frequens; in Westrogothia, D. D. *Gyllenhal* & *Rosenschöld;* in Ölandia; in Gottlandia ad Fardhem, Thorsborg, Fårön &c., passim; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele & Wilhelmina, rarius. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missus; in Germania ad Moabite prope Berolinum 16 Jul.—6 Aug. 1842 a D. *Dahlbom* lectus mihique communicatus).

♂♀. Parvus. Totus ater, nitidus. Antennæ nigræ, articulo ultimo aut fusco, aut nigricante subtus luteo l. fusco. Epistoma flavo-album, inferne subprominens, vitta media sat lata nigra (in ♀ subcærulescente). Frons in ♀ modice lata, cærulescenti nigra, antice orbita oculorum albo-pilosula. Oculi in ♂♀ brunnei, unicolores, brevissime & tenuissime puberuli. Pleuræ fasciculo pilorum argenteorum. Thorax & abdomen punctulata, aut atra (♂), aut sæpe subcærulescenti nigra (♀). Alæ subvitreæ, stigmate angusto, dilute fuscano. Nervulus transversus apicalis primus subflexus. Squamæ & halteres, alba. Pedes flavi, femoribus anticis fere ad medium, intermediis ad medium, posticis fere ad apicem, nigris. Genua albida. Tibiæ & tarsi ut in b. & c. variant. Antennæ in ♀ paullo longiores, quam in ♂. Varietates descriptæ cohabitant. — An *P. obscurus* & *femoratus* Meig. etiam sub his latent?

7. *P. trianguliferus:* antennis capite fere duplo brevioribus (♂), obscure brunneis, subænescenti niger;

epistomate pedibusque flavis, femoribus basi nigris; abdominis segmento tertio in medio macula triangulari sangvinea. ♂. (Long. circ. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 618. 3. ♂. *Pipiza tibialis* Fall. Syrph. 60. 5. var. *β*.

Hab. in pratis Sueciæ, 7—17 Jul., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ex. gr. ad Lärketorp, 1838, D. *Dahlbom*, & ad Gusum, D. *Wahlberg*; in insula Fårön Gottlandiæ, ipse; in Lapponia meridionali Umensi ad novacculum Umenäs, rarissime.

♂. Magnitudo, statura & summa præcedentis similitudo, nec ab illo distingvitur nisi macula magna sat determinata, plerumque triangulari, angulo acuto versus basin vergente, raro dilatata, sangvinea, subpellucida, in medio apicis segmenti 3:tii locata. Summus margo apicalis segmenti 5:ti interdum etiam rufescit.

8. *P. æneus:* antennis capite fere duplo brevioribus (♂), nigricantibus, nigro-ænescens; epistomate pedibusque flavis, femoribus basi nigris; abdominis apice fusco-sangvineo. ♂. (Long. circit. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 183. 11. ♂. Macq. Buff. 1. 567. 12.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Raflunda loco arido specimen descriptum 27 Jul. inveni. (E Glogavia a D. *Zeller* communicatus).

♂. Priori simillimus, differt tantum thorace subæneo-micante, antennarum articulo ultimo nonnihil latiore, & ano rufo l. rufo-maculato. Antennæ breviusculæ, nigræ, subtus macula lutea. In uno individuorum Silesiacorum abdominis segmentum 3:tium rudimento maculæ rufæ gaudet. — An variet. præcedentis?

84. MILESIA Latr.

Corpus magnum, oblongum, tenuiter pubescsns, opacum. Caput transversum, compressum. Antennæ fronti prominenti insertæ, nutantes, capite breviores, articulo ultimo orbiculato, basi seta dorsali nuda. Oculi nudi. Epistoma inæquale, infra oculos sæpissime paullo descendens, raro subtuberculatum, apice late emarginatum. Alarum nervi: qui areas 2 discoidales terminant fere recti, horum superior cum long. 4:to in apice alæ acutum angulum format; longitudinalium 2:dus rectus, 3:tius in costam curvatim flexus, 4:tus subrectus in apice desinens, 5:tus subcurvatus, 6:tus rectus, 7:mus ex area basali angulari ad marginem interiorem descendens; transversus ordinarius medius valde obliquus. Pedes simplices, tibiis posticis subcurvis. *Color* niger, pictura flavo-, raro rufo-fasciata. *Motus* sat celer, & volatus velox; flori aut folio insidentes alis more Ortalidum species quædam vibrant. *Habitatio* in floribus, foliis fruticum &c. *Larvæ* in ligno putrido degunt, imagines mel florum & succum destilantem arborum amant. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte angulo obtuso cohærentibus, & ano obtuso; *femina:* oculis modice remotis, & ano subacuto.

Subd. 1. Femora postica subtus unidentata. Nervi longitudinales: 6:tus ad 5:tum arcuatim flexus; 7:mus infra aream basalem longus.

1. *M. diophthalma*: nigra, epistomate, thoracis maculis abdominisque cingulis 6 subintegris, flavis; antennis, scutelli margine externo indeterminate, pedibusque, ferrugineis. ♂♀. (Long. $5\frac{1}{2}$—6 lin.).

Fabr. Antl. 187. 2. Fall. Syrph. 8. 2. ♂♀. certe. — Macq. Buff. 1. 532. 3.? — *Musca* Linn. Fn. Su. p. 416. 1810. genuina. — *M. saltuum* Meig. Dipt. 3. 230. 4. exclus. Syn. Fabr.

Hab. in floribus Umbellatarum &c., per Sueciam mediam & temperatam, 2 Aug.—12 Sept., passim; sci-

licet in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Gusum, Häradshammar, &c., haud raro; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in provincia Calmariensi ad Berga.

♂♀. Magna. Nigra. Caput flavum, epistomatis linea media nigra aut brunnea, plus minus perspicua, mox sub antennis abrupta. In ♀ linea frontalis nigra, sat lata, integra, posterius angustata; in ♂ macula supra antennas triangularis, nigra. Vertex in ♂♀ niger. Antennæ capite parum breviores, ferrugineæ, seta flava. Oculi picti. In thoracis dorso puncta antica 4, & sæpe 1 parvum utrinque ante alas, flava; deinde striga utrinque supra alas & arcus ante scutellum, ejusdem coloris. Inter strigam & arcum callus ferrugineus adest. In thoracis lateribus subtus utrinque observantur maculæ 3 flavæ, quarum 2 supra coxas rotundæ, & 1 in pleuris perpendicularis, oblonga. Scutellum ferrugineum, basi anguste, indeterminate nigrum. Abdominis cingula 6 flava in basi apiceque segmentorum 2, 3 & 4 locata, angusta, ad latera parum connata, quorum 1 postice levissime emarginatum, 3 & 5 angustissime subinterruptum. Segmentum 5:tum retractum, flavo-ferrugineum. Alarum nervi longitudinales: costales ferruginei, medii fuscedine cincti. Squamæ & halteres sordide flava. Pedes ferruginei, tibiis basi dilutioribus.

2. *M. saltuum:* nigra, epistomate, thoracis maculis, scutelli margine anguste, determinate, abdominisque cingulis 6, alternis subinterruptis, flavis; antennis pedibusque ferrugineis, tibiis tarsisque anticis nigris. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

Fabr. Antl. 189. 9. Meig. Dipt. 6. p. 319. Wahlb. Act. Holm. 1838. 16. 8. ♂♀. vera. — Wiedem. apud Meig. Dipt. 3. 231. obs. sub *Mil. saltuum.* — Löw Bemerk. 29. 1. — *Mil. diophthalma* Panz. Fn. 72. 23. ♀.

Hab. in florib. Umbellatarum, ut Apii, Laserpitii, Dauci &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 14

Aug.—8 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Abusa, 1816, 2 feminæ; in Ostrogothia in prato Medhamra prope Wadstena, 1841, ♂♀, D. *Dahlbom*, ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad prædium Jonsberg (in parœcia ejusdem nominis), D. *Stenhammar;* etiam ad Holmiam, rariss., D. *Wahlberg*.

♂♀. Valde similis priori & cum illa facile confundenda, sed magnitudine semper paullo minore, antennarum articulo 1:mo, tibiis fere totis, tarsisque anticis, nigris, puncto parvo flavo ante alas in thoracis dorso deficiente, scutello anguste, sed determinate flavo-marginato, abdominis cingulis 1, 3 & 5 angustissime subinterruptis, alis in medio longitudinaliter magis infuscatis &c., abunde distincta. — In nostris speciminibus pedes postici in ♀ flavi, in ♂ femoribus subtus & annulo tibiarum, nigris. Abdominis cingulum 1:mum ad latera in *saltuum* dilatatum, in *diophthalma* haud dilatatum.

Subd. 2. Femora omnia mutica. Nervi longitudinales: 6:tus ad 5:tum angulatim flexus; 7:mus infra aream basalem brevis.

3. *M. vespiformis:* nigra, epistomate, thoracis maculis abdominisque cingulis 6 (♂), aut 8 (♀), ad latera subconnatis, flavis; antennis pedibusque posterioribus, geniculisque anticis luteis, femoribus posterioribus basi nigricantibus; alis ferrugineo-nervosis. ♂♀. (Long. 5—6¼ lin.).

Fabr. Antl. 188. 4. Fall. Syrph. 9. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 232. 5 (sub qua etiam species sequens latere videtur). — Macq. Buff. 1. 533. 5. Zett. Ins. Lapp. 587. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1811. ♂. *Syrphus apiformis* Panz. Fn. Germ. 45. 19. ♀.

Var. b. ♀. abdominis cingulis 4 simplicibus, flavis. In copula cum ♂ var. a.

Hab. Var. a. in floribus Umbellatarum ut Dauci &c., ut & Sambuci, Viburni &c., per Scandinaviam mediam & borealem, 30 Jun.—20 Aug., haud raro, in copula; scilicet in Smolandia ad Berga; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, Jonsberg &c., passim; in Gottlandia ad Gothem, Ejsta &c.; in Bahusia ad Uddevalla, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Berge in Alsen; in Lapponia Umensi ad Åsele, Lycksele & in Stöttingsfjellet; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, rarius. Var. b. in Ostrog. semel inveni.

♂♀. Subsimilis *M. diophthalmæ.* Antennæ breves. Epistoma flavum, vitta media nigra, quæ etiam in fronte flava continuatur. Thorax maculis 9, quarum utrinque 3 anticis flavis, & 3 posticis ante scutellum albidis. Scutellum nigro-ænescens, nitidum. Abdomen nigrum, cingulis in ♂ 6, in ♀ 8, in utroque sexu ad latera connata, tota flava, versus apicem latiora, anticum subinterruptum, posteriora in medio connexa. Anus (♂) ferrugineus. Alæ ferrugineo-nervosæ, nervis in medio alæ infuscatis. Pedes antici nigri, genubus luteis; postici flavi, femoribus saltem intermediis basi nigris.

4. *M. apiformis:* nigra, epistomate, thoracis maculis abdominisque cingulis 6 (♂), aut 8 (♀), ad latera subconnatis, 2:do late interrupto, albis; antennis pedibusque fulvis, horum anticis nigris, genubus luteis; alis ferrugineo-nervosis. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Fabr. Antl. 188. 3. Zett. Ins. Lapp. 587. 2. ♂♀. *Syrphus vespiformis* Panz. Fn. Germ. 90. 19. ♂.

Hab. in Suecia media & boreali, 19 Jul.—4 Aug., minus frequens, in copula; nempe in provincia Calmariensi Smolandiæ ad Berga rariss.; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp ♂♀ rar.; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan;

in Lapponia Umensi ad Lycksele, Wilhelmina & Stöttingsfjellet, rarius.

♂♀. Valde affinis & similis priori, sed omnis pictura, quæ in *M. vespiformi* flava est, in *apiformi* nigra, & præterea *M. apiformis* magnitudine constanter minore, abdominis cingulo 2:do valde angusto in medio late interrupto, cingulis apicalibus non in medio connexis, pedibus posterioribus præter coxas nigras totis fulvis, ano (lamellis analibus) maris nigro, nec luteo, ut & copulatione tantum inter similes, a *vespiformi* vere distincta.

5. *M. bombylans:* nigra, epistomatis lateribus thoracisque maculis 6, albis; abdominis cingulis 3 (♂), aut 4 (♀) pallide flavis; antennis, geniculis omnibus, tibiis tarsisque posterioribus, luteis; alis dimidiato-brunneis. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Fabr. Antl. 189. 8. Panz. Fn. Germ. 108. 11. ♂. certe. — Meig. Dipt. 3. 233. 6. ♂♀. Macq. Buff. 1. 534. 6. ♂♀. *Miles. Zetterstedtii* Fall. Syrph. 8. 1. ♂♀.

Hab. in Sueciæ mediæ floribus hortensibus Chærophylli, Dauci, Grossulariæ &c., 10 Jun.—12 Jul., rarius; scilicet in Smolandia ad Berga Calmariæ, 1810; in Ostrogothia ad Lärketorp, 1813, ad Häradshammar 1810, D. *Stenhammar;* in Uplandia ad Ekenäs in insula Wermdön prope Holmiam, D. *O. Nyblæus*, teste D. *Wahlberg*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* ♀ etiam missa).

♂♀. Magnitudo, statura, habitus & pictura fere *Ceriæ conopsoides* (Ceriæ clavicornis Fall.), sed antennarum structura &c. mox dignota. Longitudo *M. apiformis*, sed multo angustior, linearis. Nigra, opaca. Antennæ breves, testaceæ. Epistomatis latera & orbita oculorum (♀), alba. Vertex niger. Thoracis punctum utrinque humerale & fascia transversa interrupta ante alas, alba. Ad basin segmentorum 2, 3 & 4 in ♂, & 2, 3, 4 & 5 in ♀, cingulum abdominis pal-

lide flavum, angustum, simplex, rectum, in segmento 2:do arcuatum. Alæ in viva vibrantes, ad costam longitudinaliter dimidiato-brunneæ, a stigmate ad apicem saturatiores. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes antici nigri, genubus summis luteis; posteriores flavo-lutei, femoribus fere ad apicem tarsorumque articulis 2 ultimis nigricantibus. — Signaturæ in vivo insecto pallide flavescentes post mortem magis albescunt.

6. *M. fallax:* nigra, pubescens, epistomate flavo; antennis testaceis; abdomine postice rufo; geniculis tarsorumque basi fulvis; alis cinereo-hyalinis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ fere 4 lin.).

Fabr. Antl. 190. 10. ♀. Meig. Dipt. 3. 235. 9. ♂♀. f. 10. ♂. Macq. Buff. 1. 534. 8. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1802. ♀. *Eristalis semirufus* Fabr. Antl. 243. 51. ♂. *Er. semirufa* Fall. Syrph. 51. 3. ♂♀.

Hab. in floribus Padi, Rubi saxatilis, Berberidis &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jun.—2—12 Jul.—17 Aug., passim; scilicet in Scania ad Abusa rar.; in Westrogoth., D. *Gyllenhal*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, Häradshammar, Jonsberg &c. passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Rätan; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, rarius.

♂♀. In hoc genere brevior, sed sat lata. Nigra, cinereo-pubescens. Antennæ in protuberantia frontali magna insertæ, fusco-testaceæ. Epistoma sat longe descendens nudum, album, carina media subelevata, subtuberculata flavo-fulva. Frons in ♀ nigra. Thorax (♂♀) antice maculis 4 sordide albidis. Pleuræ albo-pilosæ. Abdomen ovatum, nigrum, in ♂ segmentis 3, 4, 5 & ano, fulvis, in ♀ 4 & 5 dense fulvo-tomentosis. Alæ cinereo-hyalinæ, in medio leviter fuscæ. Squamæ albæ; halteres flavi. Pedes nigri, femoribus summo apice, tibiis basi modice, apiceque anguste,

tarsorumque articulis 3 basalibus, fulvis. — Oculi in viva nigro-brunnei, unicolores. — *Obs.* Specimina utriusque sexus e Glogavia a D. *Zeller* missa, a nostris in nihilo differunt, nisi thoracis pubescentia obscuriore.

---

85. EUMERUS Meig.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum, breviter pubescens, subnitidum. Antennæ fronti non prominenti insertæ, articulis basalibus brevibus, ultimo sat magno, orbiculato, l. superne oblique subtruncato, compresso, ante medium seta dorsali nuda. Epistoma infra oculos sæpius hirtulos (in nostris), non descendens, nec ante illos prominens, subplanum, læve, villosulum. Thorax subquadratus. Scutellum semicirculare, margine brevissime denticulatum seu crenulatum. Abdomen utrinque oblique tristrigatum. Alæ vix longitudine abdominis, incumbentes, hyalinæ. Nervi longitudinales: 3:tius ad costam curvatus, 4:tus in costam paullo ante apicem leviter flexus excurrit, 5 & 6 vix infra angulum arearum continuati, 7 infra aream angularem brevis ad marginem extensus; nervuli transversales: ordinarius medius obliquus; qui aream discoidalem primam terminat distincte angulatim flexus, qui secundam, rectus, ambo sat longe a margine alæ remoti. Femora postica crassa, subtus a medio ad apicem biseriatim setulosa; tibiæ subcurvæ. *Color* niger, abdomine plerumque rufo-maculato & albo-strigato. *Motus* & volatus celer; sed in ipsa terra sæpe moratur. *Habitatio* in terra & plantarum humilium floribus, locis aridis, sabulosis. *Differentia sexus; mas*: oculis per angulum obtusum sæpissime non arcte cohærentibus; abdomine apice obtuso; *femina:* oculis per frontem punctulatam, leviter impressam, modice & paralleliter remotis; abdomine apice acuto; antennis plerumque nonnihil majoribus.

Subd. 1. abdomine medio aut lateribus rufo.

1. *E. lateralis:* oculis hirtis niger, thorace obscure cærulescente (♂), aut nigro (♀); abdomine atro, lateribus rufo, bis tribus lunulis albis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Pipiza lateralis Zett. Act. Holm. 1819. p. 83. 38. ♂♀. Fall. Dipt. Su. Supplem. p. 10. — *Eumer. grandis* Meig. Dipt. 1822. 3. 203. 1? ♂♀. t. 28. f. 18. ♀. Macq. Buff. 1. 526. 1? An *Syrph. annulatus* Panz. Fn. 60. 11?

Hab. in pascuis aridis, initio mensis Julii, per Sueciam mediam, rarius; scilicet in Ölandia ad Glömminge d. 5 Jul. 1819 utrumque sexum detexi; deinde etiam in Gottlandiæ parœcia Westerheide, & ad Holmiam in Lidingön a Cel. Prof. *Wahlberg* quoque inventus erit.

♂♀. Inter nostrates maximus. Caput nigrum, metallice nitens, in ♀ tenuiter, in ♂ dense præsertim supra antennas, albo-pubescens, fronte postice in utroque sexu nigro-hirta. Antennæ orbiculares. Frons in ♀ longitudinaliter non impressa. Thorax in ♂ cærulescens, pubescens, in ♀ niger, subglaber, in ♂♀ lineolis 2 anticis abbreviatis, albis. Abdomen nigrum, lateribus in segmentis 2 & 3 maris anguste inæqualiter, in segmentis 2, 3 & 4 feminæ latius, rufum, in utroque sexu lunulis utrinque 3 oppositis obliquis albis distinctis ornatum. Anus æneus. Venter niger, lateribus rufescens. Pedes nigri, parum pubescentes, tibiis basi ferrugineis, & extus totis pube brevissima albida tectis. Squamæ sub alis albæ; halteres pallide flavi. In medio nervi transversi apicalis primi (infra sinum) nervulus appendiceus inchoans seu brevissimus observatur in ♂. Oculi in ♂♀ perspicue hirti. Antennæ magnæ.

Obs. 1. Plura specimina utriusque sexus sub nomine *Eumer. mixtus* Meig. Dipt. 7. 110. 13. ♂. seu *Syrphus mixtus* Panz. Fn. 60. 8. (olim *Eumer. Zetterstedtii* Zell.), D. *Zeller* e Glogavia mihi nuper communicavit, quæ nostro *E. laterali* affinia sunt, sed certe diversam speciem efficiunt, magnitudine paullo majore, antennis superne perspicuius truncatis,

fronte ♀ longitudinaliter unistriata, colore thoracis scutellique ♂♀ magis cærulescente, rufedine abdominis latiore, lunulis albis obsoletioribus (præsertim in ♂), apice abdominis argenteo-micante, tibiis basi vix rufis, ut & nervulo appendiceo in medio nervi transversi apicalis nullo, vere distinctam.

Obs. 2. *Xylota lateralis* Meig. (cui syn. Falleni *Pipiz. lateralis* allegatur) oculis nudis, antennis flavis &c. diversa, alia videtur species, mihi ignota.

2. *P. sabulonum:* oculis nudis nigro-æneus, abdomine rufo-testaceo, basi apiceque ænescente, bis tribus lunulis albis; tibiarum tarsorumque basi testacea. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Pipiza Fall. Syrph. 1817. p. 61. 7. ♂♀ vera (exclus. syn. *Syrph. mixtus* Panz.). — *Eumer. rubriventris* Macq. Dipt. 1829. p. 119. 2. ♂. Buff. 1. 528. 10. Meig. Dipt. 7. 112. 18. ♂.

Hab. in campis arenosis, terra sabulosa, flores Sedi acris, Thymi &c. etiam visitans, per Succiam meridionalem & mediam, 1 Jul.—16 Aug., passim; scilicet in Scania campestri, ut ad Lund, (D. *v. Borck)*, Kjeflinge, (D. *Dahlbom)*, Östra Torp, Sandhammar, Esperöd, Engelholm &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, rarius.

♂♀. Magnitudo valde variat. A priori differt: magnitudine minore, oculis nudis, antennis multo minoribus, ut & abdominis pedumque pictura. Ænescens, parum pubescens, punctulatus. Antennæ albo-sericeo-micantes. Facies albo-pubescens. Frons in ♀ longitudinaliter in medio unistriata. Abdomen aut totum rufo-testaceum (præsertim in ♀), aut rufo-testaceum, segmento 1:mo & apice nigricantibus, strigis obliquis albis ut in priore, sed sæpe minus perspicuis. Variat præterea abdomen ad latera, in primis

posterius, maculis in rufedine nigris. Alæ, squamæ & halteres ut in præcedente. Pedes nigri, tibiis omnibus basi tarsorumque anteriorum articulis 3 basalibus testaceis. Metatarsus posticus raro fuscus. Oculi in vivo ferrugineo-nigri, unicolores. — Habitus & magnitudo *Pip. campestris.*

Subd. 2. abdomine nigro l. ænescente.

*) oculis tenuiter subhirtis.

3. *E. strigatus:* antennis mediocriter magnis, nigris, cinereo-micantibus, nigro-æneus, thorace albo-bilineato; abdomine nigro, bis tribus lunulis argenteis, segmenti 4:ti ænescentis limbo apicali flavido-piloso; tibiis basi sordide testaceis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Mas: ænescens, oculis angulo cohærentibus; epistomate & fronte supra antennas dense albo-pollinosis & villosis;

Fem.: nigricans, oculis remotis, fronte ænescenti nigra, parum impressa; orbita oculorum antice albida; epistomate tenuiter & parce cinereo-pubescente; antennis nonnihil majoribus.

Meig. Dipt. 207. 7. ♂♀. Macq. Buff. 1. 527. 6. ♂♀. *Pipiza* Fall. Syrph. 61. 8. ♂♀. certe.

Hab. in Suecia, 14 Jun.—Jul.—7 Sept., passim; scilicet in Scania circa Lund, ad Räften, Fogelsång, Sandhammar &c., haud raro; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena & Häradshammar &c.; in Westrog., D. *Gyllenhal;* in Gottlandia ad Sproge, Kyllej, Nähr, Storungs, Fårön &c.; ad Holmiam, teste D. *Wahlberg.*

♂♀. Antennæ albo-micantes, thorax æneus, albo-vittatus, abdominis segmenti 4:ti ænei pilositas flavida, ut & in ♂ epistomatis frontisque albedo, speciem designant. Antennæ mediocres, majores vero quam in *E. sabulonum.* Oculi tenuiter hirti. Thoracis lineæ albæ pone medium extensæ. Alæ hyalinæ. Nervulus appendiceus brevis in medio nervi transversi apicalis 1:mi adest. Squamæ albæ; halteres pal-

lidi. Femora postica crassa. Frons in ♀ sat lata, ænescens, antice tenuiter albo-pubescens, postice (in medio) nigro-pilosa, antice ad medium utrinque albo-lineata; foveola supra antennas impressa.

4. *E. ornatus:* antennis mediocriter magnis, testaceis (♂), aut fuscis (♀), æneus, thorace albo-bilineato; abdomine atro, bis tribus lunulis argenteis, lateribus aureo; tibiis basi sordide testaceis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Mas: capite superne valde convexo, oculis in fronte longe cohærentibus; epistomate & fronte supra antennas dense albo-pollinosis & villosis; antennarum articulo ultimo fusco-testaceo;

Fem.: oculis non late remotis, fronte cupreo-ænea, parum puberula, supra antennas foveola impressa; antice lineola tenui alba utrinque; antennarum articulo ultimo majore, testaceo-fusco, epistomate tenuiter & parce cinereo-pubescente.

Meig. Dipt. 3. 205. 4. ♂♀. Macq. Buff. 1. 527. 4. ♂. Sub *Pip. strigata* Fall. etiam latet.

Hab. in Scania 2—30 Jul. minus frequens; nempe ad Grönby & Lindholmen, rar., ad Räften prope Lund in utroque sexu a D. *Dahlbom* deprehensus.

♂♀. A priori, cui alias similis, differt: antennis nonnihil minoribus, fusco-testaceis, alarum stigmate obscuriore, abdominis segmento 4:to atro (nec æneo), nudo (nec flavo-piloso), femoribus posticis paullo minus crassis, nec non oculis in ♂ superne multo convexioribus latiusque cohærentibus, & fronte in ♀ angustiore, parum hirta. Tarsi pube albida annulati.

5. *E. ruficornis:* antennis mediocriter magnis, testaceis (♂), albo-micantibus, nigro-æneus; abdomine

atro, bis tribus lunulis argenteis, segmento 4:to apice flavo (♂); tibiis basi sordide testaceis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}-2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 206. 5. ♂♀.

Hab. in Suecia, 21 Jun.—2 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Fogelsång rar.; in Ölandia rar.; in Gottlandia ad Martebo, Lummelund, Nähr, Sanda, Sproge, Wamblingbo &c., passim.

♂. *E. strigato* simillimus, & differt tantum: antennarum articulo ultimo ochraceo, thoracis lineis albis parum perspicuis, & abdominis segmento 4:to subnudo, nigro, margine tantum apicali flavo. Thorax variat niger & æneseens.

♀: antennis nonnihil majoribus, nigro-brunneis; epistomate tenuissime cinereo-pubescente; fronte modice lata, tenuiter cinereo-pubescente, utrinque albo-lineata, foveola supra antennas impressa, & segmento abdominis 4:to apice non flavo, sine dubio hujus. In Scania, Ölandia & Gottlandia cum mare descripto capta.

6. *E. grandicornis:* antennis magnis (♀), nigro-brunneis, cinereo-micantibus, ænescenti niger, thorace immaculato; abdomine atro, bis tribus lunulis argenteis; tibiis basi sordide testaceis. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}-2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 208. 8? ♀. Macq. Buff. 1. 527. 7?

Hab. in Suecia rarius; in Ostrogothia ad Wadstena 10 Jul. 1825, & in Gottlandia ad Nähr 11 Jul. 1841, aliquot specimina inveni.

♀. Similis prioribus. A feminis: *E. strigati,* thorace immaculato, segmento abdominis 4:to nigro (nec æneo); ab *ornati,* thorace non bilineato, fronte nonnihil latiore, antennis paullo obscurioribus, abdominis lateribus atris, (nec aureis); a *ruficornis,* antennis nigrioribus, & ab horum trium: colore obscuriore & antennis majoribus distinctus videtur. Synonymon Meigeni dubium, quia in nostris spe-

ciminibus segmentum abdominis 4:tum præter lunulam albam, nudum est.

7. *E. funeralis:* antennis magnis (♀), nigro-brunneis, cinereo-micantibus, æneus, thorace albo-bilineato; abdomine atro, bis tribus lunulis argenteis; tibiis basi sordide testaceis. ♀. (Long. fere $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 208. 9. ♀. Macq. Buff. 1. 527. 8. ♀. Löw Bemerk. 28. 3.

Hab. in Suecia rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena & in Gottlandia ad Westös in parœc. Hall, 10–28 Jul. 2 individua deprehendi.

♀. Simillimus iterum priori, & ab illo non nisi capite virescente & thorace cupreo-æneo, lineis 2 ad medium extensis ornato, distingvitur. Antennæ apice rotundatæ (acumine vix prominulo). Oculi omnium tenuissime hirtuli. Tibiæ basi ut in præcedentibus anguste rufescentes.

Obs. Meigeni *E. strigatus*, *grandicornis*, *funeralis*, *planifrons* & *lunulatus* ægre dignoscuntur.

**) oculis nudis.

8. *E. flavitarsis*: antennis mediocriter magnis, fusco-testaceis, albo-micantibus, niger; abdomine atro, bis tribus lunulis argenteis, primo pari intus flavo; tibiis basi tarsisque flavo-testaceis. ♀. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in Scania semel inventus.

♀. Similis *E. ruficorni* (5), cujus feminam crederem, nisi oculi nudi &c. aliam speciem proderent. Antennæ exacte orbiculares, testaceæ, leviter albo-micantes, superne & articulo 1:mo fuscæ, seta nigra. Epistoma ænescens, levissime albo-pollinosum & tenuiter albo-pubescens. Frons haud lata, nitida, ænescens, antice tenuiter cinereo-, postice nigro-pubescens, lineola antice utrinque angustissima alba; supra antennas parum foveolata. Thorax niger, vix vestigio lineolarum albarum. Abdomen atrum, lunulis solitis albis,

sed harum primum par e maculis 2 ovalibus obliquis flavis efficitur. Pedes nigri, genubus, tibiis basi tarsisque flavo-testaceis. Tibiæ extus albo-micantes. Femora postica parum crassa.

---

86. XYLOTA Meig.

Corpus majoris magnitudinis, elongatum, sæpissime tantum subpubescens. Antennæ breves tuberculo frontali insertæ, nutantes, articulo ultimo orbiculato, compresso, basi seta dorsali nuda. Epistoma impressum, non tuberculatum (in mare *X. lateralis* tuberculatum), margine apicali elevato, late emarginato, albo-pollinosum l. sericeum. Oculi ferrugineo-nigri, nudi, unicolores, conformes, h. e. reticulatione æquali. Scutellum haud marginatum, inerme. Abdomen lineare. Alæ abdominis saltem longitudine, nervis fere ut in *Eumero* directis. Nervi vero 2 transversi apicales minus flexi, saltem non angulati. Femora postica elongata crassa, tibiis incurvis. *Color* niger, abdomine sæpe rufo- l. flavo-fasciato. *Motus* celer: volatus velox, brevis, determinatus; inter digitos deprehensa nullum edit sonum. *Habitatio* in sylvis, flores frequentans; per nemora in foliis fruticum sæpe sedens. Feminæ in truncis arborum, ova deposituræ interdum inveniuntur. Larvæ in ligno putrido degunt. *Discrimen sexus; mas:* oculis per angulum sat arcte cohærentibus, ano obtuso; *femina:* oculis antice sat late, posterius angustius, remotis, ano acutiori.

Subd. 1. Corpus valde hirsutum, crassiusculum. Epistoma infra oculos paullo descendens. Trochanteres postici mutici. *Brachypalpus* Macq.

1. *X. valga:* nigra, dense ferrugineo-hirsuta, antennis cum seta rufo-fuscis; abdominis femorumque basi geniculisque ferrugineis; alis cinerascentibus, basi flavidis, medio macula fusca. ♂♀. (Long. 4½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 217. 7? *Syrphus* Panz. Fn. Germ. 54. 7. *Syrphus laphriformis* Fall. Syrph. 22. 11. ♂♀. certissime. — Reliqua Auctorum synonyma mihi dubia videntur.

Hab. in floribus Chærophylli, Berberidis, Cratægi Oxyacanthæ &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 29 Maji—22 Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Lärketorp, Omberg, Gusum, Häradshammar, Jonsberg, sat frequens; in Gottlandia & ad Holmiam, parce.

♂♀. Sat crassa. Antennæ cum seta fuscæ. Epistoma albidum, sed sæpe detritum & tunc lineis media & lateralibus nigris. Frons in ♂ albida, in ♀ lata, obscura, opaca, leviter pallido-pollinosa. Thorax nigro-ænescens, dense ferrugineo-hirtus. Abdomen nigrum nitidum, parcius flavido-hirtum, segmento 1:mo toto, 2:do lateribus anguste, flavo-rufis; 4 & 5 in ♂ nigro-hirtis. Alæ cinereæ, basi flavescentes, in medio fasciola fusca. Nervi transversi: 2 illi apicales parum flexi, horum primus ad 4:tum longitudinalem paullo intra apicem curvatur; ordinarius medius parum obliquus. Squamæ & halteres, pallida. Pedes ferruginei, pilosi, coxis, femoribus in medio late (saltem superne), tibiis in medio plus minus late, & tarsorum posteriorum articulis 3 ultimis, nigris. — Pedum pictura paullo variat. Femora postica semper crassissima. — Synonymon Meigeni dubium præsertim ob antennarum setam "albam", quæ in nostris semper fusca l. rufa est.

Obs. Hanc speciem ob antennarum formam orbicularem, femora postica crassa, oculos in ♂ arcte cohærentes &c., ad genus *Chriorhinam* referre non possum.

Subd. 2. Corpus subpubescens l. glabriculum, angustatum (in *X. triangulari*, 6, crassum). Epistoma infra oculos haud descendens. *Xylota* Macq.

A. Epistomate non tuberculato.

*) trochanteribus posticis in ♂ apice breviter uni- l. bidentatis.

2. *X. sylvarum:* æneseenti nigra, griseo-pubescens, antennis obscuris, abdominis apice aureo-tomentoso; tibiarum tarsorumque basi pallide flavis. ♂♀. Long. circ. 5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 223. 17. ♂♀. Macq. Buff. 1. 520. 1. *Musca* Linn. Fn. Su. 1801. *Milesia* Fabr. Antl. 191. 13. Fall. Syrph. 10. 4. ♂♀. *Syrphus impiger* Panz. Fn. Germ. 45. 21. ♀.

Hab. in nemorum floribus & foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 30 Jun.—18 Aug., haud rara; scilicet in Scania ad Abusa, Lindholmen, Krageholm, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia ad Berga; in Ostrogothia ad Hagalund & Rismarken prope Wadstena, Lärketorp, Gusum, Jonsberg &c., passim; in Ölandia & Gottlandia parce; in Uplandia ad Holmiam; in Dania rarius, D. *Staeger*. (Varietatem ♂ tibiis totis flavis e Sudetis a D. *Zeller* obtinui).

♂♀. Epistoma cinereo-pollinosum glabrum. Antennæ basi nigræ, articulo ultimo fusco, obscuro l. nigricante, seta concolore. Frons in ♂ cinereo-pollinosa, in ♀ modice lata nigra, nitida, medio macula utrinque albo-micante. Vertex niger, griseo-pilosus. Thorax æneseens, in ♂ longius, in ♀ breviter, griseo-pubescens. Pleuræ striga aureo-pilosa. Abdomen atrum, segmentis 4:to toto, 3:tio macula utrinque triangulari, aureo-tomentosis. Alæ hyalinæ, nervis 2 transversis apicalibus ut in priore, at ordinario medio magis obliquo. Stigma melleum. Squamæ & halteres, pallida. Pedes nigri, flavido-pubescentes, geniculis summis, tibiarum basi fere ad medium, tarsorumque articulis 3 primis, albido-flavis. Femora postica modice crassa, trochanteribus in ♂ apice bidentatis.

3. *X. Nemorum:* ænescens, glabricula, antennis obscuris; abdomine atro, maculis (in segmentis 2 & 3) quatuor flavo-rufis; tibiis basi tarsorumque anteriorum articulis 2 primis, flavis, femoribus posticis parum crassis subtus ciliatis. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 219. 11. ♂♀. Macq. Buff. 1. 521. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 585. 3. ♂♀. Löw Bemerk. 28. 2. *Milesia* Fabr. Antl. 192. 17. *Milesia ignava* Fall. Syrph. 11. 6. ♂♀. (exclus. syn. Panzeri 60. f. 4. ♀, quod ad *Xyl. ignavam* Meig. pertinet).

Hab. in nemorum foliis fruticum, per Scandinaviam, 10 Jul.—18 Aug., sat vulgaris; scilicet in Scania rarius; in Ostrogoth. ad Wadstena, Fredensborg, Godegård, Gusum, Haradshammar &c., frequens; in Westrog., D. *Rosenschöld;* in Gottlandia ad Ruthe; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Uplandia ad Holmiam; in Jemtlandia ad villam Säther & ad radicem Åreskutan; in Lapponiis Umensi ad Lycksele, Åsele, Wilhelmina &c., freq., in Tornensi ad Muonioniska, rarius; in Norvegia ad Næss Værdaliæ, pass.; in Dania rar., D. *Staeger.*

♂♀. Caput albido-pollinosum. Frons in ♀ atra, nitida, macula media utrinque trigona alba. Antennæ cum seta nigræ, testaceæ l. brunneæ. Thorax & scutellum ænea, nitida. Pleuræ striga albo-pilosa. Alæ, squamæ & halteres ut in priore. Abdomen atrum nitidum, in ♂ segmento 2:do maculis in medio 2 oppositis rotundis rufo-flavis, in segmento 3:tio maculis etiam 2 ad latera, oppositis subquadratis, ejusdem coloris; in ♀ maculæ hæ majores, per paria, & horum, præsertim posticum, interdum fere in fasciam anguste interruptam confluentes. Segmentum 4:tum æneo-nigrum, basi macula utrinque albo-pubescente, & in ♂ sæpe margine apicali rufescente. Venter in medio rufescens. Pedes ut in diagnosi. Femora postica parum crassa, subtus ci-

liata; dens minutus in maris articulis coxæ. — Maculæ abdominis variant plus minus dilatatæ.

4. *X. bifasciata:* ænescens, glabricula, antennis obscuris; abdomine atro, fasciis (in segmentis 2 & 3) duabus latis subinterruptis flavis; tibiis basi tarsorumque anteriorum articulis 2 primis, flavis; femoribus posticis crassis, subtus ciliatis. ♂. (Long. $3\frac{3}{4}$—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 219. 10. ♂., an etiam ♀? (Zett. Ins. Lapp. ad *X. florum* (13) pertinet).

Hab. in foliis fruticum, 10 Jul.—18 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lindholmen & alibi; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena, frequens; in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven, rarius.

♂. A priori, cui valde similis, differt: femoribus crassioribus, & maculis abdominis ita dilatatis, ut fascias 2 latas subcontinuas flavas (non rufas) efficiant, fere tota segmenta 2 & 3 occupantes, relicta tantum nigredine angusta in basi segmenti 2:di & apice segmenti 3:tii, quæ (nigredo) interdum in medio segmentorum acumine descendit. Latera horum segmentorum & incisura inter illa interdum etiam augustissime nigrescunt. Tarsorum anteriorum articulus 3:tius, & posticorum articulus 2:dus rarius quoque flavescunt. Femora postica subtus brevissime rigide nigro-ciliata.

Obs. Femina etiam a D. Meig. l. c. describitur, mihi ignota, nisi ad sequentem speciem provocare vellem.

5. *X. confinis:* ænescens, glabricula, antennis obscuris; abdomine atro, fasciis duabus subinterruptis flavis; tibiis basi, tarsorum anteriorum articulis 3 primis, posticorumque 2:do, flavis; fomoribus posticis parum crassis, subtus ciliatis. ♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Hab. in Ostrogothia cum priore, frequens. In Gottlandia ad Garde rarissime.

♀. Simillima præcedenti & forte ejus femina, sed differt, præter frontem nigram, albo-bimaculatam, etiam femoribus minus crassis & tarsorum anteriorum articulo quoque 3:tio & posticorum saltem intermedio, semper flavis. — A *X. Nemorum* pictura abdominis tarsorumque dignoscitur, & a *X. segni* fasciis abdominis flavis, nec rufis, ut & femoribus posticis subtus ciliatis, nec spinulosis l. setulosis. — Variat tibiis anticis flavis, annulo medio fusco; vix *Xyl. ignava* Panz. & Meigeni?

6. *X. triangularis:* nigro-ænea, subpubescens; antennis obscuris; abdomine atro, opaco, segmentis 1, 4 totis, 2 & 3 macula laterali triangulari, aureo-æneis, nitidis; pedibus nigris, tibiis basi tarsorumque anteriorum articulis 2 primis, flavis; femoribus posticis crassiusculis, subtus ciliatis. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 586. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponia & Dalecarlia passim; in floribus Ledi palustris in silva inter Lycksele & Nydahl Lapponiæ Umensis 20—24 Jun. 1832 inventa; in Lapponia Tornensi ad Muonioniska Aug. rarius visa.

♂♀. Prioribus hujus subdivisionis crassior, habitu *Eristalis* majoris. Epistoma albo-pollinosum. Vertex & frons in ♀, nigra. Antennæ nigræ l. fuscæ. Thorax griseo-subpubescens præsertim in ♂. Callus humeralis cinereus. Alæ, squamæ & halteres ut in prioribus. Abdomen & pedes ut in diagnosi.

Var. b. ♀. femoribus posticis subtus subspinulosis, alias var. a. simillima, forte hujus. In Ostrogothia semel.

7. *X. cœruleiventris:* nigro-ænea, subpubescens; antennis obscuris; abdomine cyanescenti nigro, opaco, in singulo segmentorum 2, 3 & 4 macula laterali triangulari cærulescenti nigra, cinereo-pubescente; pedibus nigris,

tibiis basi tarsorumque anteriorum articulis 2 primis flavis; femoribus posticis parum crassis, subtus ciliatis. ♂♀. (Long. 3 fere 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 585. 5. ♂♀. *Miles. ignava* var. β. Fall. Syrph. 11. 6. — Vix *Xyl. abiens* Meig. Dipt. 218. 9.?

Var. b. ♂. abdominis punctis (in segmentis 2 & 3) quatuor rufis.

Hab. in Scandinavia 2—25 Jul. passim, in copula; nempe var. a. in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum &c.; in Westrogothia; in Ölandia, in Gottlandia ad Westös, minus frequens; in Jemtlandia ad Faxelfven rar.; in Lapponia Umensi ad Åsele, unicum par; in Norvegia ad Næss & Garnæs Værdaliæ, haud raro; Var. b. ad Næss, rarissime.

♂♀. Simillima X. *Nemorum* (3), sed differt ab illa abdomine subcyanescenti atro, maculis lateralibus utrinque 3, trigonis, plumbeis, argenteo-pubescentibus, & ventre nigro.

**) trochanteribus posticis in ♂ apice spina elongata armatis.

8. *X. segnis*: ænea, subpubescens, nitida, antennis fuscis; abdomine nigro, segmentis 2 & 3 flavo-rufis; pedibus nigris, tibiis basi tarsorumque anteriorum articulis 3 primis, flavis, femoribus posticis crassis, subtus spinulosis. ♂♀. (Long. 4—4¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 220. 12. ♂♀. Macq. Buff. 1. 521. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 585. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1823. *Syrphus* Panz. Fn. Germ. 60. 3. ♂. (*Syrph. segnis* Panz. 22. 22. ob squamam sub alis magnam *Ocypter. brassicariam* Fall. prodit). *Milesia* Fabr. Antl. 191. 14. Fall. Syrph. 10. 5. ♂♀.

Hab. in pratorum floribus, libenter in foliis fruticum Populi tremulæ, per Scandinaviam, 30 Jun.—Jul.—Aug.—18 Sept., vulgaris; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, frequentissima; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Garde, Sanda, Stenkyrka &c., copiose; in Nericia & Uplandia, passim; in Helsingia ad Färila; in Jemtlandia ad Alsen, rar.; in Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Similis X. *Nemorum* (3), sed differt ab hac & aliis affinibus, præcipue femoribus posticis crassioribus, subtus distincte spinulosis, nec tantum ciliatis, ut & spinula elongata in maris trochanteribus posticis. Antennæ obscuræ l. fuscæ. Epistoma cinereum. Frons in ♀ nigra nitida, macula media utrinque alba. Abdominis segmentum 1 æneum, 2 rufum medio baseos lineola nigra, 3 rufum margine apicali sæpe nigro, 4 nigrum basi macula laterali albo-pubescente, & 5 nigrum. Tibiæ anteriores basi late, apice anguste, flavæ, posticæ basi flavæ. Tarsi postici medio sæpe flavi.

9. *X. ignava:* obscure ænea, antennis nigris; abdomine nigro, parum nitido, segmentis 2 & 3 rufis; pedibus flavo-fulvis, femoribus tarsorumque apice nigris, tibiis posticis annulo medio fusco. ♀. (Long. circit. 4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 221. 13. ♂♀. Macq. Buff. 1. 522. 6. *Syrphus* Panz. Fn. Germ. 60. 4. ♀. (*Miles. ignava* Fall. ad *Xyl. Nemorum* pertinet).

Hab. in floribus Taraxaci, initio mensis Junii ad Holmiam a D. Profess. *Wahlberg* inventa, mihi in Scandinavia non obvia.

♀. Simillima priori, a qua, teste D. *Wahlberg*, differt: antennis nigris, epistomate flavido-pubescente, thorace nigrocupreo, parum metallice nitente, segmentis abdominis 2 & 3, ut in X. *lentæ*, rufis (nec fulvis), linea nulla obscura •

nigredine vix æneseente sequentium segmentorum adscendente, alis magis infuscatis, pedumque pictura.

***) trochanteribus posticis in ♂♀ muticis.

10. *X. femorata:* nigro-ænea, parum pubescens, antennis ferrugineis; abdomine atro; pedibus rufis, posticorum femorum apice, tibiis tarsisque totis, nigris. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 586. 7. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1824. genuina. — *Milesia* Fall. Syrph. 11. 8. ♂♀. vera. — *Syrphus volvulus* Fabr. Ent. Syst. 4. 295. 62. certe. — *Xylota volvulus* Meig. Dipt. 3. 223. 16. t. 28. f. 29. ♂. forte ejusdem, licet femora postica apice non nigra. — Macq. Buff. I. 520. 2. vix eadem, nam Clar. Auctor suam speciem inter illas, quæ trochanteribus posticis tuberculatis gaudent, retulit.

Hab. in truncis arborum præsertim emortuarum Populi tremulæ, Salicis &c., per Scandinaviam, 20 Jun.—20 Jul., passim; scilicet in Smolandia ad diversorium Hamneda; in Ostrogothia ad Lärketorp, Medhamra-äng prope Wadstena, Häradshammar, prædium Gottenvik in paræc. Jonsberg (D. *Stenhammar*), Gusum &c.; in Calmaria ad Berga; in Ölandia rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarissime. (Ex Helvetia utrumque sexum per D. *Konewka* obtinui, & e Nertschinsk in Dauria Sibir. orient. non procul a finibus Chinæ specimen femineum, nostris nonnihil majus, 1840 mihi misit Gener. Comes a *Mannerheim*).

♂♀. X. *segni* paullo longior, subnitida. Caput nigrum, epistomate levissime albo-pollinosum. Antennæ luteo-ferrugineæ, seta concolore, articulo 1:mo fuscæ. Thorax supra obscure æneus, breviter griseo-pubescens, obsoletissime albo-linea-

tus. Abdomen cærulescenti atrum. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamæ & halteres, sordide albida, horum clava fusca. Pedes coccineo-rufi, coxis & throchanteribus omnibus, femorum posticorum apice non late, tibiis valde incurvatis tarsisque ejusdem paris, totis, nigris. Femora postica valde incrassata, subtus (in speciminibus Helveticis longe) ferrugineo-pilosa, versus apicem breviter nigro-setulosa. Femora anteriora latere postico & subtus in ♂ etiam pallide pubescentia.

11. *X. lenta:* nigra, parum pubescens, antennis fuscis; abdominis segmentis 2 & 3 rufis; pedibus nigris. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Meig. Dipt. 3. 222. 15. ♂♀. Macq. Buff. 1. 522. 8. Zett. Ins. Lapp. 586. 8. ♂♀. *Syrphus piger* Panz. Fn. Germ. 60. 5. ♀. *Milesia pigra* Fall. Syrph. 11. 7. ♂♀. var. *α.* (excl. syn. Fabr.).

Hab. in nemorum Umbellatis; per Sueciam, 5—26 Jul., minus frequens, in copula; scilicet in Scania ad Esperöd, Abusa & Lindholmen; in Ostrogothia ad Omberg, Lärketorp, Gusum & Häradshammar; in Dania, D. D. *Staeger* & *Westermann.* (E Sudetis a D. *Zeller* missa).

♂♀. Affinis & similis *X. segni,* sed paullo major, pedibus totis nigris, abdominis medio rufo, nec fulvo, &c. mox dignota. Subnitida, cinereo-subpubescens. Antennæ nigræ l. fuscæ. Caput cinerascens, fronte ♀ nigra, albo-bimaculata. Thorax niger, parum æncscens, striga pleurarum albo-pilosa. Abdomen nigrum, segmentis 2 & 3 rufis. Alæ subfusco-hyalinæ. Squamæ & halteres, alba. Pedes nigri, cinereo-pilosi, tarsis breviter subferrugineo-pubescentibus. Femora postica modice crassa, subtus ciliata, versus apicem breviter & rigide nigro-setulosis, sed vix spinulosis. Epistoma apice non canaliculatum. — Variat præsertim in ♀ segmenti 3:tii basi etiam rufa. — In specimine altero

masculo Sudetico tibiæ tarsique ferruginea sunt, & annulus tibiarum posticarum fuscus; in ceteris cum nostris quadrat.

12. *X. pigra:* nigro-ænea, parum pubescens, epistomate apice canaliculato; antennis fuscis; abdomine rufo, segmento primo nigro, ultimo apice fusco; pedibus nigris. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 221. 14. ♀. certe. — Forte etiam Macq. Buff. 1. 521. 5. ♀, licet ad species trochanteribus posticis spina elongata armatis ab Auctore immerito relata. — *Milesia* Fabr. Antl. 192. 16. Fall. Syrph. 11. 7. var. *β*. ♂♀. *Xyl. crassipes* Wahlb. Act. Holm. 1838. p. 15. 7. ♂♀.

Hab. ♂ in floribus, & ♀ in ligno nuper cæso, per Sueciam mediam, 2 Jun.—10 Jul., rarius; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp utrumque sexum inveni, ad Gusum (26 Maji), D. *Wahlberg*, qui eandem ad Mariæberg prope Holmiam quoque deprehendit. In Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Similis *X. lentæ*, sed magnitudine nonnihil minore, epistomatis apice canaliculato, & abdomine fere toto rufo, certe distincta. Caput cinereo-micans, fronte ♀ nigra, albo-bimaculata. Antennarum articulus ultimus brunneus. Thorax ut in *X. femorata*. Abdomen rufum, nitidum, segmento 1:mo nigro, nigredine per acumen abruptum in medio segmenti 2:di continuata; & ultimo in ♀ conico, apice fusco, in ♂ parvo retracto fere toto fusco. Alæ dilute brunnescenti fuscanæ, speculo discoidali ante medium albo-hyalino. Squamæ albæ; halteres flavi. Pedes nigri, genubus anterioribus summis ferrugineis. Tarsi omnes ferrugineo-pubescentes. Tibiæ anticæ piceæ. Femora postica valde crassa, subtus breviter & rigide nigro-setulosa seu serrulata. — *Obs.* "Denticulum minutum" in trochanteribus posticis maris, de quo mentionem fecit D. *Wahlberg*

l. c., in nostris speciminibus 3 masculis non observavi. De identitate suæ species & *X. pigræ* ipse Cel. Vir me nuper attentum fecit.

13. *X. florum:* obscure ænea, parum pubescens, antennis obscuris; abdomine nigro, maculis (in segmentis 2 & 3) quatuor subquadratis, oppositis, flavo-rufis; pedibus nigris, geniculis summis tarsorumque anteriorum articulis 2 primis, flavis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Wiedemann apud Meig. Dipt. 3. 217. 8. ♂. Macq. Buff. 1. 521. 4? ♀ (sub divisione trochanteribus posticis maris tuberculo armatis prædita). — An *Scaeva florum* Fabr. Antl. 250. 7.? — *X. bifasciata* Zett. Ins. Lapp. 585. 2. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, in hortis & pratis, per Sueciam 30 Jun.--8 Jul.—27 Aug., passim; nempe in Scania ad Krageholm raro; in Smolandia rarius; in Ostrogothia passim ex. gr. ad Lärketorp, Wadstena, Lindenäs (D. *Dahlbom)*, Gusum raro (D. *Wahlberg)*, prædium Jonsberg & in horto Pastoris ad Häradshammar parce (D. *Stenhammar)*; in Westrog. ad Gothoburgum, D. *Eb. Rosenschöld;* in Uplandia ad Holmiam frequens, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi inter Tresunda & Nästansjö rarissime.

♂♀. Prioribus minor, brevior. Æneo-nigra, subnitida. Caput cinerascens, fronte ♀ in medio cinerea. Antennæ obscuræ l. fuscæ. Callus humeralis ut in antecedentibus cinereo-micans. Thorax æneus. Abdomen lineare, breve, sat latum, segmentis 1, 4 & 5 ænescentibus, subpubescentibus nitidis, 2 & 3 atris opacis, maculis in singulo 2 & 2 subquadratis oppositis transversis, rufo-flavis. Alæ hyalinæ. Squamæ & halteres, alba. Pedes nigri, tibiis basi anguste, tarsorumque anteriorum articulis 2 basalibus, flavis. Femora postica crassa, subtus breviter rigide nigro ciliata. Segmentum abdominis 4:tum in illæsis macula utrinque ba-

sali albo-pubescente. Frons ♀ tenuiter cinereo-pubescens, posterius nigro-pubescens.

14. *X. nigripes:* ænescenti nigra, nitida, griseo-subpubescens (♂), antennis obscuris, abdomine atro, lateribus æneo-maculato; pedibus totis nigris. ♂. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 585. 4. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi rarissime; ad novacculum Umenäs d. 7 Jul. 1832 specimen descriptum inveni.

♂. Simillima priori, sed abdomine pedibusque nigris certe differt. Abdomen pubescens, atrum opacum, segmentis 1, 2 & 3 lateribus macula in singulo triangulari aureo-ænea, nitida; segmento 4:to æneo, nitido. Pedes ut in priori constructi. Alæ cinereo-hyalinæ, stigmate fusco. Nervulus transversus ord. medius perpendicularis, nec obliquus. Squamæ albæ. Halteres flavi.

B. Epistomate in ♂ inferne tuberculato.

15. *X. lateralis:* æneo-nigra, nitida, parum pubescens; antennis fulvis; abdominis basi lateribus flava; pedibus nigris, tarsis posterioribus basi luteis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 221. 18. ♂♀. Macq. Buff. 1. 522. 9. ♂♀. *Eristalis* Fall. Syrph. 51. 4. ♂♀. *Thereva dubia* Fabr. Antl. 221. 14.

Hab. in Sueciæ meridionalis hortis & pratis, minus frequens; in floribus Chærophylli, Pastinacæ, Apii &c., 6 Jul.—10 Aug. obvia; nempe in Scania ex. gr. ad Lindholmen (D. *Dahlbom)*, Abusa & Esperöd, rarius.

♂♀. Angustata, æneo-nigra. Antennæ fulvæ, basi & seta fuscis. Epistoma in ♂ albo-cinereum, tuberculo ad aperturam oris parvo, nigro; in ♀ atrum, nitidissimum, lateribus albis, tuberculo magis depresso. Frons in ♂ macula

supra antennas nigra; in ♀ lata, nigra, nitida, canaliculata, lineola utrinque alba. Alæ cinereo-hyalinæ, basi pallidæ, medio striga fusca obsoleta. Nervus transversus apicalis cum 4:to longit. mox intra apicem acutum angulum format. Squamæ albæ, halteres flavi. Abdomen æneo-nigrum, segmentis 1, 2 & 3 in ♂ late, 1 & 2 in ♀ angustius, flavis. Pedes nigri, tarsorum posteriorum articulis 3 primis sæpe flavis; tarsi antici basi interdum etiam lutescunt. Trochanteres postici in ♂ mutici. Femora postica modice crassa, subtus breviter ciliata.

---

87. SYRITTA St. Farg. & Serv.

Corpus mediæ l. minoris magnitudinis, elongatum, subopacum, glabriculum. Antennæ breves fronti non prominenti insertæ, nutantes, articulo ultimo orbiculato, basi seta dorsali nuda. Epistoma non descendens, haud impressum, in medio longitudinaliter subcarinatum, non tuberculatum, apice subelevato, anguste emarginato. Oculi ferrugineo-nigri, nudi, unicolores. Scutellum inerme. Nervuli transversi: apicalis valde undulatus, ordinarius medius perpendicularis, nec obliquus. Femora postica valde crassa, subtus serrulata, tibiis incurvis. *Color* obscurus. *Motus* tardus; volatus continuus, velificans: mas quasi pendet in aëre ante feminam in folio sedentem; mox vero copulatur. *Larvæ* brunneæ, posterius angustiores, capite tentaculo parvo, in stercore equino degunt. Incunte mense Majo in pupas transformantur, & in medio ejusdem mensis ut imagines prodeunt. *Habitatio* in floribus & foliis plantarum. *Differentia sexus; mas:* oculis cohærentibus, abdomine apice clavato; *femina:* oculis modice remotis, ano subdepresso.

1. *S. pipiens:* nigra, capite pectoreque cinereis; antennis obscure testaceis; pedibus rufo-maculatis; abdomine maculis lateralibus flavidis (♂), aut albidis (♀). ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. femoribus posticis basi & macula laterali media rufis.

Macq. Buff. 1. 525. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 113. t. 67. f. 21. ♂. — *Musca* Linn. Fn. Su. 1822. *Syrphus* Panz. Fn. 32. 20. ♀. *Milesia* Fabr. Antl. 194. 27. Fall. Syrph. 12. 9. ♂♀. *Xylota* Meig. Dipt. 3. 213. 1. ♂♀. *Coprina* Zett. Ins. Lapp. 584. 45. ♂♀.

Var. b. ♂♀. femoribus posticis totis nigris.

Zett. l. c. var.

Hab. in floribus & foliis plantarum, per hortos & prata, 5 Maji, sub tota æstate usque ad Octob., in copula; per totam Sueciam, Lapponiam (per regionem sylvaticam), Norvegiam usque ad Thynæs & Suul Værdaliæ, & Daniam; omnium ubique vulgatissima. — Inter digitos deprehensa sonum pipientem edit. (E Travemündia, Helgolandia & Berolino a D. *Dahlbom* communicata).

♂♀. Ænescenti nigra, capite, thoracis linea laterali pleurisque, cinereis. Thorax antice lineolis 2 albidis. Abdomen in segmentis 2 & 3 macula laterali flavo-albida, in basi segmenti 4:ti alba, & margine apicali ejusdem segmenti anguste albo. Hæc pictura in ♂ perspicuior. Alæ hyalinæ. Pedes anteriores aut toti flavescentes, aut flavidi plus minus nigro-maculati; postici aut toti nigri, aut plerumque nigri, femoribus basi & macula media, tibiisque annulo medio, ferrugineis.

---

88. TROPIDIA Meig.

Corpus medium, elongatum, subnitidum, glabriculum. Antennæ breviusculæ fronti subprominenti insertæ, nutantes, articulo ultimo orbiculato, apice levissime truncato, basi seta dorsali nuda. Epistoma parum descendens, in medio longitudinaliter distincte carinatum, læve, apice emargina-

tum. Oculi ut in *Syritta.* Scutellum inerme, apice attenuatum. Alæ ut in *Xylota.* Femora postica crassa, subtus ante apicem dente valido armata, tibiis arcuatis. *Color* niger. *Motus Xylotæ. Habitatio* in pratis & nemoribus littoribus marinis adjacentibus. *Differentia sexus* ut in *Xylota.*

1. *T. milesiformis:* nigra, capite pectoreque cinereis; scutelli margine flavo; abdominis basi lateribus, pedumque anteriorum geniculis tibiarumque basi, testaceis. ♂♀. (Long. 3½ fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 3. 317. 2. ♂. t. 31. f. 14. ala. — Macq. Buff. 1. 518. 1. ♂♀. Löw Bemerk. 37. 1. ♂. *Eristalis* Fall. Syrph. 52. 5. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, per prata & nemora mari adjacentia, 19 Jun.—20 Jul., rarius; scilicet in Scania in pratis Karakås ad villam Esperöd; in Ölandia ad Ottenby & Gärdslösa; in Gottlandia ad Hoburg; in Dania, D. *Staeger.* (In Umbellatis ad Reinberg prope Gryphiam 30 Maji 1812 utrumque sexum haud raro legit celeb. *Dahlbom).*

♂♀. Affinis *Syrittæ pipienti*, & habitu similis *Xyl. laterali*, sed epistomate carinato & femoribus posticis subtus unidentatis facile dignota. Nigra, subnitida glabra. Antennæ sæpe fuscæ. Caput cinereum, opacum, macula supra antennas in ♀, & epistomatis carina verticeque in utroque sexu denudatis, nitidis nigris. Callus humeralis, pleuræ lineolaque abbreviata lateralis ante scutellum, cinerea. Scutelli summus apex flavus. Abdominis segmenta 1, 2 & 3 in ♂ lateribus late, 1, 2 (& 3 basi) in ♀ anguste, testacea. Macula lateralis baseos in segmento 4:to albo-micans. Alæ hyalinæ, nervis ut in *Xyl. laterali* (15) directis. Squamæ & halteres, pallida. Pedes nudi, nigri, anteriorum genubus tibiisque basi sat late, flavis; tarsorum quoque articulis 3 primis sæpe lutescentibus. Frons ♀ posterius sat angusta.

89. ASCIA Megerl.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, glabriculum, nitidum. Antennæ longitudine fere capitis, fronti haud prominenti insertæ, articulo ultimo elongato s. oblongo, fere in medio l. nonnihil ante medium seta dorsali nuda. Epistoma vix infra oculos descendens, subimpressum, læve, apice subconice productum, subemarginatum. Oculi nudi, ferrugineo-brunnei, in utroque sexu paralleliter distantes. Abdomen supra convexum, basi coarctatum. Alæ hyalinæ, incumbentes; nervi: 2 transversi apicales & ordinarius medius, perpendiculares, recti (inde anguli omnes recti exstant); longitudinalis 4:tus in summo apice alæ recta excurrit. Femora postica crassa, subtus breviter setulosa, tibiis arcuatis. *Color* metallicus. *Motus* tardus. *Volatus* haud celer (nisi sole urente), placidus, velificans, fere ut in *Syritta*. *Habitatio* in foliis fruticum, floribus vel graminosis. *Metamorphosis* latet. *Discrimen sexus; mas:* oculis-angustius remotis, abdominis clava angustiore, ano obtuso, alis abdomine fere brevioribus; *femina:* oculis paullo remotioribus, abdominis clava magis lata, ano acutiori, alis abdomine nonnihil longioribus. Typus generis: *Ascia podagrica.*

1. *A. podagrica:* ænea, antennis longitudine fere capitis, elongatis, nigricantibus, in medio subtus macula testacea; abdomine nigro, fasciis 2 integris (♂), aut subinterruptis (♀), flavis; pedibus pallidis, anterioribus anguste fusco-subannulatis, posticorum femoribus tibiisque nigris, illis basi, his apice, flavis; alarum nervis transversis fuscedine cinctis, angulo areæ apicalis primæ recto. ♂♀. (Long. circit. 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 186. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 573. 1. Zett. Ins. Lapp. 582. 2. ♂♀. Löw Bemerk. 27. 1. *Syrphus* Panz. Fn. 59. 16. ♀. *Merodon* Fabr. Antl. 198. 10. *Mi-*

lesia Fall. Syrph. 13. 11. ♂♀ (ubi vero plures species commixtæ).

Hab. in hortorum & pratorum floribus, libenter in Compositis, Labiatis & Umbelliferis, per Scandinaviam, 13 Maji — sub tota æstate — 20 Sept., vulgatissima & passim abundans, sæpe in copula; scilicet in Scania, Blekingia *(v. Borck)*, Smolandia, Ostro-& Westrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia, Bahusia, Uplandia, ubique frequentissima; deinde rarescit & in provinciis borealibus non nisi parce visa; in Norvegia temperata haud raro, usque ad Suulstuen (in jugo alpino situm) Værdaliæ sat frequenter lecta; in Dania copiose. (Ad Zirkow & Putbus in Rugia atque ad Neuenkirchen in Megalopoli (Mecklenburg Strelitz) 15 Maj.—6 Jun. frequenter lecta a D. D. Prof. ***Hornschuch*** & ***Dahlbom*** 1842).

♂♀. Ænea, nitida. Antennæ nigræ, articulo ultimo subtus (ut recte admonuit Cel. Prof. ***Löw***, nec "ad apicem" ut voluit D. *Meigen*) macula lutea. Epistoma cinereo-pollinosum. Frons inæqualis, antice subimpressa. Vertex nigro-chalybeus. Abdomen nigrum, fasciis 2, una in medio segmenti 2:di & altera in basi segmenti 3:tii, flavis, integris, in ♀ interdum subinterruptis l. emarginatis. Segmentum 4:tum latum, & 5:tum parvum, ænea l. virescentia. Alarum nervi transversi & fasciola media obsoleta, fusca. Squamæ & halteres, albida. Pedes anteriores flavi, femorum tibiarumque annulo medio angusto, & interdum tarsorum intermediorum articulis 2 ultimis, fuscis; postici nigro-ænei, femorum pilosorum basi tibiarumque basi & apice flavis, tarsis flavis, articulo primo incrassato, ultimisque 2, fuscis.

Obs. In individuis juvenilibus abdomen sæpe magis compressum (lateribus involutis), & hinc sine dubio orta est *As. lanceolata* Meig. Dipt. 3. 187. 2. ut etiam observavit Nobil. D. *Staeger*.

2. *A. floralis:* ænea, antennis capite paullo brevioribus, ovato-oblongis, nigricantibus, subtus testaceis; abdomine nigro, fasciis 2 integris (♂), aut subinterruptis (♀), flavis; pedibus pallidis, anterioribus anguste fusco-subannulatis, posticorum femoribus tibiisque nigris, illis basi, his apice, flavis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subarcuato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 188. 3. ♂♀. Macq. Buff. 1. 571. 4. *A. bifasciata* Zett. Ins. Lapp. 583. 4. ♂. var.

Hab. in Scandinaviæ hortis & pratis, 16 Jun.—17 Aug., passim; nempe in Scania ad Lund, Absusa, Röstånga & Esperöd, sæpe in vicinitate aquæ; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum & Häradshammar, parcius; in Westrogothia ad Sparresäter, D. *Kinberg;* ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Tresunda, & Tornensi ad Muonioniska, raro; in Norvegia ad Thynæs, rar.; in Dania, D. *Staeger.* (Ad Moabite prope Berolinum, D. *Dahlbom;* e Reinerz Silesiæ, D. *Zeller* missa).

♂♀. Simillima priori, sed sæpe nonnihil minor, & antennis paullo brevioribus, magis ovatis, alarum nervis transversis fuscedine nulla cinctis ut & angulo areæ apicalis 1:mæ non exacte recto, sed paullo rotundato, distincta. Antennarum articulus ultimus interdum fere totus testaceus. Tarsi antici sæpissime toti flavi, intermedii apice sæpe fusci, postici articulis 2 ultimis nigricantibus. Abdominis segmenta 4 & 5 ænea. ♂: abdominis fasciis 2 flavis integris, plus minus latis, interdum ad latera summa non extensis ut in varietate illa quæ in Ins. Lapponicis *A. bifasciata* vocatur; ♀: abdominis fasciis 2 flavis aut postice emarginatis, aut plerumque in medio plus minus interruptis, relictis interdum tantum maculis 4 subquadratis fulvis. — Lateribus

involutis abdomen sæpe (in ♂♀) angustum l. lanceolatum videtur ut in priore.

3. *A. dispar:* nigro-ænea, antennis brevibus ovatis, nigricantibus, subtus macula lutea; abdomine nigro, fascia segmenti 3:tii unica, integra (♂), aut bipunctiformi (♀); pedibus nigris, femorum tibiarumque basi apiceque, tarsorumque medio, flavis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subarcuato. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 188. 4. t. 27. f. 27. ♂. f. 28. ♀. Macq. Buff. 1. 575. 6. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 583. 3. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, præsertim locis paludosis mihi obvia, mense Jun. Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund; in Ostrog. ad Wadstena rar.; ad Holmiam (in floribus Ribis nigri), D. *Wahlberg;* in Jemtlandia boreali ad Skalstugan; in Lapponia Umensi rariss.; in Norvegia ad Thynæs in parœc. Skogn, frequens; in Dania, vulgaris, D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* missa; ad Berolinum a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Ab *As. florali,* cui valde similis, differt: antennis forte paullo brevioribus, nigredine femorum tibiarumque paullo latiori, & præcipue abdominis fascia tantum unica, flava. — Pedes anteriores flavi, femoribus tibiisque annulo latissimo nigro, tarsis apice interdum fuscis; postici nigri, femoribus basi, tibiis basi apiceque, tarsorumque articulis 2 & 3, flavis. Anus obtusus. Abdominis segmentum 3:tium in ♂ fascia basali plerumque integra, in ♀ punctis 2 parvis, rufo-flavis. Var. ♂ puncto nigro in medio fasciæ flavæ. Thynæs. An *A. maculata* Macq. & Meig. ?

4. *A. 4-punctata:* nigro-ænea, antennis parvis ovalibus, nigricantibus; abdomine nigro, punctis in segmentis 2:do & 3:tio quatuor rufo-flavis (♀); pedibus nigris, femorum tibiarumque basi apiceque, tarsorumque medio,

flavis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subarcuato. ♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 189. 6. ♂♀. Macq. Buff. 1. 574. 5. Zett. Ins. Lapp. 583. 5. ♀.

Hab. in Scandinavia, 4 Jul.—12 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Abusa, rarius; in Ostrogothia ad Häradshammar, 2 specimina lecta a D. *Stenhammar*; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Thynæs, ut & in Nordlandia ad Björkvik & Lyngen, raro; in Lapponiæ Umensis paludosis ad Tresunda, Nästansjö & Wilhelmina, passim. In Dania rar.

♀. Simillima iterum *A. dispari*, & ab illa vix nisi abdominis punctis 4 (nec 2) parvis rufescentibus. Abdominis segmenta 4 & 5 ænea. Anus breviter acutus. Antennæ subtus interdum macula lutea. (Mas feminæ similis erit).

5. *A. interrupta:* nigro-ænea, antennis parvis ovalibus, nigricantibus; abdomine nigro, maculis lateralibus 2 (♂), aut 3 (♀), flavis; pedibus nigris, femorum tibiarumque basi apiceque, tarsorumque medio, pallidis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subrecto. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 190. 7. ♂♀. Macq. Buff. 1. 575. 7. ♂♀. — (Sub nomine *Ascia littoralis* olim a me divulgata).

Hab. in graminosis & foliis fruticum Alni &c., ad littora maris Sueciæ, 5 Jul.—16 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lomma, Malmogiam, Smye fiskläge & Esperöd, haud raro; in Gottlandia ad Kyrkbinge-Näs in parœc. Gothem, minus frequens. (Ad Neuenkirchen 20 Maji 1842, D. *Dahlbom).*

♂♀. Species vere distincta, abdominis pictura facile dignota. Antennæ breves nigræ l. fuscæ, subtus sæpe macula lutea.

Epistoma ut in prioribus cinereum. Frons in ♀ nigricans. Abdominis segmenta 3 & 4 basi ad latera macula parva subtriangulari flava, & præterea in ♀ puncto utrinque ejusdem coloris in medio segmenti 2:di. Pedes ut in *A. dispari.* Tarsi postici sæpe toti fusci. Abdomen sæpe cæruleo-resplendens, in ♂ rarissime immaculatum.

6. *A. nitidula:* nigro-ænea, antennis parvis rotundatis nigricantibus, subtus luteis; abdomine nigro, immaculato; pedibus anterioribus flavis, femorum tibiarumque medio nigris, posticis nigris, femorum basi late, tibiarum basi apiceque anguste, tarsorumque articulis 2 & 3, pallidis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subrecto. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 191. 8? ♂.

Hab. in Scania rarissime, 2 tantum individua inveni.

♂. Magnitudo, statura & summa præcedentis similitudo, & ab illa vix nisi abdomine nigro immaculato & tarsis anterioribus fere totis flavis, articulis 1 & 5 vix fuscis, distincta. Abdomen angustum, sublineare, nigrum, apice vix æneum, totum subtilissime punctulatum.

7. *A. ænea:* nigro-ænea, antennis parvis ovalibus nigricantibus, subtus luteis; abdomine nigro, apice ænescente; pedibus nigris, femorum basi, geniculis anterioribus, tibiarum omnium apice tarsorumque medio, flavis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subrecto. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 191. 9? ♀. — Zett. Ins. Lapp. 583. 6. ♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Jemtlandia ad Åreskutan & in Lapponia Umensi ad Lycksele, 1—6 Aug. pauca specimina inveni.

♀. Caput nigrum, nitidum, epistomate vix cinereo-pollinoso, an detrito? Abdomen clavatum, nigrum, punctulatum, segmentis 4 & 5 æneis, apice vix seu breviter tantum acuto. Pedes anteriores flavi, femorum tibiarumque medio late nigro, tarsis basi & apice leviter fuscis; postici nigri, femorum basi tibiarumque apice anguste, tarsorumque articulis 2 & 3, flavis. — An ♀ prioris?

8. *A. geniculata:* nigro-ænea, antennis parvis ovalibus nigricantibus, subtus luteis; abdomine nigro, apice ænescente, pedibus nigris, femorum basi, geniculis anterioribus, tibiarum omnium apice, tarsorumqe anteriorum medio, flavis; alis immaculatis, angulo areæ apicalis primæ subrecto. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 3. 192. 10. ♀. Zett. Ins. Lapp. 583. 7. ♀.

Hab. in Scandinaviæ graminosis, libenter locis paludosis, 1—30 Jul., passim; scilicet in Scania circa Lund; in Jemtlandia ad Skalstugan; in Lapponia Umensi ad Umenäs & Tresunda; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: "*A. ænea* Meig." nuper missa. (Ad Neuenkirchen Germaniæ jam die 20 Maji 1842 a D. *Dahlbom* haud infrequenter lecta).

♀. Statura & similitudo *A. 4-punctatæ*, sed abdominis maculis rufis nullis & tarsis posticis totis nigricantibus, dignota. Epistoma leviter cinereo-pollinosum, apice distincte exsertum. Frons lata & thorax ænea, nitida. Abdomen clavatum, nigrum, segmentis 3:tio basi ænescente, 4:to toto æneo, distincte punctato, 5:to æneo, parvo, breviter acuto. Pedes nigri, anteriores: femorum basi anguste, geniculis tibiarumque apice anguste, flavis, tarsorum anticorum articulis 2 & 3, intermediorumque 1, 2 & 3, pallidis; postici: femorum basi tibiarumque apice, anguste, flavis, tarsis totis obscuris, tibiis basi etiam flavescentibus.

Obs. *A. hastata* Hgg. & Meig. "æneo-viridis, abdomine acuminato, alis hyalinis; ♀", mihi ignota. Ad Gusum Ostrogothiæ & Holmiam a D. *Wahlberg* capta erit. Individua juniora *A. æneæ* & *geniculatæ* abdomine compresso h. e. lateribus involutis, pro *A. hastata* olim habui. *Asc. hastata* Professoris Löwii (Bemerk 28. 3) alia videtur species, cujus ♂ fascia lata flava in basi abdominis segmenti 3:tii gaudet, *A. dispari* valde affinis. — *As. spheginea* Zett. Ins. Lapp. vid. *Sphegina nigricornis*.

---

90. SPHEGINA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, subpubescens, nitidum. Antennæ breves, fronti parum prominenti insertæ, articulo ultimo suborbiculato, basi seta dorsali nu-

da. Epistoma infra oculos nudos, ferrugineos non descendens, in medio impressum, apice reflexo-productum. Oculi in utroque sexu distantes. Abdomen basi coarctatum, apice rotundato-clavatum. Alæ incumbentes. Nervus longit. 4:tus in apice alæ excurrit. Nervuli transversi: apicalis primus basi perpendicularis, deinde arcuatim (in *S. nigricorni* angulatim) flexus, secundus rectus, ordinarius medius parvus perpendicularis. Femora postica crassissima, subtus setulosa, tibiis arcuatis, metatarso incrassato. *Color* nigricans. *Motus:* volatus sat celer, placidus, velificans, continuus. *Habitatio* in nemorum floribus, præsertim Umbellatis. *Differentia sexus; mas:* oculis minus late remotis, ano obtuso; *femina:* ano breviter acuto.

1. *S. clunipes:* nigricans, antennis fusco-testaceis; epistomatis apice albido; puncto humerali ferrugineo; abdominis segmentis 3:tio in ♂, aut 3:tio 4:toque in ♀, fascia ferruginea; pedibus flavis, femorum posticorum apice late, tibiarum annulis 2 metatarsoque, nigricantibus; alis hyalinis, nervo transverso apicali primo arcuatim flexo. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 191. 1. ♂♀. Macq. Buff. 1. 576. 1. Zett. Ins. Lapp. 581. 1. ♂♀. Löw Bemerk. 28. 1. *Milesia* Fall. Syrph. 12. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ lucis, locis umbrosis, plerumque in Umbellatis, 4 Jul.—10 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd; in Smolandia, D. *Bogeman*; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Undersåker, D. *Dahlbom*; in Norvegia: ad Garnæs & usque ad Suul Værdaliæ (in jugo alpino situm) descendens, in alpe Dovre, D. *Boheman*, ad Björkvik prope Ofotenfjord, ipse.

♂♀. Similis *Asciæ podagricæ*, sed in multis differt. Nigricans. Caput nigrum, epistomatis apice albo. Antennæ testaceæ. Oculi paralleliter remoti. Punctum humerale & limbus thoracis posticus (in individuis Lapponicis), subtestacea. Alæ in ♂ subinfuscatæ. Pedes toti cum coxis flavi, femoribus posticis apice late nigris. — Var. antennis obscuris; variat etiam raro abdomine fere toto flavido, forte juvenilis.

2. *S. nigra:* nigra, antennis concoloribus; epistomate cinereo; pedibus anterioribus flavis, posticis nigris,

femorum tibiarumque basi & harum annulo medio, flavis; alis subfuscanis, nervo transverso apicali primo arcuato. ♂. (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 3. 195. 2. (♀.) Macq. Buff. 1. 576. 3.

Hab. in Scandinavia, 8 Jul.—6 Aug., rarius; scilicet in Ostrogothia ad Omberg 1831, D. *Boheman*, ad Gusum 1837, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Undersåker; in Norvegia ad diversorium Næs Værdaliæ 1840, D. *Dahlbom.*

♂. Simillima priori, sed dignoscitur: antennis, thorace abdomineque, totis nigris immaculatis, alis subfuscanis, stigmate obscuriore, ut & pedum posticorum coxis, femoribus latius, tarsisque totis, nigris.

3. *S. nigricornis:* nigricans, antennis concoloribus; abdomine pedibusque aut nigris (♂), aut flavo-fasciatis (♀); alis hyalinis, nervo transverso apicali primo subrecto. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Mas: abdomen nigrum, segmento 3:tio basi fascia obscure testacea. Pedes nigri, geniculis testaceis;

Fem.: abdomen clava lata, nigrum, aut in var. a. segmento 2:do fere toto, 3:tio a basi ad medium, 4:toque basi anguste, testaceis; aut in var. b. fasciis duabus in segmento 2:do 3:tioque interruptis, relictis tantum maculis 4 magnis, rufescentibus; pedes nigri, aut in var. a. tantum geniculis albis; aut in var. b. femoribus anterioribus fere totis & tibiis basi, albidis, femoribus tibiisque posticis basi flavis.

Macq. Buff. 1. 576. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 7.109. 3. ♂♀. *Ascia spheginea* Zett. Ins. Lapp. 582. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali Umensi rarissime; ♂♀ in floribus Ledi palustris ad Lycksele 16—22 Jun. 1832, & ♀ ad Nästansjö 13 Jul. ejusdem anni, a D. *Dahlbom* & me inventi.

♂♀. Valde similis & affinis prioribus, sed a *S. clunipede* antennis & callo humerali nigris, a *S. nigra* abdomine ferrugineo-subfasciato & alis non infuscatis, & ab utraque nervulo transverso apicali non arcuato, sed inter nervos longit. 4 & 5 recto, præcipue differt. — Corpus læve, thorace subtilissime punctulato. Alæ hyalinæ, nervis præsertim basi, & stigmate flavicantibus. Squamæ & halteres ut in prioribus, pallida.

91. BACCHA Fabr.

Corpus ut in *Sphegina*. Antennæ & oculi etiam ut in illa, sed hi in ♂ connexi. Epistoma infra oculos non descendens, sed ante oculos subexsertum, apice minime reflexum; in medio tuberculatum. Abdomen antice tenuissimum, longe petiolatum, postice clavatum, clava angustiore, quam in *Sphegina*. Alæ incumbentes. Nervuli 2 transversi subapicales obliqui, subflexi, ordinarius medius perpendicularis. Nervi longitudinales 5 & 6 infra areas continuati. Pedes simplices, inermes, tibiis rectis, metatarsis posticis subincrassatis. *Color* subænescens. *Volatus Sphegina*. *Habitatio* in graminosis nemorum. *Discrimen sexus; mas:* oculis superne sat longe cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis.

1. *B. elongata:* obscure ænea, scutello chalybeato; antennis fusco-testaceis; abdominis fasciis 2, halteribus pedibusque flavis, tarsis posticis fuscis; alis subhyalinis, nervis transversis mediis maculaque stigmaticali, fuscis. ♂♀. (Long. 2—3¼ lin.).

Var. a. ♂♀. scutello chalybeato, alarum nervis transversis mediis & macula stigmaticali, distincte fuscis, limbo apicali fumato.

Fabr. Antl. 200. 6. Fall. Syrph. 14. 1. ♂♀. certe. — Zett. Ins. Lapp. 581. 1. ♂♀. Löw Bemerk. 28. 1. *Baccha tabida* Meig. Dipt. 3. 199. 5? ♀. — Macq. Buff. 1. 578. 3?

Var. b. ♂♀. scutello chalybeato, alarum nervis transversis vix infuscatis, puncto stigmaticali obscuro. Specimina juniora.

B. elongata Meig. Dipt. 3. 197. 1? Macq. Buff. 1. 577. 1? ♂♀.

Var. c. ♂. scutello æneo, alis ut in var. b.

B. sphegina Meig. Dipt. 3. 198. 3? ♂.

Var. d. ♂♀. thorace scutelloque dilute chalybeis, alis pallescenti hyalinis, immaculatis, antennis flavis. Individua juvenilia.

B. vitripennis Meig. Dipt. 3. 200. 8. ♀.

Var. e. ♂. thorace scutelloque æneis, alis ut in var a.

Hab. in graminosis & floribus, per prata & nemora Scandinaviæ, 10 Jun.—Jul.—30 Aug., sat vulgaris; scilicet var. a: in Scania ubique frequentissima, & ♀ præ-

sertim vulgaris; in Smolandia passim; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Fredensborg, Gusum &c., haud raro; in Gottlandia ad Öja &c., parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan; in Lapponia Umensi ad Badstuträsk & Stensele; in Norvegia a Næs & Garnæs Værdaliæ usque ad Evenäs Nordlandiæ, passim; in Dania. — Var. b: in Scania ad Esperöd; in Ostrogothia ad Wadstena; in Lapponia ad Stensele; in Dania (♀ sub nomine *B. tabida*, D. *Staeger*). — Var. c: in Scania in Paradislyckan prope Lund, rar. e Dania ♂ sub nomine *B. tabida* a D. *Staeger* missa. — Var. d.: in Scania ad Abusa, Lindholmen &c. passim; ♀ sub nomine *B. sphegina* ex Hafnia a D. *Staeger* communicata. — Var e: in Scania ad Fogelsång prope Lund, & ad Allerum juxta Helsingborg, &c., haud infrequenter.

♂♀. Obscure ænescens, capite aut concolore, aut sæpe chalybeato, semper albo-pollinoso, epistomatis tuberculo, & in ♀ linea frontali media, denudatis nitidis. Antennæ pro ætate variant: in adultioribus obscuræ, in junioribus testaceæ l. rufescentes. Abdominis segmentum primum breve, latiusculum, plerumque cyaneum; clava apicis nigra. Abdomen in ♂ magis quam in ♀ pilosum. Pedes secundum ætatem flavi l. saturatius ferruginei. Alæ & scutellum variant ut indicatum in diagnosibus varietatum, quas ut todidem species considerare non possum, cum pleræque simul habitant, & formæ colore transeuntes existunt. — Alæ in ♂ nonnihil fusciores quam in ♀.

2. *B. obscuripennis:* obscure ænea, scutello concolore; antennis fuscis; abdominis fasciis 2, halteribus pedibusque, flavo-ferrugineis, tarsis posticis fuscis; alis brunnescentibus, nervis transversis mediis maculaque stigmaticali, obscurioribus. ♂. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 3. 199. 4. ♂.

Hab. in Suecia mens. Julio rarius; in Ostrogothia ad Wadstena 3 individua invenimus Amicus meus *Dahlbom* & ipse. Ad Gusum, Gothoburgum & Holmiam a Cel. Prof. *Wahlberg* quoque lecta erit.

♂. Similis & valde affinis priori præsertim ejus var. e; sed alis saturatius fuscis fere brunneis, & pedibus ferrugineis, distincta videtur.